


BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
32 I
14

DE EXCELLENTIA COELESTIVM SPIRITVVM;

Imprimis de

ANGELI CVSTODIS MINISTERIO,

Liber.

Auctore P. IOANNE LVDOVICO DE LA CERDA, *Societatis* IESV.



PARISIIS,
Apud SEBASTIANVM CRAMOISY,
via Iacobæa, sub Ciconiis.

M. DC. XXXI.
Cum Priuilegio Regis.

Coll. Rom. Soc. Jesu





REVERENDO
ADMODVM IN CHRISTO
Patri Nostro

P. MVTIO VITELLESCHO.
PRÆPOSITO GENERALI
SOCIETATIS IESV.



VSTODVM laudes quis nisi custos tuebitur? & Angelicum opus, quis nisi alius Angelus suscipiet, vt à tartareo liuore incolumem seruet. Cui ergo Beniaminum hunc libellum, & senectæ solatium committere decebit, nisi ei qui adhuc in domo lutea Angelici muneris debitum af-

fatim explet, constitutus super gentes, & regna, vt paterna charitate ædificet, & plantet ? & Vestram igitur Paternitatem, quæ mihi in omnibus Angelus extitit, tractatus de Custodis patrocinio Patronum clamat, sibi quoque custodem inuestigans. Tu, meæ, Vitæ lex qui *es cœlestis, & diuinæ voluntatis augur* Mutius (*augures enim Iouis interpretes vocantur Philipica.*13.) *Angelorum quoque rei defensor eris acerrimus, qui mihi Custos in omnibus fuisti, & ad recti arbitrij tui nutum me duces, & reducens, tueri dignatus es. Pusillum admittere, & imbecillo patrocinari potentum est, quidni parentum? Renues ne pauperculo libello Pater esse, contra quam profiteris benignitatem? Accipe ergo munusculum malo tornatũ labore. Te protegente, timorem pellet, nam qui illudendi cupidine teneatur, tuæ Paternitatis tutelam cœpto decedens venerabitur. Kalend. Augusti Anno* 1629.

Ioannes Ludouicus de La Cerda.



ENCOMIVM
P. IOANNIS LVDOVICI DE LA CERDA.
canit ei affectus quidam.

NON tibi floriferis satis est carpsisse viretis,
Quas decorat rubeo terra colore rosas?
Non satis arua suis opibus spoliasse videtur?
Inque tuis flores tot posuisse libris?
Parua putas numen Phœbo impetrasse tumenti,
Et iam Musarum quòd tibi detur honos?
Visne Gigas superos etiam conscendere cœlos,
Spargereque in scriptis sidera vulsa tuis?
Cœlicolas calami lineis quoque subdere quisti;
Quæ captus hominum pulchra caterua fugit.
O iuuenum liuor prope iam confecta senecta,
Hæc tibi de tanto sumpta labore quies?
Fama tubis resonet, resonet procul ære canoro,
Qui Cerdam ignoret, si quis in orbe manet.
Te sine Grammatices tetigisset limina nullus,
Pro Rege Austriaco quæ tibi cura stetit:
Te sine Virgilij celata arcana manerent,
Et quæ aduersaris abdita sacra forent:

Septimũ penetrasse sinus, te noscimus vnum,
Quos damno aggressa est plurima turba suo:
Nunc super Aldhelmũ fundis iubar alta colentẽ
Sidera, Virgineum comperis atque decus:
Angelicos salis inde choros, mysteria pandens
Nosci digna satis, quæ latuere prius.
Munera Custodum facili meditanda labore
Das prælo; solus te Deus ipse fugit.
Dicere si nobis quæ sunt super astra liceret,
Quæ Paulo scimus non licuisse loqui,
Per te, quæ scires, nobis diuina paterent.
Soluere sic tricas, sic tua penna solet.



AD DOCTISSIMVM
& Clarissimum Virum P. IOANNEM LVDOVICVM DE LA CERDA, in doctissimum opus, quod de Angelis scripsit, &c.

VINCENTII MOECINERII VALENTINI.

EPIGRAMMA.

Ἐν ταύτῃ βίβλῳ σοφίης φάος αὐτὸ φαανθῆ.
  Ἀθρόον, Ἀγγελικὸν καὶ ξανόχευσε σέλος.
Ἡ δ' ἀρετῆς στίλβουσα σαφῆ τεκμήρει ὀπάζει
  Τὴν ἔνδον τηρεῖ, γράμμασι καὶ παρέχει.
Γήϊνον οὐδὲν ἔχει. διὰ οὐρανὸν ἔπλατο εὐρὺν
  Ἀγγελικῇ δ' ἀνέβη ταῖς πτερύγεσσι χόρου.
Οὐρανίως τὴν δῶκε νόος θνητοῖσι φαεινός
  Κέρδας χαψὲ βίβλον, φοῖβος ἔπαινον ἄγει.

INTERPRETATIO.

Ingentes Sophiæ liber hic sibi continet ignes,
Et simul Angelica splendet vbique face.

Hic etenim fulgens virtutis lumina fundit
Intus, quam induxit dogmate datuque sacro
Nil terrestre gerit, cæli subit astra micanteis,
Angelici, & pennis scandit in alta chori.
Inter mortales hunc mens dat cœlica cunctis,
Cerda *at scripsit opus, tandem & Apollo refert.*





CAPITVM ELENCHVS.

APPROBATIO
Theologorum Parisiensium.

NOS qui subscripsimus in Sacra Theologiæ Facultate Doctores, fidem facimus perlectum à nobis librum eruditissimum, cui titulus, *De Excellentia Cœlestium Spirituum, imprimis de Angeli Custodis ministerio Liber, Authore P. Ioanne de la Cerda Societate IESV*, in quo nihil animaduertimus fidei orthodoxæ Apostolicæ Romanæ, aut moribus Christianis dissentaneum. Datum Lutetiæ 12. Augusti. 1631.

F. MAVRITIVS BRACHET.

FR. CLAVDIVS COCHET.



SVMMA PRIVILEGII
A CHRISTIANISSIMO ET IVSTO *Galliarum Rege concessi.*



VDOVICI XIII. Galliæ & Nauarræ Regis autoritate sancitum est, & patentibus eius litteris cautum, ne quis in regno ipsius, aliisve locis eius ditione subiectis intra decem proximos annos à die impressionis primæ inchoandos ac numerandos excudat, vendat, excudendum, vendendumque quouis modo & ratione curet librum, qui inscribitur *De Excellentia Cælestium Spirituum, imprimis de Angeli Custodis ministerio Liber, Authore P. Ioanne Ludouico de la Cerda, Societatis IESV*, præter SEBASTIANVM CRAMOISY, Bibliopolam Iuratum Parisiensem, aut illos quibus ipsemet concesserit. Prohibitum insuper eadem authoritate Regia omnibus eius subditis eundem librum extra regni sui limites imprimendum

curare, vel quempiam vbicumque fuerit ad id agendum impellere ac instigare sine consensu dicti Sebastiani Cramoisy, sub pœna confiscationis librorum, aliisue pœnis originali diplomate contra deliquentes expressis. Datum Parisiis 14. Augusti 1631.

Signatum, De Mandato Regis.

PETIT.



PRÆFATIO
AD LECTOREM.



D patrocinium de Angeli Custodis declarandum, non alio vtar procemio, quã Angelorum omnium præstantiam probando, id tantum dicam, vix explicari posse singularem eorum protectionem & solicitudinem, qua nos tuentur & deffendunt ab hostibus inuisibilibus. Itaque B. Aldhelmo iure adnectendum iudicaui, qui de Virginitate agit, cuius virtutis Patroni Maximi sunt Angeli, adeo vt Virgines esse Angelici cœtus iudicentur, vt in vtroque opere satis ostendo Faxit Deus, vt quo animo scripta hæc sunt, eodem recipiantur. vale.



DE EXCELLENTIA COELESTIVM SPIRITVVM:

Imprimis DE ANGELI CVSTODIS ministerio.

De præstantia Angelorum.

CAPVT PRIMVM



AGGRESSVRVS ministerium de ANGELO CVSTODE, præmittam præstantiam Angelorum omnium, incipiens à Sophronio Archiepiſcopo Hieroſolymitano, cuius verba exſtant in encomio ab eo conſcripto de Archangelis & Angelis, nunquam ſatis laudato, in quo mirè laudat Angelos. *O vos reliqui omnes Angeli & Archangeli, cœtus cœleſtis, corona impenetrabilis, phalanx præſtantiſſima, multitudo immenſa, exercitus innumerus, celſitudo inacceſſa, magnitudo*

incomprehensa, chorus incomparabilis, notitia omni indagatione superior, lætitia inexplicabilis, pompa summè admirabilis, quantitas cogitationem omnem excedens, subtilitas mensuram ignorans, agilitas cui alia nulla est similis, ordo infinite multiplex, celeritas infanda, substantia quæ circumscribi nequit, gloria mentis cogitatione comprehendi nescia, vis omni virtute & robore maior. Vos omnium Regis estis administri, vos venti & spiritus, & aqua, & principes, & equi, & exercitus, & Diaconi, & Apostoli, & Prædicatores, & Prophetæ, & Euangelistæ, & rerum diuinarum interpretes, & custodes, & præsides, & conseruatores, & abactores, & conductores, & viæ duces, & inquisitores, & libripendes, & calculatores, & curatores, & illuminatores, opum datores, & luminaria, & lucernæ, & lampades, & montes, & colles, & nubes, & indices, & susceptores, & relatores, & defensores, & decertatores, & propugnatores, & diuina specula, & simulachra, & imagines, & nautæ, & naues, & gubernatores. Vos ij estis, qui cœlum cursu expeditissimo transmittitis; qui motu celerrimo incitatissimóque per aërem discurritis, qui cœlum & æthera repletis; qui nulli non homini custodes & comites adestis; qui Creatoris voluntatem indeflexè perficitis; qui vocem sermonum eius citra intermissionem auditis; qui semper crescitis & proficitis, perpetuáque incrementa sumitis (solus enim Deus est, in quem nulla cadit mutatio) qui cælestia corpora vocamini, qui mentes Deique tabernacula appellamini, qui carbones, & turbines, & flamma nominamini; qui mystæ, mysteriorum-

que interpretes, & omnium Regis amici & musici, necnon sacrorum ministri & diaconi dicimini.

2. Quid ex his non magnum capessis? quid non tibi polliceris? cùm fortissimos habeas, qui tecum & pro te certent aduersum phalangas iniquissimorum spirituum, præsides & conseruatores tuos? in illis fixa esse debet spes tua & firmata, adeò vt nulli venti & turbines possint conuertere fiduciam quam in illis habes. Nonne desperantis est, illos abiicere, quos patronos habiturus es in die iudicij? Idem Sophronius suprà: *Cuius quidem terribili clangore, qui à sæculo mortui fuerant, ex abditis terræ receptaculis resurgent; & terra veluti funda notata è fundamentis mouebitur, & elementa dissoluentur, & Sol atro colore perfundetur, & in cilicini sacci modum obscurabitur; & luna tota in sanguinem conuertetur; & stellæ perinde ac grossus è ficu, dum valida vi venti agitantur, è cælo in terram decident, & vniuersus aër quasi tetris nubibus obductus, in noctem vertetur; & cælũ instar libri inuolutũ è medio facesset: & mons omnis, & vallis, & insula, & ciuitas è sedibus suis emouebuntur; & magnates, & potentes, & duces, & terræ iudices, & reliqui populi humiliabuntur, & quod grauissimorum dolorum & gemituum stridorumque dentium, ac omne genus suppliciorum tempus iam adesse cernerent, quæ timore & horrore exanimabuntur.* Et infrà: *Iterum ô Diuini Spiritus, vos rogatos plurimumque obtestatos cupio, quando in vltimo vitæ meæ hiatu ex luteo hoc vase excedere compellar, vosque*

omnes actiones meas trutinâ expensuri estis, cunctáque quæ vel palam, vel clam designaui, calculaturi, vt tunc vel omnes, vel ij certè, quos Deus ex vestro ordine tum mittet, quo infelicem miseramque animam meam excipiant, placidos clementesque vos mihi exhibeatis, bilancemque quā prauis meis operibus perdite grauaui dexterè subleuetis, eandémque tamquam solius clementis Dei ministri quauis ratione & arte exonerare studeatis.

3. Ita verò laudandi Angeli, vt non dicamus esse creatores animarum nostrarum; id enim blasphemū est, & sanè Manichæorū, & Sabellianorū error est qui dicebāt illos cacasse animas nostras, non Christum Dominum procreasse; de qua re adi Philastrium. Et ista Irenæi l.2. aduers. hæreses: *Qui ab Angelis mundum dicunt fabricatum, vel ab alio quodam mundi fabricatore, præter sententiam eius qui super omnia Pater est, primò quidem ex hoc ipso peccant, præter voluntatem primi Dei talem & tantam conditionem Angelos fecisse dicentes, quasi efficatiores sint Angeli, quàm Deus; aut rursus, quasi ille negligens sit, aut minor existens, aut nullam curam habens eorum quæ in propriis ipsius fiant, vtrumne an malè bene aut fiant, &c.* Habentur hæc c.1. Rursus persequitur rem eandem cap.12. Itaque hoc nihil ad Angelos attinet, cur potiùs creati ipsi fuerint à Deo. Alia nec ergo rimanda est Angelorum præstantia. Quid ergo si ab Angelis hæresiarcha insignis dictus *Angelicus* nomen sumpsit, vt sibi astrueret grande quid? De Angelicis vide longā operam Cornelij in epist.

ad Colloſſenſes cap. 2. Epiphanius enim non meminit, quo auctore ſint Angelici profecti; obſcurum putat, & tantum nomen ad ſe perueniſſe: nam illorum ſecta ad modicum durauit tempus, citiúſque exſtincta eſt. Nam ne quæ eſſent eorum dogmata, tradit ſe habere poſſe comperta; ita enim ait hæreſi 60. Ἀγγελικῶν αἵρεσιν ἀκηκόαμεν, καὶ τὸ ὄνομα μόνον ἐνηχήθημεν, οὐ πάνυ δὲ σαφῶς ἴσμεν τίς ἡ τοιαύτη αἵρεσις, διὰ τὸ τάχα ποτὲ καιρῷ αὐτὴν συστᾶσαν, ὕστερον λῆξαι, καὶ καταλυθῆναι εἰς τέλος. τὸ δὲ ὄνομα διὰ ποίαν αἰτίαν ἔσχεν οὐκ ἴσμεν. ἤτοι γὰρ παρὰ τὸ τινὰς ὑπὸ ἀγγέλων τὸν κόσμον γεγενῆσθαι φάσκειν. καὶ εἰ αὐτὴ τοῦτο θέλουσα τῷ ὀνόματι τούτῳ κέκληται, οὐκ ἔχω λέγειν. ἤτοι διὰ τὸ ἐν τάξει ἀγγέλων ἑαυτοὺς σεμνύνειν, καὶ βίῳ ἐξοχωτάτῳ [illegible], οὐδὲ τοῦτο διαβεβαιοῦμαι. ἢ καὶ ἀπὸ τόπου τινὸς εἰληφότες τοὔνομα, ἐπειδὴ χῶρός τις ἐστιν Ἀγγελίνη ἐπέκεινα τῆς Μεσοποταμίας χώρας κείμενος. *At verò quam ob cauſam id hæreſis nomen accepit, neſcimus: ſiue enim ex eo quòd aliqui mũdum ab Angelis factum eſſe dicunt, & ipſa hoc aſſerens hoc nomine appellata eſt; non poſſum dicere: ſiue quòd ſeipſos in ordine Angelorum eſſe iactant, & vitam eminentiſſimam degant, neque hoc affirmo: ſiue etiam à loco nomen acceperunt: nam locus quidam eſt, Angelina, vltra Meſopotamiam regionem ſitus.* Ego verò ſecundam illius ſententiam veram eſſe affirmo, vt vel hinc Angelorum præſtantiàm probem, cum hæreticis iſtis id ſibi nomen plauſibile videretur, cum mendacio quo imbuti erant: id enim nomen ipſum oſtendit. Sicut & *Angelitæ*, qui dicti ſunt ab Epiſcopo, cui nomen *Angelius*, fortaſſe ab Angelo, vt ſic nobilitaret genus ſuum & hæ

resim; vel si à loco Alexandriæ, locus ipse dictus ab Angelo. Vide Nicephorum libro 18. cap. 59. Sed quid immoror in his hæreticis, cùm illud certum sit plures viros sanctos sibi nomenclaturam Angelorum vsurpasse ab Angelis, adeò illi excellentes fuerunt. Et imprimis cùm in Synodum Gallicanam irent Patres iubente Hormisda Papa, illucque pergeret sanctus Remigius, Hincmarus apud Surium, ait Remigium vti Angelum susceptum in Concilio, his verbis: *Si Synodo Arianus quidam hæreticus, acerrimus disputator, & dialecticis propositionibus ac conclusionibus confisus: & inde nimis elatus intererat. Ingrediente autem sancto Remigio Episcoporum Concilium, à multitudine Patrum expectantium, assurgentibus omnibus reuerenter, sicut Angelus Dei suscipitur. Superbus autem hæreticus, & malè de viro Dei sentiens, dedignatus est ei assurgere. Qui protinus cùm sanctus Remigius ante eum transiit, ita obmutuit, vt nec verbum quidem vllum affari potuerit.*

4. Mitto plures viros egregiè laudatos, qui inde nomen sumpsere, Angelum Notarium, ad quem S. Gregorius Pastoralem reddidit epistolam, vt habetur lib. 2. epist. 39 item Angelum Patriciacum, Ducam Venetiarum, ad quem (auctor est Sabellicus) Leo Imperator misit sacras reliquias. Sed quid alios memoro eius nominis viros, vbi est sanctus Angelus Patriarcha Hierosolymitanus in religionem à puero propensus habitum Carmelitarum induit, ac post annum in montem Carmelum se contuli

r

vbi emiſſa profeſſione de ſuperioris licentia quinquennio vitam ſolitariam & auſteram duxit, aliquot editis miraculis, reuerſus Hieroſolymam, vbi Presbyter ordinatus: inde ad prædicandum in diuerſa loca receſſit. Romam profectus loca ſacra inuiſit, quo tempore etiam SS. Franciſcum & Dominicum, qui ad vrbem venerant, vidit, & allocutus eſt: à quibus illi martyrium etiam prædictum, ipſum verò S. Franciſco ſtigmata prædixiſſe ferunt. Româ diſcedens in Siciliam venit, vbi cum Alicate primùm ſecretò, deinde publicè Berengarium virum præpotentem corripuiſſet, quòd ſororem maximo cum ſcandalo carnaliter cognoſcere non deſiſteret, tantum apud illum offendit (ſoror ad pœnitentiam conuerſa) vt ſanctum virum in Eccleſia Sanctorum Apoſtolorum Philippi & Iacobi concionantem Kalendis Maij manu armatâ hæreticorum aggreſſus, in capite læthaliter vulnerarit: ex quo vulnere Sanctus Angelus (qui ad ſe venientibus ſalutis monita dare nunquam deſtitit) 3 Nonas Maij, anno Salutis 1220. hinc palmam martyrij decoratus in cœlos euolauit. Scio hanc hiſtoriam diuerſam eſſe ab ea, quam ſcripſit Enoch Patriarcha Hieroſolymitanus, de quo vide Gononum.

5. Nec grauabor enarrare vnius Angeli de Victoria Generalis & Monachi Monaſterij Ferrarienſis encomia, qui fuit admodum pius, & in morte miraculis claruit, qui diuitias ſpreuit, ægrotos quotidie inuiſit, pacem inter religioſos coluit, abiecta officia fecit, cuius in morte miracula acciderunt, quæ non

nisi magno in virtutibus viro contingere potuissent, statim cubiculum, in quo decumbebat, cælestis claritatis & splendoris lumine repletum est, quod satis longo tempore durauit. Quod sanè indicium & signum fuit gloriæ, qua beata illa anima iamiam fruitura erat. Eodem tempore fulsit supra domum, vbi sanctus Monachus erat, stella quædam pulcherrima, & splendidissima, quæ plurimos de se radios spargebat, donec sancta illa anima iam discessisset. Post cuius discessum apparere desiit, fuitque visa quibusdam fratribus Augustinianis in vicino monasterio habitantibus. Facies eius serena & rubicunda permansit, vt Angelus videretur, & gratior vultu mortuus quàm viuens esset. Morte eius per loca vicina diuulgata, omnes conuenerunt, & tam sancti viri mortem dolentes, ad cœnobium properarunt, vt corpus viderent & comitarentur ad monasterium vsque, in quo summo cum honore sepultum est.

6. Quid quod Prophetæ Angeli dicti sũt. Tertullian. aduer. Iud. cap. 5. *Sicuti ipse per Malachiam Angelum vnum ex duodecim Prophetis dicit.* Et id creberrimum est & proprium, quando prophetæ nuntiant. Mitto plerumque intelligi Angelos sub Dei nomine. Nihil tritum magis quàm Deum locutum cum Moyse in monte Sina, & id Scriptura testatur; atque ibi Deus, Angelus est, testatore Cyrillo Alexandrino in Prophetam Amos, vbi loquens de Moyse ait: οὗτος ἐστὶν ὁ γενόμενος ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ ἐν τῇ ἐρήμῳ μετὰ τοῦ ἀγγέλου τοῦ λαλοῦντος αὐτῷ ἐν τῷ ὄρει σινᾶ. *Hic est* (scilicet Moyses) *qui fuit in ecclesia in solitudine cum*

Angelo, qui loquebatur ei in monte Sina. Quam explicationem multi Patres ſequuntur, præſertim Auguſtinus,& omnes qui verè ſapiunt. nam id apertè teſtatur Scriptura Act.7. vbi clarè ait Stephanus: *Et expletis annis quadraginta apparuit illi* (Moyſi) *in deſerto in monte Sina Angelus in igne flammæ rubi.* Et Syriacus ita vertit. vbi Angelum dicit, quem *Dominum* vocauit Exodus cap. 3. Et cùm poſteà dicit Stephanus, *Ego ſum Deus patrum tuorum*, &c. eſt vox Angeli, qui Deum ſe vocat;ad quem modum Ambaſſiatores principum vſurpant nomen principis. Ad rem iam. Magna eſt gloria & præſtantia Angelorum,in ipſis nomen Dei latere. Quid ergo mirum ſi lateat nomen Apoſtolorum? nam Apoſtoli dicuntur Angeli; id quod teſtatur Procopius in cap. 54 Iſaïæ, vbi ait: καὶ τῶν ἀγγέλων αὐτῦ, τῶν ἀποςόλων ςήσω τὰ ῥήματα τε καὶ τὴν βυλὴν. *Angelorum eius, id eſt Apoſtolorum eius verba & conſilium firmabo.* Latet itaque nomen Dei, Prophetarum & Apoſtolorum in Angelo. Quanta hæc dignitas?

7. Sed omnem laudem ſuperat Angelorum, velle Deum, cui omnia ſubſunt, velle nominari. quæ enim hæc excellentia illius creaturæ eſt, quam in gloriam illius ſibi vſurpauit Omnipotens? In Eſaïæ enim cap. 9 ſcribitur: *Et vocabitur nomen eius magni conſilii Angelus.* & Malachiæ 3. *Et ſtatim veniet ad templum ſanctum ſuum Dominator, quem vos quæritis, & Angelus Teſtamenti, quem vos vultis.* Vbi omnes Expoſitores de Chriſto intelligunt Dominatore, qui ſolus templum habeat, ad quod venit, vt

contra Iudæos obſeruat Galat. lib. 4. cap. 10. Iuſtinus Martyr dialog. cum Tryphone dictum ait Chriſtum ἄγγελον ἐκ τοῦ ὑπηρετεῖν τῇ γνώμῃ αὐτοῦ, id eſt θεοῦ: *Angelum ex eo quòd ſententiæ illius* (Dei) *adminiſtret*. Procopius in Iſaïam, πῶς ὁ μεγάλης βουλῆς ἄγγελος ἐστὶν, Ιωάννης ἐδήλωσεν λέγων: *Quod magni conſilii Angelus exiſtat, Ioannis teſtimonio patet*. Dicitur autem Angelus Teſtamenti, quia Nouum erat Teſtamentum prædicaturus, ſicut promiſſum fuit per Hieremiam: *Fædus nouum*. Templum autem humanitatem exponit Auguſtinus lib. 18 de Ciuitate cap. 35. & Theodoretus. Porrò Cyrillus vel aſſumptam humanitatem, vel vterum virginalem, vel materialem Hieruſalem. Hieronymus denique per templum Eccleſiam intelligit. Poteſt autem commodè intelligi templum ipſum Hieroſolymitanum, ad quod non ſolùm die Purificationis Mariæ venit Chriſtus. *Quando tulerunt eum parentes eius, vt ſiſterent eum Domino.* Et Angelum illum, qui Iudic. 13 apparuit Manue, etiamſi verus fuerit, cùm Symmachus, teſte Euſebio lib. 7. demonſtrat. 3. vertat, παραδοξασμὸς, quaſi dicat, *paradoxum quiddam*; multi tamen cenſent Chriſtum fuiſſe, inter quos D. Auguſtinus quæſt. 52. 53. 54. Vide Cornelium in cap. 2. Iſaïæ fol. 157. Mitto loca quædam penſitata Iuſtino Martyri dialogo cum Tryphone, quæ accepit de Deo ſub Angeli nomine dicto, *& dixit Angelus Dei in ſomnis Iacob, &c.* & infra idem Angelus ſubdit, *Ego ſum Deus, &c.* Et ſic de aliis. Quid igitur de Angelis dicam, quorum beneficio res omnes, quas

nos homuli ex luto & argilla ficti, tanto cum labore addiſcimus, & ægrè ratiocinando colligimus, illi nullo negotio, nullo temporis interuallo ſagaciſſimè peruident, & impeditos quoſque difficultatum nodos explicatiſſimè diſſoluunt? Quid de illa cognitione matutina, qua modò res in Deo, tanquam in politiſſimi candoris ſpeculo, vegeti coloris flore viuidiùs accenſas, modò in ſe iam remiſſas, & quaſi diluto vigore minùs acres contemplantur? Quid de ipſius cognitionis felici quadam conſtantia, cuius munere contingit, vt eis non minus ab hac intelligentia ceſſare liceat, quàm plantis, aut animalibus ab actus vitalis perpetuo quodam miniſterio? ſiquidem intellectio beatis mentibus pro vita eſt. Iam ſi gratiam ſpectes, quibus ab ipſis ortus primordiis mirificè ſunt nobilitati, cùm rerum molitor *Deus erat in Angelis condens naturam, & largiens gratiam*, vt ait Auguſtinus lib. 12 de Ciuit. cap. 9. Vaſa myrrhea dices, aut cryſtallina ab ipſo vniuerſitatis artifice comparata, & omnibus artis enucleata lenociniis, in quę Diuinitatis riui, tanta & tam inuſitata donorum fragrantia depluerent. Denique ſi gloriam conſiderabis, qui gratiarũ amplitudinẽ eſt conſecuta, totos in Deum videbis amoris ſimilitudine transfuſos atque abſorptos, tum in hoc felicitatis domicilio, fidos terrarum adminiſtros, noſtræ ſalutis propugnatores, depulſos miſeriarum, auſpices felicitatis, duces, altores, pædagogos, & vt ſummatim dicam, amore germanos, ſeruos obſequio, & authoritate patres, vt ait Cauſſinus noſter.

Idipsum firmatur testimonio Chrysostomi, & aliorum Patrum.

CAPVT II.

PRæstantia Angelorum necunde potest probari meliùs, quàm testimonio Chrysostomi serm. 55 de futuræ vitæ deliciis, asserentis Euangelicam vitam, quam Christus plantauit, voce vna dici *Angelicam*, & reverâ Euangelicos Homines dici *Angelos*. Verba eius: Εἶτα ἐπειδὰν ἀόρατα ἦν ἐκεῖνα καὶ νοερὰ καὶ ἐν πίστει καὶ ἐν ἐλπίσιν, ὅρα τί ποιεῖ παραγινόμενος ἐνταῦθα, καὶ τὴν σάρκα λαβὼν τὴν ἡμετέραν, καὶ τὴν θαυμαστὴν ἐκείνην οἰκονομίαν ἐργασάμενος ὑπ' ὄψιν ἄγει τὰ μέλλοντα τὰς παχυτέρας καὶ ταύτῃ πληροφορῶν διανοίας. ἐπειδὰν γὰρ ἦλθε κομίζων πολιτείαν ἀγγελικὴν, καὶ τὴν γῆν οὐρανὸν ἐργαζόμενος καὶ ταῦτα ἐπιτάττων, ἃ τοῖς ἀσωμάτοις ἐξωμοίουν δυνάμεσι τοὺς μετιόντας, καὶ τοὺς ἀνθρώπους ἀγγέλους ἐποίησε, καὶ πρὸς τὰς ἐλπίδας ἐκάλει τὰς ἄνω, καὶ μακρὰ σκάμματα διέτεινε, καὶ ὑψηλότερα ἵπτασθαι ἐκέλευσε, καὶ πρὸς αὐτὰς ἀναβαίνειν τῶν οὐρανῶν τὰς ἁψῖδας, καὶ πρὸς δαίμονας ὑποδύεσθαι, καὶ πρὸς ἅπασαν τοῦ διαβόλου τὴν φάλαγγα παρατάττεσθαι, σῶμα ἔχοντας, σαρκὶ συμπεπλεγμένους καὶ τὰ σώματα νεκροῦν, καὶ τὸν παθῶν ἐξορίζειν τὸν θόρυβον, καὶ τῆς σαρκὸς ἁπλῶς περικεῖσθαι, τὴν ἅμιλλαν δὲ πρὸς τὰς ἀσωμάτους δυνάμεις τείνασθαι. *Deinde quoniam inuisibilia erant illa & spiritualia, in fide atque in spe posita, vide quid agat: cùm huc aduenisset, ac nostram carnem assumpsisset, & mirabilem illam dispensationem perfecisset, futura ponit ob oculos, & hac ratione crassiores mentes securas reddit. Nam*

quoniam conuersationem ac vitæ rationem angelicam afferens veniebat, ac terram in cælum conuertebat, eáque mandabat, quæ similes redderent incorporeis virtutibus eos qui ea perficerent homines reddebat Angelos, ad spem cælestium rerum vocabat, altiùs euolare iubebat, & ad ipsa fastigia cælorum ascendere, aduersus dæmones pugnã inire, contra diuersas diaboli copias aciem eos instruere, qui corpus habebant, & cum carne copulati erant, mortificare corpora, ac perturbationum tumultum ablegare, & corpore vtcumque esse circumdatos, cæterùm cum incorporeis virtutis certatim contendere. Hactenus ille. Similiter homil. 35 in Iudæos, dicit: *Illi qui vitam Angelorum ostenderunt.* Dixi Euangelicos homines dici Angelos: quid si addam sermonem Dei dici Angelum? Hoc astruit Cyrillus Commentariis in Oseam, cùm inquit: ἐν ἤθει γὰρ τοῖς ἁγίοις προφήταις ἄγγελον ἀποκαλεῖν τὸν τοῦ θεοῦ λόγον, ὡς ἀπαγγέλοντά τε αὐτοῖς, καὶ ἐναργῆ καθιστῶντα τὴν βούλησιν τοῦ θεοῦ καὶ πατρός: *Consueuerunt quippe sancti Prophetæ, Dei sermonem appellare Angelum, vtpote annuntiantem ipsis & manifestantem voluntatem Dei Patris.* Et sic explicat illud Zachariæ, καὶ ἀπεκρίθη ὁ ἄγγελος ὁ λαλῶν ἐν ἐμοί. *Respondit Angelus loquens in me*, id est, sermo Dei loquens in me.

Eodem pertinent quæ in vitis Patrum leguntur de quodam sene lib. 10. cap. 194. qui morabatur in Scithi, qui monachum iuniorem reprehendit, vbi sic ait: *Senex quidam morabatur in Scithi: hic die quadam venit Alexandriam, vt opus manuum suarum venderet, viditque ibi iuniorem monachum ingressum esse cauponam. Quæ*

ex re ſenex vehementer afflictus, manebat foris expectans, donec egredienti iuueni colloqueretur. Quod & factum eſt. Mox enim vt egreſſus eſt iuuenis, tenuit illum ſenior per manus, & ſeorſum illum ducens, dixit ei: An neſcis, domine frater, quia habitum Angelicum fers? ignoras quia iuuenis es? Non noſti quia multi ſunt inimici noſtri laquei? Neſcis quia & per oculos, & per aures, & per figuras varias, & habitus monachi in ciuitatibus læduntur? Tu autem in cauponas ingrederis, & quæ non vis audis, & quæ ſunt noxia vides, inhoneſtisque & viris & mulieribus coniungeris. Noli itaque, fili mi, noli obſecro ſic agere, ſed fuge in eremum, vbi cum Dei adiutorio ſaluari potes. Reſpondit ei iunior: Perge ſenior: Deus non quærit niſi cor mundum. Tunc expandens in cælum ambas manus ſuas ſenex ait: Gloria tibi Deus; ecce enim ego habeo in Scithi annos quinquaginta quinque, & mundum cor non habeo; hic autem in tabernis conuerſans cordis munditiam poßidet.
Vocat habitum monachi Angelicum, quod conforme Chryſoſtomo, qui vitam Euangelij Angelicam vocauit. Laudo itaque Gentianum, qui procul dubio ex hac nota, quod Balſamon in ſynhodum Conſtantinopolitanam dixit, τοῦ μοναχικοῦ σχήματος, ipſe reddit, *Angelico habitu dignus*, & ſermo eſt de habitu, quem induit, cum quis init religionem.

3. In vita Sanctæ Mechthildis ex antiquiſſimo Codice Bibliothecæ celeberrimæ narrat Benedictus Gononus lib. 4. hunc in modum: *D infirmis maxima erat illi cura, ita quod nunquam in tantum poterat occupari, quin eas quoti*

die singulas visitaret, & si quid opus illis esset, solicite interrogaret, propriis etiam manibus eis ministerium exhibens tam ad recreandum quàm ad pensandum & in senectute & infirmitate adhuc se ad infirmas portari faciebat, & aliquando non valens loqui gestu & nutibus tam fidelissimum eis prætendit compassionis affectum, vt plurimos ad fletum commoueret. Ad qualibet vilia opera, & maxime ad communes labores, sororibus se frequẽter sociabat: quandoque prima, immò sola laborabat, quousque subditas induxit, vel magis exemplo, vel blandis verbis ad se iuuandum allexit. Ipsa etiam more Archangelorũ multorum interuentrix ad Deum fuit, & eorum pia ad ipsum adiutrix. Vbi Archangelos nominat vt potuisset Angelos, & vniuersas virtutes cæli.

4. Quid quod ad Angelorum præstantiam celebrandam plurimum facit multitudo templorum, quæ sub Angelorum nomine sparsa per vniuersam Ecclesiam. Quam ad rem reperi lib. 1. Casinensis Chronici cap. 39. id quod mihi admirationem attulit, in breui scilicet tractu tot Ecclesias constitutas, vt *S. Angeli ad Barragiũ, S. Angeli in Alba, S. Angeli in Carzelo, S. Angeli ad aquam viuam, S. Angeli ad Floretum, S. Angeli in Axentio, S. Angeli de Stabulo, S Angeli de Filtriano.* Et omnes has Ecclesias sub Angeli dumtaxat nomine constitutas, de Angelo custode intelligendæ sunt, vt videas quot patronos habeas ad tui defensionem, & quanto in precio sint apud omnes Gentes, quibus solis erecta tot templa: ego enim illius breuis tractus Ecclesias memoraui.

5. Præstantia horum spirituum rimanda etiam ab *Angelica* herba, cui id nomen ab Angelis traditum, de qua ait Matthiolus: *Venenis mirificè aduersatur, quare pestilentiam arcet hausta, aut frequenter commansa.* Venenosi dæmones nos vndique perturbant & proturbant, contra quos nihil validiùs quàm sanctorum Angelorum memoria intra animam nostram recondita, & sæpius repetita; timent enim procacissimi semel deiecti in infernum deiectores suos, fugiuntque ab illis.

Christus Caput Angelorum.

CAPVT III.

1 NVNC separatim dicendum erit de Angelis, & in primis de capite ipso, quod Christus est, talia verò erunt membra, quale caput. Atque vt caput alicuius corporis esse nequit, cuius membra membris vnita & compaginata non sunt: ita Christus non priùs corporis Ecclesiæ caput euasit, quàm ea quæ in terris sunt, membra, iis quæ sunt in cælis adnecteret, & ex hominibus Angelísque corpus vnum efficeret. Itaque Christus coëuntium mẽbrorum, non modò Iudæorum & Gentium; sed Angelorum, & hominum factus est. Quod pulchrè inter alios Philo descripsit in lib. de Somniis, & bellis aurigæ, & naucleri metaphoris illustrauit: *Somnium demonstrabat innixum vertici scalæ principem Angelorum Deum. Credendum est enim sicut in curru aurigam, aut in naui*

in naui gubernatorem, ita rebus omnibus superstare eum, Qui est. Totum enim ille mundum à se pendentem regit.

Augustinus tom. 10 idipsum ostendit elegantissimè, cùm sub Angelorum nomine intelligit Apostolicos viros, & Ecclesiæ Doctores, quos tamen Angelos nominat sic: *Scala vsque ad cælos attingens, crucis figuram habuit: Dominus innixus scala, Christus crucifixus ostenditur: Angeli ascendentes, & descendentes per eam, Apostolici viri, & omnes Doctores Ecclesiarum intelliguntur; ascendentes quando perfectis perfecta prædicant; descendentes quando paruulis & imperitis, simplicia quæ intelligere possint, insinuant.* Et idcirco, vt ad veros Angelos veniam, Christus dictus est non solùm caput, sed quod ad ipsum omnes inclinarent genu. Ad Philippenses: *Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur cælestium, terrestrium, & infernorum.* Vbi cælestium nomine intelligit curiam cælestium Angelorum. Inde est illud Matthæi cap. 4. *Accesserunt Angeli, & ministrabant ei.* vbi gratulantur & plaudunt, ministrantes aspectabili forma, dapes adferunt, alia exhibent obsequia, non quòd ille alieno ministerio egeret, sed quòd obseruare Dominum illi debebant, vt caput suum. Cùm enim humana solatia deessent, Deus cælestes exercitus misit illi ministraturos.

3. Vnum aut alterum auctorem afferam, constituentium Christum Angelorum caput. Iaco-

bus Christopolitanus Episcopus in psal. 81. ad illa verba, *Surge Deus, iudica terram,* sic ait: *Potuit Diabolus appetere imperium vniuersi, & sedere à dextris Dei in potioribus bonis gloriæ, contra voluntatem Dei, qui solum Christum prædestinauerat ab æterno, vt non solùm per personalem vnionem, sed etiam per mortem, & paßionem, illam celsitudinem mereretur, scilicet imperium mundi, & vt esset triumphator, & redemptor. & glorificator generis humani. Supradictam ergo celsitudinem & imperium appetiuit Lucifer: vidit enim solium, & sedem præparatam super totam naturam Angelicam, pro Christo homine absque hoc quod sciuerit mysterium paßionis Christi, & redemptionis humanæ, sed non ignorauit mysterium Incarnationis & exaltationis humanitatis Christi: & sic habuit occasionem peruersè appetendi.* Adiungitque vt rem clariùs explicet, quod aliorum etiam idẽ sentientium sensu confirmat, quod *ab initio omnibus Angelis fuit lex posita, qualiter Deus præparauerat illam sedem pro Christo homine, à Verbo personaliter assumendo; cui tradendum erat vniuersi imperium, iubente Deo, vt omnes Angeli & creaturæ obedirent, & simul cum Verbo eum adorarent* (vt sic quod Paulus refert) *& adorent eum omnes Angeli Dei) cui legi Lucifer cum suis sequacibus renuit obedire; imò solium Christi tentauit vsurpare: & ideò cecidit.* Lactantius lib. 2. cap. 17. *Neque Angeli cùm sint immortales, dici se Deos aut patiuntur, aut volunt, quorum vnum solidum officium est, seruire nutibus Dei, nec omnino quicquam nisi eius iussu facere.* Nec adueniet Christus iudicaturus cum Angelis omnibus tanquam

eorũ caput, quod Iustinus Martyr sedulò astruit Apolog. 2. pro Christianis : ὅταν μετὰ δόξης ἐξ οὐρανῶν μετὰ τῆς ἀγγελικῆς αὐτοῦ στρατιᾶς παραγενήσεσθαι κεκήρυκται. *Quando e cælis cum gloria & Angelica militia sua aduenieт aderitque sicut prædictum est.*

4. Deinde affero Gregorium Nyssenum contra Eunomium orat. 10. καὶ τάχα μοι τὸ τοιοῦτο πάθος τῆς ψυχῆς οὐκ ἀσύγγνωστον. τίνι γὰρ οὐκ ἂν ἐκ τούτων ὁ θυμὸς ἐπιζέσειε; τοῦ μὲν ἀποστόλου πᾶσαν ἀγγελικὴν φύσιν ὑποχείριον εἶναι τοῦ κυρίου βοῶντος, συμπαραλαμβάνοντος δὲ εἰς μαρτυρίαν τοῦ δόγματος, καὶ τὴν προφητικὴν μεγαλοφωνίαν. ὅταν γάρ φησι, εἰσαγάγῃ τὸν πρωτότοκον εἰς τὴν οἰκουμένην, λέγει, καὶ προσκυνησάτωσαν αὐτῷ πάντες ἄγγελοι αὐτοῦ, καὶ τὸ ὁ θρόνος σου ὁ θεὸς εἰς τὸν αἰῶνα τοῦ αἰῶνος. καὶ τὸ, σὺ δὲ ὁ αὐτὸς εἶ καὶ τὰ ἔτη σου οὐκ ἐκλείψουσιν. πάντα πρὸς ἔνδειξιν τοῦ μονογενοῦς Θεοῦ ταῦτα τοῦ ἀποστόλου διεξιόντος τί πάθω τὸν τῶν ἀγγέλων κύριον ἄγγελον εἶναι παρὰ τοῦ χριστομάχου ἀκούων, οὐ κατὰ τὸ συμβὰν τὸν τοιοῦτον ἀπορρίψαντος λόγον, ἀλλ' ἐναγωνιζομένου τῇ ἀτοπίᾳ. *Ac mihi fortasse talis animi perturbatio non venia indigna videtur. Cui enim ex his ira non incanduerint? præsertim cùm Apostolus omnem Angelicam naturam Domino mancipatam esse clamet: ad testimonium dogmatis assumens propheticam altiloquentiam. cum enim ait primogenitum in orbem terrarum inducit, dicit, & adorabunt eum omnes Angeli eius: & illud, Thronus tuus Deus in seculum seculi: & hoc, Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient. omnia ad demonstrationem vnigeniti Dei hæc cùm Apostolus recenset, quid patior cum ex Christi hoste Angelorum Dominum Angelum esse audio, qui non temere & fortuito talem sermonem proijciat, sed qui in absurditate anxius laboret.*

5. Cyrillus Alexandrinus lib. 1. Glaphyrorum Christum Iesum vocat τὸν ἐπιστάτην, id est Angelorum *præfectum*; sic enim ait: ἐπεστήρικτο δὲ τῇ κλίμακι χριστὸς, ὡς μέχρις αὐτοῦ φθανόντων τῶν ἁγίων πνευμάτων, καὶ αὐτὸν, ἐχόντων τὸν ἐπιστάτην. οὐχ' ὡς ὄντα καθ' αὐτά, ἀλλ' ὡς θεὸν καὶ κύριον: *Firmatus autem super scalam Christus veluti ad ipsum vsque pertingentibus sanctis spiritibus, ipsumque habentibus præfectum, non vt existentem ad ipsos, sed vt Deum ac Dominum.* Anastasius Presbyter in lib. de hominis creatione à Deo ad imaginem & similitudinem suam dicit Christum collocatum in altiore gradu honoris quàm Angeli, quæ eo pertinent vt intelligamus Christum esse illorum caput. verba eius: εἰ δὲ καὶ ἐλαττοῦται ὁ ἄνθρωπος μετὰ τὴν παρακοὴν βραχύ τι παρ' ἀγγέλους ὡς θνητὸς γεγονώς. ἀλλ' ὅμως τετίμηται πολύ τι παρ' ἀγγέλους διὰ τῆς τοῦ θεοῦ λόγου ἐν αὐτῷ καθ' ὑπόστασιν ἑνώσεως: *Si verò post prauaricationem paulò minor est Angelis homo, vt mortalis factus, vnione tamen hypostaticâ Verbi Dei, cum eius natura, altiore in gradu honoris quàm Angeli collocatus est.* Conformis vtrique S. Chrysostomus serm. in Ascensione Domini, qui sermo habetur inter opera Sancti Gregorij Thaumaturgi: *Ascendit super Angelos, præteriuit Archangelos, superauit Cherubim, ascendit super Seraphim, prætergressus est Potestates, nec prius substitit, quàm thronum ipsum Domini comprehendit.* Hinc est, vt S. Angeli diuinis laudibus Christum cumulent, atque se totos illius cultui cōsecrantes propter beneficium gloriæ sempiternæ, immensis supremisque subliment honoribus. Inde Angeli visuntu assidere sepulcro, licèt vacuo iam, Domini sui

etenim ex quo receperat Dominum, multùm honoris acceperat, quod Chrysostomus asserit orat. in appellationem cœmeterij, καὶ ὅμως ἐπειδὴ ὅλως ἐδέξατο τὸ σῶμα τὸ δεσποτικὸν, πολλὴν ἀπονέμουσι καὶ τῷ τόπῳ τὴν τιμὴν, hoc debitum Christo Deo, vt capiti Angelorum.

6. Certè Angeli (vt obseruarunt viri doctissimi) ab eo tempore quo Christus natus est, illorum caput, adorari nunquam voluerunt in Scripturis sanctis, cùm ante eum se adorari permitterent. Ioannes enim in Apocal. cap. 19. cùm vellet vnum adorare, statim ille ad Ioannem: *Vide ne feceris, conseruus enim tuus sum, & fratrum tuorum.* Ambrosius in hunc locum ita ait: *Redemptio siquidem sanguinis Christi hoc fidelibus contulit, vt filij Dei, socij Angelorum efficerentur. Ideo pertimescit Angelus adorari ab homine, qui super se adorabat hominem Deum, quapropter conseruum se Ioānis cæterorumque fidelium vocabat.* & S. Gregorius hom. 8. Euang. *Quid est quod ante Redemptoris aduentum Angeli ab hominibus adorantur, & tacent: & postmodo verò adorari refugiunt? Nisi quod naturam nostram, quam prius despexerant, postquam hanc supra se assumptam conspiciunt, prostratam sibi videre pertimescunt: Nec iam sub se velut infirmam contemnere ausi sunt, quam super se videlicet in cæli rege venerantur. Nec habere dedignantur hominem socium, qui super se adorant hominem Deū.* O magna ab incarnato Dei Verbo hominibus collata fœlicitas & gloria! O vnitas Dei cum homine mirabilis! quæ Ecclesiasticæ Monarchię, in qua fidelis homo viuit, excellentiam pulchritudinemque supra gradus Angelicæ dignitatis

multiplici consideratione sublimauit.

7. Inde ergo Angelici spiritus omnes tam proni sunt in laudando Deo suo capite, vt nihil illis familiarius existat. Angeli enim, vt ait Socrates lib. 6. nos docuerunt psallere cantionem illam *Sanctus, Sanctus, Sanctus*. Quin cùm Constantinopoli Ariani odas suæ hæreseos canerent, sanctus Ioannes Chrysostomus instituit, vt orthodoxi ex aduerso canerent Trisagion, & homousion, idque alternatim, vtí in choro fit. Subdit deinde Socrates: *Dicendum autem & hoc, vnde consuetudo responsoriorum hymnorum in Ecclesia initium cepit. Ignatius Antiochiæ Syriæ tertius ab Apostolo Petro Episcopo, vnà cum Apostolis aliquando conuersatus, visionem Angelorum per responsorios hymnos S. Triadem laudantium vidit, & modum visionis Antiochenæ Ecclesiæ tradidit; vnde & ad omnes Ecclesias ista traditio manauit. Et hæc est ratio hymnorum responsoriorum*: id est, eorum qui alternè canuntur per antiphonas, vti fit in choro. S. Ignatius ergo est author psalmodiæ alternæ siue chori. Inde Angeli (ait Agobardus Episcopus in lib. de picturis & imaginibus, sumpsit que ex Augustino lib. 3. de Ciuitate Dei) summoperè renuunt sibi ipsis offerri sacrificium ab hominibus, sed soli Deo, cuius sunt membra. Probat deinde, dicens: *Putauerunt quidam deferendum Angelis honorem vel adorando, vel sacrificando, qui debetur Deo; sed eorum admonitione prohibiti, iussique sunt hoc ei deferre, cui vni fas esse nouerunt* Et paulò antè dixit: *Tunc nobis fauent, nobisque congaudent, atque ad id ipsum nos pro viribus adiuuant Angeli quique, virtutesque*

superiores, & ipsa bonitate ac pietate potentiores. Si autem illis hæc exhibere voluerimus, non libenter accipiunt; & cum ad homines ita mittuntur, vt eorum præsentia sentiatur, apertissimè vetant. Et nota Agobardum dicere, *honorem qui debetur Deo, Angelis non dandum.* De alio autem honore & cultu qui debetur Angelis, suo loco dicemus.

8. Hinc facilè colligimus seruos Christi fuisse Angelos, vt S. Leo in serm. 2. de Ascensione Domini inquit, Qui ab annunciatione Virginis voluit probare illos optimè ministrasse Christo: *sicut enim concipiendum Christum de Spiritu Sancto beatæ Virgini Angelus nunciauit: sic & editum de Virgine vox cælestium; pastoribus cecinit: sicut resurrexisse à mortuis, supernorum nunciorum prima testimonia docuerunt: sic ad iudicandum mundum in ipsa carne venturum, Angelorum officia prædicarunt, vt intelligeremus, quantæ potestates sint adfuturæ cum iudicaturo, cui tantæ ministrauerunt etiam iudicando.* Debemus Angelis ista omnia officia, quæ Seruatori Christo contulerunt. Sed nullus melius Sanctissimo Cypriano serm. de Ascens. Christi, istud officium Angelorum explicuit, cum ait: *Non indiguit vectoribus Angelis, qui offendicula tollentes e medio, ferrent eum in manibus, sed præcedentes & subsequentes applaudebant victori, & concinentes in iubilatione modulabantur canticum nouum; & implebat cælos consonãtiæ illius harmonia: Thronis & Dominationibus parantibus Filio iuxta Patrem consessum; Cherubin & Seraphin pedes pacificos ambientibus, radiantibus vndique diuinis claritatibus; & splendoribus supercælestibus; quos nec ardor perseuerans*

consumit, nec turbinis alicuius afflatus extinguit, nec interpolatio caliginis vllius abscondit. Celebrat tanti triumphi magnificentiam lætabundus cælestis exercitus; & qui descendenti coram pastoribus Betbleemitis decantauerunt in sublimi præconia; modo expressioribus conatibus, & intensioribus iubilis reuertenti ad Patrem solemniora obsequia impendebant, & festiuis affectibus venerabantur hominem supra se sublimatum, quem gloria & honore coronauerat Pater, ad dexteram suam collocatum: hoc dato ei priuilegio singulari, vt in nomine eius omne genu flecteretur, & super omne nomen, eius nomen excellentius coleretur.

9. Quid verò de obsequio, & reuerentia dicam quam sancti Angeli exhibent Christo, præsertim cùm de eius humanitate loquuntur: vix enim credas quàm supplices, quàm humiles, quàm obsequiosi. Petrus enim Chrysologus Serm. 74. de resurrectione Christi, explicans ea verba, *Angelus enim Domini descendit de cælo, & reuoluit lapidem*, de hac reuolutione, quam Angelus fecit, sic ait: *Non dixit voluit, sed reuoluit lapidem, qui aduolutus probauit mortem, & reuolutus extitit resurrectionis assertor. Beatus lapis qui Christum & reuelare meruit & velare: Beatus qui non minus corda aperit, quàm sepulchrum: Beatus qui dat resurrectionis fidem, fideique resurrectionem, qui diuinam carnem resurrexisse testatur. Mutatur hîc ordo rerum: mortem non mortuum deuorat hîc sepulchrum, domus mortis mansio fit vitalis, vteri noua forma mortuum concipit, parit viuum.* Quid dicam de gratulatione illa, qua Domino blandiuntur de oue perdita sermone 168. *Congratulantur*

& congaudent Christo Angeli super ouis dominicæ reditu, nec indignantur in toto sibi præsidere solio Maiestatis, quia de cælestibus inuidia cum diabolo fuerat iam fugata: Nec poterat per agnum qui peccatum mundi tulerat in superna, amplius inuidiæ penetrare peccatum. Quid dicam de epulis illis, & conuiuio, quod appararunt Regi suo & Capiti, cùm illi ministrarunt in deserto? habemus domi nostræ tabulam, in qua mirè describuntur omnia: Angeli ministrant, manibus aquã præbent, & reliqua obeunt, quæ in conuiuiis comparari solent. Nonne illa ex obsequio præbent suo Capiti & Redemptori? Vberrimam materiam omitto; si quis enim consideret (nihil enim sunt Angeli sine Redemptore Christo, quem adorant, colunt, obsequuntur.

Omnes Angeli qui aßistunt, mittuntur in salutem hominum.

Caput quartum.

1. Hic quæstio se offert tractanda, an Angeli qui assistunt coram Domino in cælis, mittantur etiam ad nostram salutem, quod ad Hebræos 1. Paulus indicat: *Nonne omnes sunt administratorij spiritus, in ministerium mißi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis.* In hac quæstione ego pauca ad controuersiam; nam in eo sum, vt voluntatem inflammem in obsequiũ Angelorum sanctorum. Quæstio igitur est, an omnes Angeli qui assistunt coram Domino, sint etiam administratorij spiritus, & vere ad nos mittan-

tur. De quo sunt duæ contrariæ sententiæ, prior est Dionysij Areopag. qui lib. de cælesti Hierarchia cap. 13. de suprema Hierarchia, in qua sunt Throni, Cherubin & Seraphin, nunquam ad homines quemquam mitti mordicus tenet. Vnde locum Apostoli præallegatum explicat, omnes esse ad ministerium missos salutis, non tamen ad homines, sed supremos quidem ad medios, rursus verò medios ad infimos, infimos verò ad homines destinari, qui sūt infimæ Hierarchiæ. quod si apud Isai. Seraphin missus ad prophetam legatur, infimi illum ordinis fuisse dicit, functum verò munere supremi. Eandem sententiam tuetur Damasc. lib. 2. de fide, loco citato cap. 3. & Greg. homil. 34. & S. Thomas 1. part. & pars Scholasticorum, maxime recentiorum. Dionysius itaque cap. 7. de cælesti hierarchia ita ait: *Id diuina & æterna lege atque ordine sancitum est, vt per prima secundis, diuini fulgoris radius influat, &c. videlicet vt à superiorum ac præstantia naturali alijs priorum Angelorum luce mystica ad inferiores Angelos illuminatio deriuetur. Quo postea ab his ad homines fluxu salutari redundet.* & infra sic ait: *Illud Theologi apertius indicant, inferiores scilicet cælestium spirituum ordines à superioribus diuinorum operum scientiam honestissima discere: qui vero celsiores omnibus sunt, à Deitate ipsa vt fas est, seorsim sacratius erudiri.* & Gregorius lib. 17. cap. 9. Moral. *Aliud est assistere, aliud ministrare: assistunt illi qui ad quædam hominibus ministranda non exeunt: ministrant verò hi qui ad officia nuntiorum veniunt.*

2. Cæterùm alia sententia est prædictæ contraria, de omnibus interdum ordinibus, spiritus

Angelicos ad homines in terram mitti. Quæ ſententia Scripturis ſacris magis conſona eſt, & ſanctis Patribus frequentior, & rationi congruentiſſima. Primum enim omnium præter teſtimonium Apoſtoli Hebr. 1 ſupra citatum vrget locus Iſai. cap. 6. de Seraphin miſſo ad purganda labia Iſaiæ. Quorſum enim inferior functurus erat officio Seraphin? & ſi fungeretur, quid opus erat illo nomine appellari? Sed clarè dici, miſſum eſſe à Seraphim, ſicut apud Zachar. legimus ſuperiorem Angelum inferiori dixiſſe: *Loquere ad puerum iſtum: abſque muro habitabitur Hieruſalem.* Cum ergo ſit conſuetudo Scripturę explicare quando vnus Angelus ab alio mittitur, quorſum præſumere debemus dicere quod Scriptura non dicit? Præterea ad Ezechielem miſſi ſunt Cherubin vt habetur expreſſe, quis ergo dicat, hos fuiſſe angelos infimos, cùm Scriptura dicat, fuiſſe Cherubin, & eos tanquã excelſos exaggeret ſuper alios. Præterea Raphael ad Tobiam miſſus dicitſe eſſe de aſtantibus principibus, & Michael ad Eccleſiã ſæpius miſſus de primis principibus eſſe legitur. Itẽ Gabriel ad Mariam miſſus, codẽ cap. miſſus fuiſſe quoque narratur ad Zachariam, cui dicit: *Ego ſum Gabriel, qui aſto ante Deum.* Præterea antiqui patres ſummæ auctoritatis noſtram ſententiam aſſerunt. Cyprianus enim in præfatione ſeu argumento ad Cornelium Papam, ſic ait: *Itaque qui circa ipſum ſunt Angelici ſpiritus, licet inuiſibilis naturæ ſint, in legationibus tamen ſuis ſe auditu manifeſtant & viſu; & ſalutis noſtræ miniſteriales ſæpiſſimè experimur, quorum officia & nomina in Scripturis ſanctis habentur. Illa qui-*

dem superiora agmina nobis prædicant, non indicant Deum: & nunciant quæ iubentur, specialitatem iniuncti negocij peragentes, non vniuersitatis explicantes scientiam: quia ad nos numerus, & mensura, & pondus refertur.

3. Origenes in Philocal. cap. 22. οἱ μέν τοι ἱεροὶ ἄγγελοι τὰ λειτουργικὰ πνεύματα τὰ εἰς διακονίαν ἀποστελλόμενα, εἰκὸς ὅτι ὡς ἀπὸ νόμου Θεοῦ γεγραμμένα τὰ προστάγματα λαμβάνοντες τεταγμένως καὶ ὅτε δεῖ, καὶ ὡς δεῖ, καὶ ὅσον δεῖ ποιοῦσι τὰ κρείττονα. *Sacri autem Angeli, administri spiritus & in ministerium emissi, certe tanquam à Dei lege accepta mandata, recte & ordine, quando & quomodo, quantumque oportet meliora faciunt.* Primasius in epist. ad Hebr. idipsũ asserit, & adducit pro se Didymum, asserentem in libro de Spiritu Sancto, ex omnibus ordinibus cælestium dignitatum mitti, & probat ab Isaïa, ad quem missus est vnus de Seraphim, & ex aliis.

4. Augustinus lib. 2. meditat. cap. 3. sic intellexit locum Apostoli cùm ait: *Ipsi Angeli in quibusdam Scripturæ locis nobis seruire dicuntur, dum propter nos in ministerium mittantur. Vnde Apostolus ait, Quoniam omnes administratorij Spiritus sunt, missi in ministerium propter eos qui hæreditatem capiunt salutis. Neque id incredibile cuiquam videatur, quandoquidem ipse Creator, & Rex Angelorum venit, non ministrari, sed ministrare, & dare animam suam pro multis.* & statim: *De excelso igitur cælorum habitaculo ad consulendos, visitandos, & adiuuandum nos attrahit supereminens charitas Angelos: propter Deum, propter nos, propter seipsos. Propter Deum vtique cuius tanta er-*

ga nos pietatis viscera, ipsi quoque vt dignum est imitantur. Propter nos, in quibus nimirum propriam similitudinem admirantur. Propter seipsos, quorum ordines instaurandos ex nobis toto desiderio præstolantur.

5. Quid obsecro in Cant. scribitur: *Quid videbis in Sulamite, nisi choros castrorum?* Hoc igitur in Ecclesia proponitur mirum, quod Angelorum eam exercitus ordinate custodiat, distributus, videlicet, in diuersas quasi centurias, vt diuersis Ecclesiæ partibus præsto adsint. Quid videbis in Sulamite, nisi choros castrorum? leui, scilicet, armatura promptos, vt choraulos scenicos, ac proinde cum voluptate custodientes Ecclesiam, ac si choros ducerent, & forte ipsum ascendere ac descendere, crebrique inter se transcursus, aliud non fuerit quàm choreas agitando, Ecclesiæ tractare negotia. Certe quidem Nyssen. Greg. in tractatu de vita Moysis, allegoricè explicans veteris tabernaculi instrumenta, ac illud expendens, quomodo singulis ansulæ ex auro factæ idcirco aptatæ fuerint, vt attolli facile, ac deponi possent, eas ipsas ansulas interpretatur Ecclesiæ militantis (quæ vel ob id tabernaculum dicitur) custodes Angelos, vt eorum sit officium cum his ascendere, cum illis descendere, eleuando alios ad Dei contemplationem, deponendo alios ad proximorum curam, vt cum hoc recte congruant ascendentes, ac descendentes Angeli per scalam mysticam, hoc est, Ecclesiam.

6. Proferam testimonium ad id ipsum probandum euidentissimum, quod habetur capite tertio Gen. *Collocauit ante paradisum voluptatis Cheru-*

bin, & flammeum gladium, atque versatilem, ad custodiendam viam ligni vitæ. In primis dicitur Cherubin missum, qui est ex astantibus Angelis. Hic dicitur fuisse quoque Angelus Sancto Augustino lib. 11. de Genes. ad litteram cap. 40. Eucherio lib. 1. in Genes. cap. 30. Chrysostomo homil. 18. & alijs. & ratio est, quia verba Scripturæ proprie sumenda sunt, quam proprie accipi possunt, præsertim in narratione historica, vt est communis Patrum ac Theologorum sententia: Sed verba Mosis sine vllo incommodo possunt proprie accipi pro veris Angelis Cherubinis, ergo sumenda sunt: nam si non sumantur pro Angelis, quid quæso intelliges per Cherubinos? an horribiles quasdam formas animalium, seu spectra, quæ ad terrendum Adamum fuerint ante paradisum collocata? hoc enim sensit Theodoretus quæst. 40. in Genes. & Procopius Gazæus in cap. 3. Genes. quod sane ridiculum est, rectiùs verus Angelus intelligitur, qui in assumpto corpore tenebat gladium ad terrendum & arcendum Adamum, ne in paradisum, à quo expulsus erat, reuerteretur.

7. Sed & ex nouo testamento addam illud Lucæ secundo: *& subito facta est cum Angelo multitudo militiæ cælestis laudantium Deum & dicentium, Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Hîc multi docent, omnes Angelos de cælo descendisse, & Christum natum in terris adorasse. Hoc enim illis à Deo præceptum fuisse testatur Proph. Dauid psal. 96. *Adorate eum omnes Angeli eius.* & in natiuitate Christi fuisse impletum, significat D. Paulus ad He-

bræos. *& cum iterum introducit Primogenitum in orbem terræ, dicit, & adorent eum omnes Angeli Dei.* Bis enim introductus est Christus in orbem terrarum. Primo, per incarnationem: secundo per Natiuitatem: & hoc significat illa particula *iterum.* Cum ergo secundo introductus est, venerunt omnes Angeli de cælo, & iacentem in præsepio adorauerunt.

8. Lucæ addi potest Sanctus Matthæus 25. *Cum venerit filius hominis in maiestate sua, & omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem Maiestatis suæ.* Ex hoc loco certum est, omnes Angelos cum Christo venturos ad Iudicium, non solùm ex inferioribus, sed etiam superioribus ordinibus. Et quare omnes? Quia omnes Christi ministri sunt. Itaque sicut regem in publicum alicuius magnæ rei causa procedentem, omnes eius ministri prosequuntur: ita omnes Angeli Christum ad iudicium venientem comitaturi sunt. Addit Chrysostomus, omnes fore testes actionum eorum qui iudicandi sunt; quia omnes, inquit, sunt administratorij spiritus in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capient salutis. Appone istis eundem Chrysostomum orat. in Parasceue, de timore Angelorum: Tum Virtutes cælorum commouebuntur. *Angelos & Archāgelos, & omnes illos inaspectabiles Potestates intelligēs. Tremor enim illos apprehendet, multosque timor & horror. At cuius gratia, dic quæso, etiam Potestates illæ timore percelluntur? Meritò. Terribile est illud tribunal. Vniuersa hominum natura tunc iudicabitur, & rationem reddet. & terribili tribunali assistet. Cur autem & Angeli tunc tre-*

munt, & incorporeæ illæ Virtutes formidant? Neque illæ iudicabuntur. Quemadmodum iudice nocentes condemnante, & in excelso solio considente, non solùm sontes, sed & qui circumsistunt, nec quidquam mali sibi conscii sunt, nihilominus timent, & horrescunt formidine iudicis; ita & tunc cùm natura nostra iudicabitur, & rationem ob commissa piacula reposcetur; etiam illi qui nihil sibi consciunt, Angeli & reliquæ Virtutes metuunt & tremunt propter minas Iudicis. Sed iam ad rem.

9. Mitto Gregorium Nazianzenum lib. 2. suæ Theologiæ, qui Ezechieli, & Isaiæ, huic Seraphin, illi Cherubin missos affirmat. Sed non Hieronymum in Epistola ad Damasum de Visione Isaiæ ita dicentem. *Quidam Græcorum apprimè in Scripturis eruditus, Seraphin virtutes quasdam in cælo esse exponit, quæ ante tribunal Dei assistentes laudent eum, & ad diuersa ministeria mittuntur, maximè ad eos, qui purgatione indigent.* Idem tenet Cyrillus super Isa. 6. & Chrysost. homil. 64. ad Populum, vbi ait hos Seraphinos, quos vidit Isaias, esse ordinis astantium.

10. Deinde ratio suadet, vt filio Dei ad homines misso propter eorum salutem, non sit iam indignum supremos Angelos qui ministri eius sunt ad nos etiam interdum mitti, cùm neque virtus humilitatis illis desit, quæ consentit humilibus; neque etiã charitas, cùm fecerit eos Deus ignem vrentem, non materialem, sed spiritualem. Quis itaque ambigat, Gabrielem Angelum, qui ad Mariam missus est, de suprema esse hierarchia, tunc quia ad summum mysterium non nisi summum

mũ Angelũ, aut certe de ſupremis deſtinari decebat: tum etiam quia ad Zaccchariam dixit, *Ego ſum Gabriel, qui aſto ante Deum.* Aſtantes autem ſupremi ſunt ordinis.

11. Si velis hanc quæſtionem diſcutere Theologicè, vide Commentarium Cornelij in epiſtolam ad Hebræos, quem pro hac ſententia, quam defendo, auctorem do, & in Danielem, vbi ſic ait: Ita Gabriel qui eſt ex aſſiſtentibus, vt patet Lucæ 1. 19. eſt etiam ex miniſtrantibus qui foras mittuntur. Nam miſſus eſt ad Danielem cap. 8. & 16. & ad B. Virginem Lucæ 1. 26. Ita Michael qui Angelorum & conſequenter Seraphinorum Deo aſſiſtentium eſt primus, miniſtrat, & pugnat pro Eccleſia, & fidelibus, Daniel 10. v. 13. & cap. 12. 1. Ita ſeptem Spiritus, id eſt principes Angeli, qui in conſpectu throni Dei ſunt Apocal. 1. 4. ideoque ſunt ex aſſiſtentibus, dicuntur *miſſi in omnem terram*, cap. 5. 6. Iidem ergo ſunt aſſiſtentes, qui & miniſtrantes: quia quocumque mittantur, ſemper vident faciem Patris, vt ait Chriſtus Matth. 18. 10. Propriè tamen dicuntur aſſiſtere, cùm Deo aſtant in cælo empyreo; miniſtrare vero cum foras mittuntur. & Martinum Becanum Societatis noſtræ Theologum, in diſputatione Theologica de officijs Angelorum circa homines. Nolim excidat Athanaſius Serm. 3. contra Arianos, cùm ait: *Multi Archãgeli, multi Throni, multa Poteſtates, & Dominationes, millies millia, & decies millies centena millia miniſtrorũ aſſiſtunt & apparent, qui ſe promptos offerunt, vt emittantur.*

De septem Angelis, & à quibus nos defendant

Cap. 5.

1. Angelorum septẽ effusa mentio est in Scriptura. Iob.12. *Ego sum Raphael Angelus vnus ex septem, qui astamus ante Dominũ.* Zach.3. *Ecce lapis, quem dedi coram Iesu: super lapidem vnum septem oculi sunt.* & cap.4. *septem isti, oculi sunt Domini, qui discurrunt in vniuersam terram,* Apocal.1. *Gratia vobis, & pax ab eo, qui est & qui erat, & qui venturus est, & à septem Spiritibus, qui in conspectu throni eius sunt.* Apocal.3. *Hæc dicit, qui habet septem spiritus Dei.* Apocal. 5. *Vidi agnum stantem tanquam occisum, habentem cornua septem, & oculos septem, qui sunt septem spiritus Dei, missi in omnem terram.* Apocal.8. *Vidi septem Angelos stantes in conspectu Dei, & data sunt illis septem tubæ.* Apocal. 15. *Vidi aliud signum in cælo magnum & mirabile, Angelos septem habentes septem plagas nouissimas.* &infra: *Exierunt septem Angeli, habẽtes septem plagas, de templo, vestiti lino mundo & candido, & præcincti circa pectora zonis aureis.* Apocal.16. *Audiui vocem magnam de templo dicentem septem Angelis, ite & effundite septem phialas iræ Dei in terram.* Apocal.17. *& venit vnus de septem Angelis, qui habebant septem phialas.*

2. Putantur hi septem Angeli præesse septem planetis, & per quosdam quasi canales cælestium ad nos fontium influxus deriuare. Hæc est antiqua

opinio Rabbinorum, quam ſequitur Franciſcus Georgius T.6.problẽ.186. & Cornelius Agrippa lib.3. de occulta philoſophia cap. 24. cùm ait: *Hi ſunt ſpiritus illi ſeptem, qui ſemper aſtant ante faciem Dei, quibus credita eſt diſpoſitio regni cæleſtis ac terreni, quod ſub orbe lunæ eſt. Hi enim vt dicunt ſecretiores Theologi omnia regunt viciſsitudine quadam horarum, dierum & annorum: quemadmodum de planetis, quibus præſunt, tradunt Aſtrologi, quos Triſmegiſtus Mercurius icciro vocat ſeptem mundi gubernatores, qui per cælos tanquam per inſtrumenta coaceruatis omnium ſtellarum, & ſignorum influentiis, eas in hoc inferiore diſtribuunt.* Videtur idem ſenſiſſe Ioannes Tritemius in libello quodam, quem hac de re ſcripſit, & Maximiliano primo Imperatori dedicauit. Verùm hæc ſententia ſuſpecta eſſe debet, tum quod ortum habet à Rabbinis, tum maxime quod nullum ſit eius veſtigium, neque in Scriptura, neque in Sanctis Patribus.

3. Illud itaque amplectendum æquius videtur, hos ſeptem Angelos nos defendere à ſeptem vitiis capitalibus, hortantes nos ad contrarias virtutes capeſſendas, obſiſtentes tentationibus, occaſiones prauas remouentes, conantes vt virtutes illæ in nobis perficiantur, vt contrariis vitijs excluſis, liber ad cælum aditus pateat. In hanc ſententiam propendet Serarius in cap. 12. Tobiæ quęſt. 8. Probatur hæc ſententia ex ſanctis Patribus, qui ſeptem eſſe principes dæmonũ dicũt ſub imperatore Lucifero, qui ſeptem vitiis capitalibus præpoſiti ſunt, & ſinguli ad ſingula vitia cônantur homines perturbare. Hi apud Caſſianum

appellati ſunt ſpiritus gaſtrimargiæ, fornicationis, phylargiæ, iræ, triſtitiæ acediæ, cenodoxiæ. & S. Bernardus ſerm. 15. ſuper pſalm. *Qui habitat,* docet eos ſortiri diuerſa nomina ex diuerſis maleficiis, quibus perpetrandis ſinguli dant operam, & alium vocari aſpidem, alium baſiliſcum, alium lumen, alium Draconem; quod alius morſu, alius viſu, alius mugitu, alius flatu noceat. & in Scriptura luculenter teſtimoniũ habemus de Aſmodæo, qui luxuriæ, obſcenis voluptatibus præeſt. Hic omnium libidinis mancipiorum rex eſt. Hic promouet adulteria, ſtupra, concubinatus, fornicationes, impudicos tactus, verborum obſcenitates, ſordidas cogitationes, philtra, & ſimilia. Ita pariter alij incumbunt ſuis quique vitiis. Dux ſuperbiæ eſt Leuiathan, auaritiæ Mammona, iræ Berith, quæ Beelphegor, inuidiæ Beelzebut, acediæ Aſtaroth, qui cum Aſmodæo principe luxuriæ calamitates horrendas inferunt generi humano. Si hoc ita eſt, cur non etiam ex bonis angelis ſint principes, qui ſummo Deo Imperatori pareant, & nequiſſimorum dęmonum conatus impediant, qui nos ad contrarias virtutes hortentur.

4. Iam verò quo ex ordine ſint iſti ſeptem Angeli? omnino ex Seraphinis, ſic sẽtio cum Salmerone T. 3. tract. 3. videtur eſſe ſententia Clementis Alexand. 6. ſtromat. vbi eos vocat *primogenitos Angelorum principes, quorum maxima eſt poteſtas.* Nec fruſtra eſt tanta, & tam honorifica de illis mentio in Scriptura. Etenim Raphael de ſe Tobiæ 12. *Ego ſum ex principibus vnus.* & Michael de Danielis 10. *Vnus de principibus primus.* & Gabrielem ſatis honeſtat ſuprema legatio ad

B. Mariam Virginem. Nec obstare debet aliquorum sententia, qui censent Michaelem, Gabrielem, Raphaelem esse ex inferioribus ordinibus, cùm clare aliter constet. Hi videlicet sunt septem Angeli illi, quibus commissus est vniuersus mundus, videlicet Michael, Gabriel, Raphael, Vriel, Salathiel, Iehudiel, Barachiel: Ita refert Serarius in caput 12. Tobiæ, & Alphonsus Salmeron T. 3. tract. 3. primi nominis interpretatio est, *qui sicut Deus*; secundi, *fortitudo Dei*; tertij *curatio Dei*; quarti, *lumen Dei*; quinti, *petitio Dei*; Sexti *Laus*, seu *confeßio Dei*; septimi, *benedictio Dei*. Quatuor vltimi non sunt in Scriptura, nec aliqua traditione notantur, sed ab Hebræo accepta ad nos peruenerunt. Vrielis mentio est 4. Esdræ cap. 4. Barachiel, Salathiel, Iehudiel ab Antonio Duca celebrantur. Præterea nam ad alios transeo, Ieremiel est lib. 4. Esdræ cap. 4. Eromiel, Saniel, & Azael lib. 2. Sybillinorum carminum. Rumiel, & Phaniel apud Bedam in Collectaneis, vbi ipse ait: *Gabriel esto mihi lorica, Michael* esto mihi *Baltheus, Raphael esto mihi scutum, Vriel esto mihi protector, Rumiel esto mihi defensor, Phaniel esto mihi sanitas.* Quæri potest an tolerari possint, cùm non habeantur in sacris litteris. Certè consilium Apostoli est vitandas esse vocum nouitates, quæ regula maxime obseruanda est in rebus sacris, sanè in concilio Romano, cui præsedit Zacharias Pontifex, contra Adalbertum hæreticum sic definitum est: *Non plus quàm tria Angelorum nomina agnoscimus, id est, Michael, Gabriel, Raphael.* Caussa huius decreti fuit, Adalbertum scripsisse hanc precationem: *Sup-*

plico vos Angelus Vriel, Angelus Raguel, Angelus Iubuel, Angelus Michael, Angelus Adimis, Angelus Iubuas, Angelus Sabaoth, Angelus Simihel. Hæc precatio fuit in illo Concilio damnata his verbis: *Octo Angelorũ nomina, quæ in sua oratione Adalbertus inuocauit, non Angelorum, præter Michaelis, sed magis dæmonum sunt, quos ad præstandum sibi auxilium inuocauit.* & postea subduntur hæc verba: *Non plus quam tria Angelorum nomina agnoscimus, id est, Michael, Gabriel, Raphael.* Videndi sunt Delrius l.1. Disquisitionũ Magicar. cap.4. quæst. 4. iuxta priorem editionem. & Serarius in cap. 12. Tobiæ quæst.11.

5. Nec Rangolius in lib.1. Reg. cap.20 defendit ista nomina Angelorum, sic enim ait: *Trithemium ego defendere malim quàm accusare, ob pleraque egregia eius ingenij monumenta: librum tamen illum de septem intelligentijs probare nullo modo possum. Nec pluribus confutabo quam instituti mei ratio postulat, solum hoc addam ex epistola contra Aldebertum & Clementem in Synod. Rom. sub Zachar. Pontif. quæ refertur in vita Sancti Bonifacij. Cumque per ordinem legeretur, peruenit ad locum vbi ait: Precor vos & coniuro vos, & supplico me ad vos Angele Vriel, Angele Raguel, Angele Iubuel, Angele Michael, Angele Adimis, Angele Iubuas, Angele Sabaoth, Angele Simiel. Dum verò hæc oratio sacrilega vsque ad finem perlecta fuisset, Zacharias Sanctus Papa dixit: Quid ad hæc Sancti fratres respondetis? Sancti Episcopi, & venerabiles Presbyteri responderunt: quid aliud agendum est, nisi vt omnia quæ coram nobis lecta sunt, igne concrementur, auctores verò eorum ana-*

thematis vinculo percellantur? octo enim nomina Angelorum, quæ in sua oratione Aldebertus inuocauit, non Angelorum, præter Michaelis, sed magis dæmonum nomina sunt, quos ad præstandum sibi auxilium inuocauit. Nos autem vt à vestro Sancto Apostolatu edocemur, & diuina tradit auctoritas, non plus quàm trium Angelorum nomina agnoscimus, id est Michael, Gabriel, Raphael. Eiusdem sententiæ est Baronius in nono tomo Annalium.

6. Verum est hæc nomina diuersa esse ab illis prioribus, quos enumeraui præter Angelum Michaelem, & Vrielem. De Michaele, ibi recipitur; de Vriele, qui idem est in Catalogo Adhelberti, & in his quos suprà posui, videtur Cõcilium voluisse damnare hos posteriores Angelos in odium Adelberti hæretici, quamuis alioquin Vrielis mentio sit apud aliquos Catholicos in bono sensu & Catholico, vt quarto Esdræ. Præterea Vrielis meminit S. Isidorus lib. 7. Etymolog. cap. 5. *Vriel interpretatur Ignis Dei, sicut legimus apparuisse ignem in rubo. Legimus etiam ignem missum de super, & implesse quod præceptum est.* In Missa Æthiopum, quæ habetur T. 4. Bibliotec. Sanctorum Patrum. fol. 120. ita orat Sacerdos: *Custodi Domine populum tuum per preces maiorum Angelorum splendentium, Michaelis & Gabrielis ac Raphaelis, & Vrielis, & quatuor animalium sine carne.* S. Ambros. lib. 3 de fide ad Gratian. cap. 2. *non moritur Gabriel, non moritur Raphael, non moritur Vriel.* Vide quæ dicam cap. 15. num. 9.

7. Vt autem ad septem Angelos redeam, non dubium quin hi spiritus toties dicantur septem,

quia certus hic numerus destinatus sit administrationi vniuersitatis. Confirmatur auctoritate Alex. Clem. Strom. 6. vbi sic: *Septem quidem sunt, quorum est maxima potentia, primogeniti Angelorum principes, per quos Deus omnibus hominibus præsidet: ideoque oculi Dei dicuntur in Apocal.* Illud interim probabiliter affirmo hos septem esse vniuersaliores quosdam rerum mũdanarum administratores, quibus quasi ceteri subordinati sint, vt ab eis illuminentur, quoad ea quæ inferioribus curanda sunt. & præterea, eosdem septem aliquando mitti ad vniuersaliora negotia ex Scriptura colligitur, Dan. 10. 11. & ex Bern. homil. 1. super *missus est*: post D. Greg. hom. 34. in Euan. vbi hæc de Gabriele Incarnationis legato: *Non arbitror hunc Angelum de minoribus esse, qui qualibet ex caussa crebra soleant ad terras legatione fungi.*

Porrò qui sint quatuor Angeli, vide Cornelium in Ezechiel. cap. 1. fol. 27. vbi latè disputat de illis.

De nouem ordinibus Angelorum.

Cap. 6.

1 Angelorum ordines esse nouem certũ est. Illorum mentio in Scriptura Sacra hæc est. Nam *Seraphin* reperiuntur Isaiæ 6. *Cherubin* Ezech. *Throni* Coloss. 1. *Dominationes, Virtutes, Potestates, Principatus* Ephes. 1. *Archãgeli*. 1. Thess. 4. & in epist. Iudæ. *Angeli* Hebræorum 1. & alibi sæpissime. Idem docent patres, Dionysius

Areopagita l. de Celesti Hierarchia c. 4. *Statuit summus ille ac supersubstantialis omnium ordo, per singulas distinctiones primos & medios extremosq; esse ordines atque virtutes, vt scil. inferiorum spirituum excellentiores, quippe praeceptores ac duces sint, per quos illi accessum habeant ad Deum, & ad lucem illā secretissimam Dei societatemque perueniant.* & cap. 5. *Dicimus itaque in omnibus sacratissimis distinctionibus superiores quosque eminentioresque ordines, inferiorum quoque agminum non carere fulgoribus, atque virtutibus: posteriores verò superiorum intelligentiae exortes esse.* & cap. 6. *omnes simul caelestes immortalesque substantias in nouem ordines diuinus sermo distinxit, proprijsque ac significantibus vocabulis appellauit. Has eximius praeceptor noster, in ternas tertio repetitas distinctiones ad sanctae Trinitatis diuisit imaginem, ac primam quidem esse ait, quae coram Deo versetur semper, idque ex diuina dignatione susceperit, vt illi inhaereat iugiter, nullisque medijs interiectis spiritibus inseratur. Nam sāctissimos Thronos & oculis plurimis aliisque praeditos ordines Cherubin scilicet & Seraphin, Hebraeorum voce appellatos, iuxta Deum nullis medijs insertis agminibus, eminenti propinquitate locatos ait. Idque sanctarum scripturarum tradere expositionem, vt vnam & per omnia aequalem primamque reuera Hierarchiam illustris Dux noster ac magister esse ait, qua non sit praestantior altera, primoribusque Dei summi splendoribus maiori propinquitate coniuncta. Secundam verò asseruit, quae Potestatibus, Dominationibus, Virtutibusque conficitur. Tertiam item, quae in caelestibus functionibus extremum teneat locum ex Angelis,*

& Archãgelis, Principatibusque constantẽ. Martialis Lemouicensis epist.2. ad Tholosanos cap. 12. *In regno cælorum sunt ordines multitudinis laudantium Deum, Angelorum & Virtutum, quæ per ipsum verbum per quod omnia facta sunt, creatæ, in laudibus Creatoris sui quiescunt. Ipse laus & requies eorum & spectatio noua, in quam semper desiderant prospicere. Multa millia illic Potestatum, & Archangelorum in intima luce gloriam Dei Creatoris sui contemplari desiderant.* Dionysius Papa epist.2. *Quia vero creatura in vna eademque æqualitate gubernari, vel viuere non potest, cælestium militiarum exemplar nos instruit: quia dum sint Angeli, sint Archangeli, liquet quia non æquales sunt, sed in potestate & ordine differt alter ab altero. Si ergo inter eos qui sine peccato sunt, ista constat esse distinctio, quis hominum abnuat huic se libenter submittere dispositioni?* Ambrosius lib.1.de Spiritu S.cap.7. *Quemadmodum sanctificans Apostolos spiritus non est humanæ consors naturæ, ita etiam sanctificans Angelos, Dominationes & Potestates non habet consortium creaturæ. Si qui autem putant non esse spiritalem in Angelis sanctitatem, sed aliam quandam gratiam suæ proprietate naturæ, hi inferiores profecto Angelos hominibus iudicabunt, &c. De qua creatura Deus ita locutus est, quod aut Dominationes, aut Potestates effundat, aut Angelos? sed de spiritu, inquit, meo effundam.*

2. Sanctus etiam Bernardus serm. 19. in Cantica ita ait: *Nam Cherubin plenitudo scientiæ, Seraphin* vero *incendentia, vel incensa dicuntur. Diligitur ergo ab Angelis Deus ob iudiciorum suorum*

summam æquitatem: Ab Archangelis ob consiliorum summam moderationem. Porrò à Virtutibus ob benignissimam exhibitionem miraculorum, per quæ incredulos dignantissime trahit ad fidem. A Potestatibus verò ob illam illustrissimæ potētiæ vim, qua solet à pijs malignantium propulsare & arcere crudelitatem. Verum à principatibus ob æternam & originalem illam virtutem qua dat esse & essendi principium omni creaturæ superiori & inferiori, spirituali & corporali, attingens à fine vsque ad finem fortiter. A Dominationibus quoque ob placidissimam voluntatem, qua licèt vbique dominetur in fortitudine brachij sui, virtute tamen potentiori pro sua ingenita lenitate, & imperturbabili tranquillitate disponit omnia suauiter. Diligitur & à Thronis o b beneuolentiam magistræ sapientiæ sine inuidia sese communicantis, & vnctionem quæ gratis docet de omnibus. Ioannes Damascenus Orthodoxæ fidei lib.2.cap.3. per omnia suffragatur Dionysio cùm ait: *Vt Sanctissimus, ac Theologiæ laude præstantissimus vir Dionysius Areopagita inquit, Theologia omnis, hoc est Sacra Scriptura, nouem cælestes substantias nuncupauit. Has sanctus ille Doctor in tres ordinum terniones distinguit; quorum primum eum ait esse, qui Deum semper circunstat, assidueque ac citra rei vllius interuentum ei copulatus est, nempe sex aligerorum Seraphin, oculatissimorum Cherubin, & sanctissimorum Thronorum: secundum Dominationum, virtutum, & potestatum: tertium ac postremum, Principatuum, Archangelorum, & Angelorum.* & Ioannes Cassianus Collat. 8. cap. 15. *Num qui bonæ parti eadem ordinum vocabula non sine ratio-*

ne, caussáue sint indita, & officiorum vel meritorum seu dignitatum sint nomina, nulli dubium est. Et enim de officio nuntiandi Angelos, id est, nuntios appellari manifestum est: & Archangelos, eo quòd ipsis Angelis præsint, nominis ipsius proprietas docet: Dominationes etiam ab eo, quod quibusdam dominentur: Principatus quoque quod habeant, quorum sunt principes: & sedes quod ita scilicet Deo cohæreant, & domestica sint ei ac familiares, vt in ipsis, velut in quadam sede, diuina maiestas peculiarius requiescat, & quodam modo in ijs firmius reclinetur. Porro *sedes* ponit Cassianus pro Thronis. Sedulius Hybernensis ita ait in Epist. Ad Ephes. cap. 1. *Nouem Angelos scimus ordines Angelos, Archangelos, Virtutes, Potestates, Dominationes, Thronos, Cherubin, & Seraphin.* Sanctus Gregorius Homil. 34. in Euang. ait: *Nouem ordines Angelorum, cum per sacra eloquia, Angeli, Archangeli, Dominationes, Virtutes, Principatus, Potestates, Throni, Cherubin atque Seraphin, aperta narratione memorantur.* Atque istorum Spirituum distinctionis sacri Canones meminêre. vt ita tres primi ordines hierarchiam primam, tres intermedij secundam, tres vero postremi tertiam hierarchiam constituant. In quibus Deus trinus imperij sui potentiam, maiestatem, benignitatem, atque magnificentiam operationum suarum virtute clarius multo quàm in aliis creaturis corporea compage concretis ostendit. Etenim amat ipse Princeps æternus in Seraphin, vt charitas; nouit in Cherubim, vt veritas; sedet in Thronis, vt æquitas; dominatur in dominationibus, vt maiestas; regit in principatibus, vt principium; tue-

tur vt virtus in virtutibus; corroborat, vt fortitudo in potestatibus; reuelat vt lux in Archangelis; assistit, vt pietas in angelis.

3. Quid verò S. Chrysostomus? solùm meminit duorum primorum ordinum, & primo loco Cherubin. Ita enim ait homil. 3. de incomprehensibili Dei nat. οὕτω δὴ καὶ τὰ ὀνόματα τῶν μὲν τὴν σοφίαν, τῶν δὲ τὴν καθαρότητα δηλοῖ. τὸ γὰρ ἐστι χερουβεὶμ; πεπληθυσμένη γνῶσις. τὸ δὲ σεραφὶμ; ἔμπυρα στόματα. εἶδες πῶς καὶ τὴν καθαρότητα, καὶ τὴν σοφίαν τὰ ὀνόματα παρεδήλωσεν: *sic etiam ipsa nomina partim sapientiã partim puritatẽ sinceritatẽque declarant. Enimuero Cherubim nuncupatio plenam accumulatamque scientiam exprimit, Seraphin verò à candente flagranteque ore nomen inuenerunt. Vides quam puritatem & sapientiam nomina explicent.* Sanctus Thomas, vt ad quẽ quæstio ista primario spectat, in 1. p. ita ait: *Dictum est supra, dum de cognitione Angelorum ageretur, quod superiores Angeli habent vniuersaliorem cognitionem veritatis, quàm inferiores: huiusmodi autem vniuersalis acceptio cognitionis secundùm tres gradus in Angelis distingui potest. Possunt enim rationes rerum, de quibus Angeli illuminantur, considerari tripliciter. Primò quidem secundùm quod procedunt à primo principio vniuersali, quod est Deus: & iste modus conuenit primæ Hierarchiæ, quæ immediatè ad Deum extenditur, & quasi in vestibulis Dei collocatur, vt sanctus Dionysius dicit 7. c. Hierarchiæ Cælestis. Secundo verò prout huiusmodi rationes dependent ab vniuersalioribus caussis creatis, quæ iam aliquo modo multiplicantur; quæ iam aliquo modo conuenit secunda Hierarchia. Tertio autem*

modo, secundùm quod huiusmodi rationes applicantur singulis rebus, prout dependent à propriis caussis, & hic modus conuenit tertiæ Hierarchiæ. Quin sacri Patres addunt Isidorus & Beda, nouem ordines ab Ezechiele descriptos sub totidem nominibus lapidum: *Omnis lapis operimentum tuum: Sardius, Topazius, Iaspis, Chrysolithus, onyx, Beryllus, Sapphirus, Carbunculus, & Smaragdus.*

4. An verò sint plures quàm nouem ordines, multi dubitant. Etenim Salonius in Ecclesiastem Salomonis ille Viennensis Episcopus Galliarum, decem fuisse affirmat: *quia decem fuerunt ordines Angelorum, sed vnus cecidit per superbiam; & idcirco boni Angeli semper ad hoc laborant, vt de hominibus numerus adimpleatur, & perueniat ad perfectum numerum, id est denarium.* Hoc ait explicans illud Eccl. 7. *Sapientia confortabit sapientem super decem principes ciuitatis.* Quin ad plures multò extēdit Euthymius, dicens ad cap. 15. Lucæ, nonnullos putauisse ex parabola centum ouium, centum fuisse ordines Angelorum. At certè receptissimam sententiam teneamus, non esse plures quàm nouem, sed nec pauciores.

5. At quare in Præfatione Missæ pauciores ponuntur? Rationem reddit Innocentius tertius lib. 1. Mysteriorum Missæ cap. 62. cùm ait: *Cùm nouem sint Ordines Angelorum, quare tribus exclusis, tantùm sex in Præfatione ponuntur? An non illi cum cæteris Maiestatem diuinam glorificant, & adorant? Absit. Nam virtutes cælorum omnes comprehenduntur. Dionysius quippe*

tres esse Ordines Angelorum tradit; trinos in singulis ponens, vt similitudo Trinitatis insinuetur impressa. Sunt enim tres Ordines superiores, tres inferiores, tres medij. Superiores, Seraphim, Cherubim, Throni: medij, Dominationes, Principatus, Potestates: inferiores, Virtutes, Archangeli, Angeli. De singulis autem his ordo medius subtrahitur; de superioribus Cherubim; de mediis Principatus; de inferioribus Archangeli: quia ad comparationem Trinitatis æternæ (cuius maiestas hic præcipuè commendatur) omnis alia Trinitas diminuta reperitur & imperfecta.

6. Est quidem hierarchia Angelorum, auctore Dionysio Areopagita, sacer ordo, scientia & actio, quæ & ad diuinitatis similitudinem, quoad eius fieri potest, accedit & proportione illustrationum, quæ ei diuinitùs datæ sunt, ad Dei imitationem traducitur. Illud autem primum omnium verè dici potest, Deum bonitate ductum omnes naturas in lucem protulisse; est enim hoc omnium auctoris, & bonitatis, quæ ad omnia pertinet, proprium, naturas ad sui communionem vocare, vt cuiusque captus modusque postulat. Ac omnes quidem naturæ, prouidentia summæ omniumque effectricis diuinitatis gubernantur. Neque enim esse nisi eorum quæ in rerum natura sunt, essentiæ principiique essent participes, ea quidem omnia, quæ vitæ beneficio carent, hoc ipso quod sunt in natura rerum, ea participant. Omnium enim status est, quæ statum omnem longè multumque superat, diuinitas; ea verò quæ viuunt, ipsa vi effectrice vitæ quæ vitam omnem superat, participant:

eæ autem naturæ, quæ rationis, & mentis sunt participes, eiusdem per se perfectæ, ac principalis sapientiæ, quæ omni, & rationi, & menti plurimùm præstat, sunt compotes. Perspicuum est autem, eas naturas circum diuinitatem esse, eique præsto esse, quæ multis modis eius communione teneantur. Itaque sancti cælestium illarum naturarum ordine maioribus ac pluribus diuinitatis muneribus, ac beneficijs, quæ eæ naturæ, quæ tantum sunt in rerum natura, quæ rationis expertes sunt, & quæ apud nos ratione vtuntur, aucti ornatique sunt. Nam quoniam, & mente se ad Dei imitationem exprimunt, atque effingunt, & admirabiliter diuinitatis similitudinem intùentur, & mentis suæ speciem ad eam formare cupiunt, merito maiore cum ea societate iunguntur; dum vicinæ quidem sunt, & semper quantum fas est, ad maiora & meliora in diuini stabilisque amoris contentione nituntur, & illustrationes, quæ à principio proficiscuntur, sine materia, vllaque concretione recipiunt, ad eas se accommodant, & vitam omnem mentis propriam habent. Hæ enim sunt, quæ cum primo ac varie diuinitatis sint participes, primo etiam loco ac multis modis, diuinitatis veritatem, tenebris quibusdam rectam aperiunt, & enunciant. Itaque semper, ac vbique Angelorum præcipue nomine appellantur, propterea quod primum in eis insit diuina illustratio, ac per eas ad nos perueniant eę, quæ naturam nostram superant, patefactiones.

7. Angeli quidem superiorum ordinum, quo D eo viciniores & propinquiores existunt, eo ab

ab illius dignitatis influxu, fœcundiori ſapientiæ, charitatis, æquitatis, aliarumque ſublimium virtutum lumine perfunduntur. Non ſecus ac perlucidus ſolis radius prius ac ſplendidius ea quæ ſibi proximiora ſunt ſuo fulgore colluſtrat, & in illis emicat ardentiùs. Pater enim luminum æternorum Deus claritates,fulgoresque ex ſuæ diuinitatis, perenniſque fælicitatis vultu, fœcunditate mirabili producit: ac velut oriens ex alto ſumma montium cacumina prima ſui luminis irradiatione illuſtrata condecorat, ſolio ſuæ diuinæ maieſtatis æterno proximiores cœleſtium domorum ſpiritus coruſcatione continua indeficientique nitore locupletatos, glorioſius amœniuſque fœcundat. Ipſi verò ſi ab æterno Dei lumine rutilantes, vt montes altiſſimi ſolis radiis vndìque conſperſi, reliquos ſe inferiores Angelos veluti colles humiliores radio diuinæ lùcis continuato, per ordinem cõdecoratos mirabiliter illuſtrant.

8. Thronorum ordinem ita explicat Diuus Bernardus: *Putemus Thronos alto ab his euolaſſe receſſu, qui ex eo quòd ſedent, Throni dicuntur: & ex eo ſedent, quod ſedet in eis Deus. Neque enim ſedere in eis, qui non ſederent, poſſet. Quæris quid illam ſentiam ſeßionem? ſummam trãquillitatem, placidißimam ſerenitatem, pacem quæ exſuperat omnem intellectum. Talis eſt qui ſedet in Thronis Dominus Sabaoth, iudicans omnia cum tranquillitate, placidißimus, ſereniſsimus, pacatiſsimus, & tales ſibi conſtituit Thronos ſimillimos.*

9. Notat Becanus in diſputatione Theologica, difficile eſſe de ſerie ordinum differere, ne quidem ex Dionyſio Areopagita. Nam qui illum le-

gerunt, aut apertè ab eius doctrina recedunt, vt diuus Gregorius, & Bernardus; aut de sententia ipsius contendunt, vt D. Thomas, & alij. Nam D. Thomas refert illum hoc modo disposuisse: In suprema Hierarchia Seraphinos, Cherubinos, Thronos: in media Dominationes, Virtutes, Potestates: in infima Principatus, Archangelos, Angelos. At versio Perionij, & tres aliæ versiones apud Carthusianum, hoc modo: In suprema Seraphinos, Cherubinos, Thronos: in media, Virtutes, Dominationes, Potestates: in infima Principatus, Archangelos, Angelos: denique Bonauentura & Gabriel hoc modo: in media, Dominationes, Potestates, Virtutes. Ex hac discordia circa doctrinam vnius Dionysij facile apparet, nihil certi in hac re affirmari posse. Iam Gregorius & Bernardus apertè discedunt à Dionysio. Nam in media Hierarchia secundo loco constituunt Principatus, quibus Dionysius supremum locum præbet in infima. Virtutes verò, quas Dionysius in media collocauerat, ponunt ipsi in infima. Isidorus ab his omnibus dissētit, cuius hæc est dispositio: Angeli, Archangeli, Throni, Dominationes, Virtutes, Principatus, Potestates, Cherubin, & Seraphin. Hactenus ille.

10. Dicam iam ex Gregorio Magno de nouem ordinum distinctione. In primo ordine sunt Seraphin, de quibus: *Seraphin ardentes vel incendentes vocantur, quæ ita Deo coniuncta sunt, vt inter hæc & Deum nulli alij spiritus intersint, & tanto magis ardent, quanto illum vicinius vident.* In secundo ordine sunt Cherubin; de quibus Gregor. vbi supra: *Sublimiora illa agmina, ideo*

Cherubin vocata sunt, quia tanto perfectiori scientia plena sunt, quanto claritatem Dei vicinius contemplantur: In tertio autem ordine sunt Throni, de quibus eodem loco: *Throni quoque illa agmina sunt vocata, quibus ad exercendum iudicium semper omnipotens Deus præsidet.* In quarto verò ordine sunt Dominationes, de quibus supra: *Ea Angelorum agmina quæ potius præeminent pro eo quod eis cetera ad obediendum subiecta sunt, Dominationes vocãtur.* Quintus ordo Principatuum, quorum gradum declarans idem Gregorius ait: *Principatus vocantur, qui ipsis quoque bonis Angelorum spiritibus præsunt, qui subiectis aliis dum quæ sint agenda disponunt, eis ad explenda diuina mysteria principantur.* Sextus ordo est Potestatum, de quibus idem. *Potestates vocantur hi, qui hoc potestius in suo ordine perceperunt, vt eorum ditioni virtutes aduersæ subiectæ sint, quorum potestate refrænantur, nec corda hominum tantum tentare valeant, quantum volunt.* Septimo in ordine sunt Virtutes, de quorum dignitate idem vbi supra: *Virtutes vocantur hi nimirum spiritus, per quos signa & miracula fiunt.* Octauus ordo est Archãgelorum, de quibus ipse ibidem: *Qui summa annunciant, Archangeli vocantur. Hinc est quod ad Mariam Virginem non quilibet Angelus, sed Gabriel Archangelus mittitur.* Nono in ordine sunt Angeli, de quibus idem: *Hi, qui minima annunciant, Angeli vocantur* Quippe Angeli nomen est officij, non naturæ. August. de ciuitate Dei lib. 15. cap. 23. *Qui Græcè dicitur ἄγγελος, quod nomen latinâ declinatione Angelus perhibetur, latinâ linguâ Nuncius interpretatur.* Philo

de somniis, circa medium: *Hos genios Philosophi Angelos vocant, sacræ litteræ nomine aptissimo. sunt enim internuncii Patris mandata perferentes ad filios, & ad illum vicissim preces filiorum: ideò inducuntur ascendere & descendere.* Cassiodorus ad Psal. 103. *Angelorum enim nomen non significat naturam, sed obedientiam. Angelus enim Græcâ linguâ dicitur, qui Latinâ Nuncius interpretatur. Nam quando mittuntur, Angeli fiunt, cùm tamen naturâ spiritus esse noscantur.* Gregor. homil. 34 in Euangelia. *Sancti illi cælestis patriæ spiritus, semper quidem sunt spiritus, sed semper vocari Angeli nequaquam possunt, quia tunc solùm sunt Angeli cùm per eos aliqua nuntiantur.* Vide insuper Prosperum in psal. 103. Cassianum collat. 8. cap. 15. adiungi passim Chrysostomus, Ambrosius, & alij. Quantæ autem sint dignitatis Angeli ostendit August. 11. de ciuitat. Dei in cap. 14. *Angelica natura cetera omnia quæ Deus condidit, naturæ dignitate præcellit.* Qui igitur omnis artifex in principio magis conatur suam sapiētiam in effectibus suis demonstrare: Sic Deus volens se ostendere artificem dignissimum, specialiter se in creatione Angelorum ostendit.

11. Augustinus tamen ingenuè fatetur suam in hac re ignorationem. Sic enim loquitur in Enchiridio cap. 58. *Quid inter se distent quatuor illa vocabula, quibus vniuersam ipsam cælestem societatem videtur Apostolus esse complexus, dicendo, siue sedes, siue Dominationes, siue Principatus, siue Potestates, dicant, qui possunt, si tamen possunt probare, quod dicunt: ego me ista ignorare confiteor,* &

in libro contra Priſcillianiſtas cap.11. *Eſſe ita Sedes, Dominationes, Principatus, Poteſtates, in cæleſtibus apparatibus, firmiſsimè credo, differre inter ſe aliquid, indubitata fide teneo. Sed quo me contemnas, quem magnum putas eſſe doctorem, quænam iſta ſint, & quid inter ſe differant, neſcio.*

12. Aliorum tamen ſententias non refragabor dicere. Petrus Aliacus in Speculo cõſiderationis part. 3. cap. 12. Angeli ſicut in perſonis diſtincti ſunt, ſic in diſtinctis ordinibus, gradibus & officiis diſpoſiti. Sunt enim Angeli, qui in miniſterium miſſi, ſingulis hominibus dati creduntur: ſunt Archangeli, qui minoribus Angelis præſunt, & diuinorum myſteriorum conſcij, non niſi ob præcipuas & maximas cauſſas mittuntur: ſunt Virtutes, quarum virtute, vel opere ſigna & prodigia fiunt: ſunt Poteſtates ſuperiores iſtis, quarum virtute poteſtas tenebrarum comprimitur, ne quantum vult, noceat: ſunt Principatus, quorũ moderamine omnis in terris Principatus conſtituitur, regitur, limitatur, transfertur, atque mutatur: ſunt Dominationes, ſic præfatis ſuper eminentes ordinibus, vt horum reſpectu ceteri videantur adminiſtratorij ſpiritus, & ad iſtos, tanquam ad Dominos referri regimina Principatuum, tutamina Poteſtatum, operationes Virtutum, reuelationes Archangelorum, curam & prouidentiam Angelorum: ſunt Throni, qui ex eo, quod altè ſedent, Throni dicuntur: & ideo ſedent, quia in illis ſedet Deus altiſſimus quã ſeſſionem ſummam tranquillitatem, & tranquillam ſerenitatem ac pacem intelligimus: ſunt Cherubin, qui ex ore Altiſſimi ſapientiam hauri-

entes in vniuersis ciuibus cælestibus fontalis sapientiæ fluenta refundunt. Sunt denique Seraphin, qui diuini amoris igne succensi singulos illos ciues lucernas ardentes, ac claritate lucentes efficiunt. Hæc ille.

13. Guilhelmus Aluernus secundæ partis de vniuerso par. 2. cap. 112. *Dixit Dionysius vir iste sanctus & sapiens in libro suo, quem de istis sanctis, ac beatissimis substantiis scripsit, quod nouem sunt ordines earum, sicut edoctus fuit à præclaro illo doctore suo, qui raptus in paradisum hoc ibi didicit & vidit: & nouem cognominationes ipsorum ordinum ab eodem Doctore suo, & perfectore accepit. & primum ordinem dixit cognominari Seraphin, secundum ordinem cognominauit Cherubin, tertium autem Thronum & Sedes, quartum Dominationes, quintum Virtutes, sextum Potestates, septimum Principatus, octauum Archangelos, nonum Angelos.*

14. Cyrillus Alexandrinus lib. 1. Glaphyrorum sic ait: τί οὖν εἰπεῖν μοι χρῆναι φῂς; ἔγωγέ φημι τοι ἐπὶ τόδε λόγον ἀναβιβάζεσθαι πρὸς ἡμῶν, καὶ εἰς τὰ πολὺ λίαν τῶν καθ' ἡμᾶς ἐπέκεινα, φημὶ δὲ δὴ πάλιν τοὺς μακαρίους ἀγγέλους. πεποίηνται δὲ δὴ παρὰ θεοῦ. καὶ τὴν ἐκ τοῦ μὴ ὄντων ἔχουσιν εἰς τὸ εἶναι πάροδον ἄγγελοί τε καὶ ἀρχάγγελοι, θρόνοι τε καὶ ἐξουσίαι, δυνάμεις καὶ ἀρχαί. καὶ αὐτὰ δὲ πρὸς τούτοις τὰ ἀνώματα Σεραφίμ. & infrà διηρμηνευμένην μὲν ἔχουσι τὴν δόξαν, τὰ ἅγια χερουβίμ, καὶ σώζει βεβαίως τὴν οἰκείαν ἀρχήν· καὶ χίλιαί τε χιλιάδες λειτουργοῦσι θεῷ καὶ μυρίαι μυριάδες παρεστήκεισαν αὐτῷ. *Oportere enim censeo sermonem hac de re, etiam ad ea quæ longe superiora nobis sunt, traduci: ad beatos, inquam, rursus Angeles. Facti enim sunt à Deo, & à non esse ad esse sunt vocati*

Angeli, & Archangeli, Throni, ac Potestates, & Principatus, aliaque his adhuc superiora, Seraphin. & infra: Ceterum firmam quidem ac stabilem suam gloriam habent sancta Cherubin, propriamque dignitatem inconcussam tuentur: & mille millia seruiunt Deo, ac totidem myriades astiterunt ei. & Homil. 11. de Festis Paschalibus: καὶ ἀριθμοῦ μὲν κρείττονα πνευμάτων ἁγίων, ἔκτισε πλῆθυν· τάξιν δὲ τοῖς γεγενόσι τὴν ἀρίστην ἐπιτιθείς, τὴν μὲν, ὠνόμασεν ἀρχήν· τὸ δὲ, κυριότητα· θρόνον δὲ, ἕτερον· ἀρχαγγέλους δέ τινας· καὶ μὴν καὶ ἀγγέλους. *& innumerabilem sanctorum spirituum multitudinem procreauit, procreatamque suis ordinibus quam optime distinguens, Principatus alios, tum Dominationes, Thronos quosdam, alios Archangelos, Angelosque nominauit.*

15. Cesso cum Sancti Ignatij Epistola ad Trallianos: καὶ γὰρ ἐγὼ οὐ καθ᾽ ὅτι δέδεμαι, καὶ δύναμαι νοεῖν τὰ ἐπουράνια, καὶ τὰς ἀγγελικὰς τάξεις, καὶ τὰς τῶν ἀγγέλων καὶ στρατιῶν διαλλαγάς, δυνάμεων τε καὶ κυριοτήτων διαφοράς, θρόνων τε καὶ ἐξουσιῶν παραλλαγάς, αἰώνων τε μεγαλότητας, τῶν τε Χερουβεὶμ καὶ Σεραφεὶμ τὰς ὑπεροχάς, τοῦ τε Πνεύματος τὴν ὑψηλότητα, καὶ τοῦ Κυρίου τὴν βασιλείαν, καὶ ἐπὶ πᾶσι, τὸ τοῦ παντοκράτορος Θεοῦ ἀπαράθετον. *Etenim & ego, non quatenus vinctus sum, etiam cælestia intelligere possim, angelicos ordines, archangelorum militiarumque cælestium discrimina, Virtutum, Dominationumque differentias, Thronorum Potestatúmque diuersitates, Principatuum magnificentias, Cherubin, Seraphinque excellentias, & spiritus sublimitatem, & Domini regnum, & incomparabilem Dei Patris omnipotentis diuinitatem.*

De Angelorum creatione.

Cap. 7.

1. ANGELOS creatos esse à DEO Basilius explicat in Psalmum 32. hoc verborum contextu: ἀγγέλων γοῦν τὴν μὲν εἰς τὸ εἶναι πάροδον, ὁ δημιουργὸς τῶν ὅλων ὁ ποιητὴς λόγος παρείχετο· τὸν ἁγιασμὸν δὲ αὐτοῖς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον συνεπέφερεν. οὐ γὰρ νήπιοι κτισθέντες οἱ ἄγγελοι, εἶτα τελειωθέντες τῇ κατ' ὀλίγον μελέτῃ, οὕτως ἄξιοι τῆς τοῦ πνεύματος ὑποδοχῆς γεγόνασιν. ἀλλ' ἐν τῇ πρώτῃ συστάσει καὶ τῷ οἱονεὶ φυράματι τῆς οὐσίας αὐτῶν συγκαταβληθεῖσαν ἔσχον τὴν ἁγιότητα: *Angelos namque initio vt essent, Verbum opifex omnium condidit: sanctificationem vero simul impẽdit ipsis Spiritus Sanctus. Non enim in infantili statura sunt creati, deinde paulatim exercitati atque perfecti, sic spiritus susceptione digni sunt habiti, sed in prima constitutione, & quasi quadam conspersione suæ substantiæ simul infusam habuere sanctitatem.* Concilium Lateranense: *vnum est vniuersorum principium, creator omnium visibilium, & inuisibilium, spiritualium, & corporaliũ; qui sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis vtramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem & corporalem; Angelicam videlicet & Mũdanam; & deinde humanam quasi communem ex spiritu & corpore constitutam.* Lactantius lib. 4. cap. 8. *Alios item spiritus suos (Deus) in Angelos figurauit.*

2. Gennadius Massiliensis de Ecclesiasticis dogmatibus cap. 59. *Angeli qui in illa, qua creati sunt, beatitudine perseuerant, non natura possident*

bonum, vt non mutarentur cum ceteris, sed arbitrij seruantes bonam voluntatem, & bonum conditoris, & fidem suo domino seruauerunt, propter quod & meritò ab ipso Domino sancti Angeli vocantur, quod tenuerunt arbitrij sanctitatem, nec sociorum exemplo deuiauerunt à bono. Gelasius primus aduersus Pelagianam hæresin: *Angelos ad profectum conditos promerendæ stabilitatis æternæ, illa res indicat, quoniam si sic facti essent, vt vlterius nihil egerent, nulla pars eorum vllum potuisset habere defectum: non enim in eis diuersam naturam fuisse dicendum est, ne ille, qui propria voluntate prolapsus est Angelus, excusaretur, si hoc illi non suæ proteruitatis ingessit arbitrium, sed necessitas sibi inditæ conditionis imposuisse videatur. Vnde ergo beati, & sublimes Angeli de perceptis grati, piæ deuotionis officio, & non seipsos, sed potius ipsi præferendo conuenienter auctorem, ad eius perpetuitatem proficere, prouehique meruerunt: inde isti, qui reprobi sunt, de perceptis consequenter ingrati, debitumque dissimulantes obsequium, retracti sunt.*

3. Fulgentius de fide ad Petrum Diaconum cap. 3. sic ait: Illos quos terrenorũ corporũ grauat nulla lutulenta materies, id est, Angelicos spiritus, quis non videat non vnius naturæ esse cum Deo, sed factos ex nihilo. Quorum naturalis mutabilitas in eo cognoscitur, quia eiusdem naturæ pars est in deterius permutata. Deinde quod hi, qui deprauati non sunt, licèt illius dono, à quo, cùm non essent, facti sunt, indefensa, & in quantum creaturæ Angelicæ gratis datum est, perfecta dilectione, cõtemplatione, atque exercitatione, multitudinem dulcedinis Domini incessabili-

ter ſentiant, nec ab eo naturali conditione deficiant. & ſi inhærentibus Deo nihil ineſt de varietate temporis, quia collato ſibi æternæ incorruptionis atque incommutabilitatis munere, nihil in ſe ſentiant immutationis, ineſt tamen ſingulis naturalis terminus, quo à ſe inuicem diſcernuntur, quia nullus eorum in alio eſt, & cum vni eorum opus quodlibet iniungitur, alios quoque alteri operi implendo diuinæ poteſtatis deputatur arbitrio. Hæc omnia oſtendunt etiam ſanctos Angelos creaturam eſſe ſanctiſſimæ Trinitatis.

4. Quo verò puncto creati fuerint Angeli, difficile in primis eſt. Putarunt aliqui eos creatos eſſe ante mundum. Ita ſenſerunt Origen. Baſil. Nazianz. Ambr. Alij putarunt eos creatos eſſe poſt mundum. ita ſenſerunt Acacius, & Gennadius in Catena. Verùm dico eos ſimul cum mundo in principio temporis eſſe conditos, idque in cælo empyreo; ſunt enim eius ciues & incolæ. Ita cum S. Auguſt. Gregor. Ruperto, Beda docent Magiſter & Scholaſt. Vnde. S. Nazianz. orat. in Chriſti natiuitatem: *Angeli prodierunt à Deo, ſicut radij à Sole.* & vt ait S. Gregor. l.31. Mor. cap. 19. *eruperunt tanquam ſcintillæ à ſilice.* Imo Concil. Lateran. ſub Innocent. III. *Fide credendum eſt, Deum ab initio temporis ſimul vtrãque de nihilo condidiſſe creaturam; ſpiritualem & corpoream, Angelicam & mundanam.* Quæ verba licèt D. Thomas, & aliqui alij putent aliter accipi poſſe, ſcilicet quaſi obiter dicta de Angelis, propriè verò dicta contra Orig. qui cenſuit animas creatas eſſe ante corpora: tamen nimis diſerta & clara videntur quàm vt alio torqueri

possint: vnde videtur hæc sententia iam non tantùm esse probabilis, sed & aliquibus videtur certa de fide, inter quos hoc censet Cornelius noster in caput primum Genes. fol. 39. sed quidem non esse de fide est auctoritas multorum Patrum grauissimorum, qui tenuerunt Angelos ante cælum, & omnia visibilia creatos fuisse, quod tenuit Basilius in principio Exameron, Gregorius Nazianz. Homil. de Natali Domini, Orig. homil. 4. in Isai. Chrysost. super Iob. 40. Ambros. in præfatione Psalmorum. Hilarius lib. 12. de Trinit. non longe à fine. Isidor. lib. 1. de summo bono cap. 12. Damasc. lib. 12 de fide cap. 3. Quos omnes condemnare difficile visum est doctissimis viris, inter quos D. Thom. in explicatione illius decretalis Concilij Lateranen. dicit verba Concilij non determinare hoc de fide, quod in initio temporis fuerunt Angeli creati, sed positum esse ibi quasi doctrinam probabilem, quia intentio Concilij non erat ibi agere, vel definire de creatione Angelorum, sed de productione animarum, contra errorem Priscilliani & Origenis, qui animas in cælestibus ante corpora simul creatas asserebant. Cùm ergo non fuerit intentio Concilij definire de Angelis, non est id habendum quasi de fide. Quod verò dixit Ecclesiasticus: *Creauit omnia simul*, nihil vrget, quia simul, non ad tempus, sed ad modum creationis ex nihilo plane refertur, quasi dicat simul ex nihilo fecit Deus vniuersa, id est, similiter ex nihilo. Veruntamen multo probabilior & certior sententia est tenentium Angelos in initio temporis, in cælo & cum cælo fuisse creatos, & cum reliquis

creaturis. Quam tenet August. lib. 4. de Genesi ad lit. & sequuntur Beda, Rupertus, Magister senten. 2. distinct. 3. & ibi omnes scholastici cum D. Thom. Ex græcis etiam Theodoretus, Genadius, & Acatius in Genes. qui tamen contrariam sententiam, tanquam erroneam damnare non audent, neque Magister, neque D. Thom. imo neque August. sic ferme Ioannes Ferdinandus Societatis nostræ doctor Theologus, & Petauius etiam noster sic asserit: *Angelos ante mundi procreationem a Deo factos esse plerique veterum Patrum, præsertim Græcorum arbitrati sunt, & inter cæteros Gregorius Nazianzenus orat. 38. Quam sententiam Theologi quidam temerariam, & hoc tempore etiam hæreticam pronuntiare non sunt veriti. In quibus prudentiam ac moderationem merito desiderat Vazquez in 1. par. disp. 224. vbi validissime demonstrat, nec erroris damnandam illam esse, neque ab Ecclesia reiectam; tametsi longe sit altera probabilior, quæ Angelos negat ante cæli creationem esse productos, quod Epiphanius amplectitur.*

5. In fine illud sancti Fulgentij non omittam de Fide ad Petrum Diaconum: *Illos quoque quos terrenorum corporum grauat nulla lutulenta materies, id est, Angelicos Spiritus, quis non videat non vnius naturæ esse cum Deo, sed factos ex nihilo; quorum naturalis mutabilitas in eo cognoscitur, quia eiusdem naturæ pars est in deterius permutata. Deinde quia y qui deprauati non sunt, licèt illius dono, à quo cum non essent, facti sunt, indefessi, & in quantum creaturæ Angelicæ gratis datum est, perfecta dilectione, contemplatione, atque exulta-*

tione multitudinem dulcedinis Domini incessabiliter sumant, nec ab eo naturali conditione deficient: etsi inhærentibus Deo nihil est de varietate temporis, quia collato sibi æternæ incorruptionis atque incommutabilitatis munere nihil id se sentiunt immutationis, inest tamen singulis naturalis terminus, quo à se inuicem discernũtur, quia nullus eorum in alio est. Deinde multis prosequitur rem eandem.

6. Ex dictis elicio effectus tres, & possem alios, sed reseruo suis locis, quos S. Angeli exercent. Primo desiderant videre, quem vident: deinde timent quem amant: tertio mira est sedulitas Angelorum in nos defendendo.

7. Primo itaque desiderant videre Deum quem vident creatorem suum, de qua re S. Gregorius lib. 18. Moralium cap. 28. *Quia de Deo per primum Ecclesiæ prædicatorem dicitur: In quem desiderant Angeli prospicere: sunt nonnulli: qui nequaquam Deum videre vel Angelos suspicantur, & tamen dictum per veritatis sententiam scimus: Angeli eorum in cælis semper vident faciem Patris mei qui in cælis est. Nunquid ergo aliud veritas, aliud prædicator insonat veritatis? sed si sententia vtraque confertur: quia sibi nequaquam discordet, agnoscitur. Deum quippe Angeli & vident & videre desiderant, & sitiunt intueri, & intuentur. Si enim sic videre desiderant, vt effectu sui desiderij minime perfruantur, desiderium sine fructu anxietatem habet, & anxietas pœnam. Beati verò Angeli ab omni pœna anxietatis longe sunt; quia nunquam semel pœna & beatitudo conueniunt. Rursum cum eos dicimus Dei visione satiari, quia Psalmista ait: satiabor dum manifestabitur gloria*

tua: considerandum nobis est, quoniam satietatem solet fastidium subsequi. Vt ergo recte sibi vtraque conueniant, dicat veritas: quia semper vident, dicat prædicator egregius, quia semper videre desiderant: Ne enim sit in desiderio anxietas, desiderantes satiantur: ne autem sit in satietate fastidium satiati desiderant, & desiderant igitur sine labore, quia desiderium satietas comitatur, & satiantur sine fastidio, quia ipsa satietas ex desiderio semper accenditur. Sic quoque & nos erimus, quando ad ipsum fontem vitæ venerimus. Erit nobis delectabiliter impressa sitis simul atque satietas. Sed lõge abest ab ista siti necessitas, longe à satietate fastidium, quia & sitientes satiabimur, & satiati sitiemus.

8. Deinde timent vehementer Deum, quem amant, quemque sciunt creatorem eorum fuisse. De qua re præclarus est locus Ioannis Chrysostomi lib. 1. de incomprehensibili Dei natura, vbi simul homines desidiæ damnat; sic enim ait: ἀκούσωμεν τῶν ἀγγέλων. τί οὖν περὶ τῆς οὐσίας ταύτης ἐκεῖ διαλέγονται, καὶ πρὸς ἑαυτοὺς ζητοῦσιν; οὐδαμῶς. ἀλλὰ τί, δοξάζουσι, προσκυνοῦσι, τὰς ἐπινικίους καὶ μυστικὰς ᾠδὰς διηνεκῶς ἀναπέμπουσι μετὰ πολλῆς τῆς φρίκης. καὶ οἱ μὲν λέγουσι. δόξα ἐν ὑψίστοις θεῷ. τὰ δὲ σεραφίμ, ἅγιος, ἅγιος, καὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς ἀποστρέφουσιν, οὐδὲ τὴν συγκατάβασιν ἐνεγκεῖν δυνάμενα τοῦ θεοῦ. τὰ δὲ χερουβίμ· εὐλογημένη ἡ δόξα αὐτοῦ ἐκ τοῦ τόπου αὐτοῦ. οὐχ ὅτι τόπος περὶ Θεὸν, μὴ γένοιτο. ἀλλ᾽ ὡς ἂν εἴποιμεν μὴ ἀνθρωπίνως φθεγγόμενοι ὅπου ποτ᾽ ἂν ἐστὶν, ἢ ὅπως ἂν ἐστὶν. εἰ δὴ καὶ τοῦτο ἀσφαλὲς ἐπὶ θεοῦ εἰπεῖν. ἀνθρωπίνην γὰρ ἔχομεν γλῶτταν, εἶδες πόσος ἄνω φόβος; πόση κάτω καταφρόνησις; ἐκεῖνοι δοξάζουσιν. οὗτοι περιεργάζονται. εὐφημοῦσιν ἐκεῖνοι βλασφημοῦσιν οὗτοι. ἐκεῖνοι τὰς ὄψεις ἀποκρύπτουσιν, οὗτοι φιλονεικοῦσιν ἐνατενίζειν ἀναι-

ᾄδοντως τὴν ἀνεκδιήγητον δόξαν: Audiamus igitur Angelos ipsos, nonquòd de diuina substantia illi disputent inter sese, atque disceptent: sed quid? glorificant, & modulos triumphales secretosque assidue referunt summo cum timore. Alij, gloriam in excelsis Deo, modulantur; Alij, hoc est Seraphin sanctus, Sanctus, Sanctus concinunt: & suos auertunt oculos, cum ne condescensum quidem & indulgentiam Dei valeant tolerare. Ad hæc Cherubin benedictam gloriam eius ex loco eius obseruantissime referunt, nō quod locus aliquis circa Deum constet, sed quod more humano consueuimus dicere, vbicumque sit, & quemadmodum sit: quamquam ne id quidem tutè dici de Deo potest. Homines enim sumus, nec quam lingua humana verba de Deo facere possumus. Videsne quantum timoris, quanta religionis obseruantia inter Angelos est? Vides quantus contemptus, quanta negligentia inter homines? Angeli glorificant, honorant, colunt, obseruant, adorant: homines parui faciunt, petulanter scrutantur, temerè plusquam capere possunt, conantur capere. Illi commendant, & laudant; hi disceptant, & plus sibi arrogant, quàm valent intelligere. Illi oculos integunt, & venerantur; hi contendunt impudenter inspicere, atque intueri ineffabilem gloriam.

9. Vltimo proni sunt admodum ad custodiendum nos ex commissione Dei, cui se obligatos sentiunt, & deuinctos propter creationem, qua de nihilo creati sunt. Ioannes Chrysost. in serm. de Ascēs. Domini, qui est inter opera Gregorij Taumaturgi indulgentiam illorum in nos ita commendat: *Quando enim homines conseruis compati vides, iam non amplius dubitandi tibi lo-*

cus relinquitur de Cherubin; multo enim sunt illæ potestates indulgentiores hominibus. Cyprianus in serm. item de Ascensione Christi, discursus Angelorum celebrat in custodiendis animabus; sic enim ait: *Cessabuntque de cetero consummatis omnibus ministratorij angelicarum virtutum discursus.*

10. Ad sedulitatem Angelorum declarandam, visum mihi duo Angelorum exempla proponere, qui castigando ministeria Dei impleuerunt. Primum narrat Franciscus Ximenius lib. 2. cap. 15. qui fuit Patriarcha Hierosolymitanus, hic enim rarum exemplum scribit Bohemi Patriarchæ Aquileyensis, hominis supra modum Angeli custodis obseruantissimi, moribus autem perniciosissimi, ita vt indignus videretur tanto munere. Accidit verò aliquando vt in meretricia schola diuersaretur, fœtore vitiorum & luxuriæ inuolutus; tum verò temporis abrupto cœlo tempestate, horrenda tonitrua, & coruscationes ignis insonabant. Patriarcha tum temporis irato cœlo timidus supplex accedit ad Angelum custodem supplicans, vt tali tempore sibi auxilium ferret. Tunc subito fulminante cœlo fulgur disrumpitur in tonitruo immensum, ita vt igne se deuorandum crederet. Hic Bohemus vt potuit, Angelum suum inclamauit, vt custodiam ferret. Hic Angelus apparuit vultu admodum seuero, & increpitans hominem, luxuriæ vitium obiecit, quo nullum aliud enormius, & Angelico vultu indignius, dixitque: nequaquam patrocinium meum merebare, verbera potius & atroces minas; si tamen deinceps pœnitentiam egeris, scito Deum tibi

tibi misericordiam impetraturum; sin aliter, morieris fulmine. Promisit Patriarcha. & deinceps; t am castè vixit, tantoque exemplo, vt mereretur veniam, & in vitæ exitu Angelorum plurium occursus, qui eum ad cœlum pertulere.

11. Alterum est in speculo exemplorum dist. 10. exemplo 9. de quodam adolescente mira erga Angelum custodem deuoto, & modestia pudicitiaque animi insigni: hic cum litterarum gratia versaretur in diæcesi Vltraiectensi nescio quo casu aliquando accidit, vt coniūgeret se iuuenibus discolis & lasciuiæ deditis, qui malo exemplo & astu impudicæ mulieris, ad quam ille præter omnem opinionem suam deductus erat, eousque eum pellicere, parum vt abesset, quin cum puritate mentis florem virginitatis hactenus diuina gratia & protectione Angeli conseruatum & illæsum conculcaret. At desertis tandem sociis (nox quippe ingruebat) cùm domum repetens, etiam atque etiam expenderet secum, & admiraretur periculum, in quod irreparabilem pudicitiæ thesaurum coniecerat, ecce obuiam illi iuuenem insusitati decoris & claritatis, qui accedens alapam ei inflixit tanto impetu, vt in terram consideret, dicens, vel tandem disce peruersas societates defugere; & repentè disparuit. Adolescens attonitus rei nouitate paullo post in pedes se erexit, & reflectens animum ad ea quæ sibi acciderant, manifestè agnouit, iuuenem illum Angelum custodem fuisse, eiusque beneficio tantum se ea die discrimen castimoniæ euasisse, didicisseque imposterum peccandi occasiones vigilantius deuitare. Vnde incredibili perfusus gaudio pro dupli-

ci fauore Deo & custodi Angelo gratias reddidit cautior in conuersatione effectus per admonitionem illius à quo alapam sustinuerat, vt caro castigata ab Angelo erudiret spiritum.

De Angelorum veneratione & obsequio erga virginem Mariam.

Caput. viii.

1. Afferam auctoritates Doctorum de reuerẽtia & obsequiis Angelorum erga Virginem locupletissimis. Theodorus Metochita lib. Hist. Romanæ ait Virginem Mariam nutritam quamdiu in templo fuit ab Angelo. sic enim ait: ἡ γὰρ ἄμωμος αὕτη γεννᾶται μὲν ἐξ ἐπαγγελίας, τριετίζουσα δὲ προσαγάγεται τῷ ναῷ χρόνον ἱκανὸν ἐν τοῖς ἀδύτοις αὐτοῦ διαγάγει, ὑπ' ἀγγέλου κομίζεται τὴν τροφὴν ὡσεὶ δέκα γίνεται καὶ τεσσάρων ἐνιαυτῶν: *Inculpata enim ista* (Virgo Maria) *ex promisso diuino nata est, cumque annum ætatis tertium ageret, deducta ad templum, satis diu in penetralibus eius degit, & ab Angelo nutrita est vsque ad annum decimum quartum.* Hic est Theodorus ille, qui floruit ab hinc annis ccc. ingenio viuidus, cuius prolixa est mentio apud Nicephorum Gregoram lib. 7. cuius etiam Gregoræ exstat oratio funebris in morte magni Theodori Metochitæ, vbi Logothetam facit. Quod etiam Cantacuzenus non omisit lib. 1. cap. 11. cùm ait: *Id ipsum & magnus Logotheta Metochitas præstitit.* Atque etiam Phranzes lib. etiam 1. & cap. 11. De hoc viro satis multa Ioannes Meursius.

2. Deinde alios Diuorum discursus & encomia numerabo, quibus illi sanctissimam Dei genitricem efferunt Angelorum nomine, vt verè illi intelligantur ad patronam suam proni & procliues, cùm eam tam reuerenter adloquantur. Imprimis S. Bonauentura in Speculo cap. 3. ita eam alloquitur: *Domina Angelorum, hominum & dæmonum, est Domina Angelorum signata in domina Esther regina, de qua legitur, quòd super vnam famulam suam deliciosè innitebatur, altera autem famularum sequebatur Dominam, defluentia in humum vestimenta sustentans. Duæ famulæ sunt Angelica, & Humana Natura.* Et infra: *Anima humana est famula, quæ Dominā suam Mariam sequitur in mundo, colligens virtutes, & exempla Mariæ: Intelligentia verò Angelica est famula super quam Domina sua Maria innititur in cælo: innititur certè tanquam familiarißima se Angelis sociando, & se cum sua plenitudine Angelis communicando, & tanquam potentißima Angelis imperando; omnibus enim Angelis Maria innititur suo imperio. Vnde Augustinus ait: Michael Dux & Princeps militiæ cælestis cum omnibus spiritibus administratoriis, tuis Virgo paret præceptis in defendendis in corpore, & in suscipiendis de corpore animabus fidelium, specialiter tibi Domina, & die, ac nocte se tibi commendantium.*

3. Quin Mayro Scoti quondam discipulus ob insignem doctrinam *Doctor* cognomento illustratus, ait Virginem à septem illis Angelicis præstantissimisq. virtutibus sociari, sic inquiēs: *Decimum priuilegium huius Stellæ Maris est, quia*

habet septiformitatem in ambitu, quia septem stellæ notabiles voluũtur circa eam, ideo eius regio dicitur Septentrionalis. Ita & Mater Domini dicitur habere septem Angelos notabiles, qui assistunt eius throno, de quorum numero dicitur B. Raphael, vt dicitur in Tobia, iuxta illud Apocalypsis: Gratia vobis, & pax, &c. & sequitur: *A septem spiritibus, qui in conspectu eius sunt, & per consequens in conspectu throni Matris, quæ sedet à dextris eius.* Hos etiam septem Angelos Virginem sanctissimam venerari probatur ex B. Amadeo, de cuius sanctitate agitur in 3. part. Chronicorum S. Francisci lib. 6. cap. 30. qui in suis reuelationibus in primo raptu cùm cælestem curiam vidisset, audiuit Gabrielem hæc sibi dicentem: *Septem Angeli sumus, qui Genitricem Dei nostri veneramur, alios omnes vestri generis præcedimus.* & loquebatur de septem Angelis, qui throno Dei astant, vt videre est ex iis, quæ ibi subiiciuntur.

4. Sancta Brigitta in suis reuelationibus in sermone Angelico, quem ipse Angelus ex Dei præcepto eidem dictasse legitur, cap. 20. ita de glorificatione Virginis legitur: *Vnde quia Creator omnium ipsa mediante suum placitum perfecit in mundo, ideo placuit ei vna cum Angelis ipsam summo honore glorificari in cælo, & idcirco ipsius Virginis animam quando fuit à corpore separata, statim super omnes cælos ipse Deus mirifice sublimauit, eique imperium super vniuersum mundum donauit, & Angelorum Dominam æternaliter illam constituit. Qui quidem Angeli ita postmodum obedientes Virgini effecti sunt, quod omnes inferni pœnas libentius sustinerent, quàm aliquibus*

suis præceptis in aliquo contradicere. & infra: *Tunc denique ipsam Virginem tota cælestis curia summis laudibus exaltabat.* Thomas Bozius lib. 9. de signis Ecclesiæ cap. 7. ait laudatores fuisse Angelos B. Virginis Mariæ, sed auspicemur ab Angelo Gabriele, qui sic ad Mariam: *Aue Maria gratia plena, Dominus tecum*, huiusmodi præconium nulli hominum datum legitur ab Angelis. laudari verò non dicam à laudato viro, sed ab Angelo diuinitus ad hanc rem misso, maximæ est sublimitatis signum: neque verò mirum, nam cùm Canticis Canticorum describantur Ecclesiæ laudes, excellentissima verò pars Ecclesiæ sit Maria, merito in primis ad eam spectat, quidquid in eis decantatur, vt inter alios Rupertus è nostris, & Andreas Cretensis è Græcis dixerunt. & obiter damnat hæreticos, qui superbia elati non bene asserunt redditum Latinè *gratia plena*, cùm in græco sit κεχαριτωμένη.

5. Andreas Cretensis orat. 1. de dorm. Deip. loquens de Virgine in templo præsentata & de cibo cælitus allato: *Dico quod sepulchrum munus Deo dedicatum, & quomodo in adytis tanquam in aureis vecta thalamis immortalem, non autem communem cibum sumebat.* Germanus in orat. de oblat. Virg. *Mansit autem de cætero in Sanctis sanctorum, seu in templi penetralibus ambrosiam nutrimentum per Angelum accipiens vsque ad secundam ætatem.* Georgius Nicomediensis orat. de oblat. Virg. de ea agens: *Erãt quidem mores ei incõparabiles, & erat eius vita agenda ratio composita virtutibus. Quamobrem in dies procedente ætate crescebant in ea dona Spiritus, & versabatur*

cum Angelis, nec erat diuinarum expers apparitionum, cum ea vt solebat versante in adytis vidit Zacharias (qui munus sacerdotale obibat,) quemdam sermocinantem, qui erat inusitata specie, & ei prabentem alimentum; erat autem qui apparebat, Angelus. hæc Georgius Nicomediensis, qui addit Zachariam ex hoc viso tanquam ex re insolita vehementer admiratum, tum quòd conspiceret Angelum in templo assidue ad Virginem ventitantem, qui tamen eo in loco solis sacerdotibus & raro apparere solitus erat: tum etiam quia eidē in canistro materiali per se ipsum nullo intermedio, alimentum deferebat, eique ministrabat, cùm tamen Angelus Danieli prandium per Habacuch Angeli virtute in Babylonem delatum, & Eliæ per coruum manę, & vesperi nutrimentum perferendum curauerit. & mox Georgius: *Quis vidit, quis audiuit talem ascensum corporis, quod in sanctis habitat, & stipatur ab Angelis, & alimentum accipit Ambrosiam?* & infra: *Manus corporea admirabile quod conspectum fuit, alimentum accipiunt; & per ipsum, immaculata anima impletur donis. O summam pietatem, ô ascensum ætatis, quales scalas honestatis statuit ad cælestium altitudinem, per quas Verbum descensu nouo ad nos ascendit; per quas quod inferius erat situm terrenum naturæ tabernaculum, ascendit ad cælos. Tu autem ô homo, admirabilem & nouam viuendi in templo rationem audiens Virginis, noli de eo dubitare, noli examinare ratione ea, quæ capere non potest cogitatio. Vides ipsum* Dei *Verbum modo ineffabili habitasse in eius vtero, & contendes, fuerit ne alimentum materiale, an expers*

materiæ? vides paterno cõsilio Spiritus in ea adumbrationem, & de ministerio Angelorum dubitas? nihil est dubium ex iis, quæ sunt castissimæ Virginis ex eius magnalibus; nihil est quod non sit conueniens: oportebat Agnam immaculatam tali excipi conuiuio, talibus cibis exsatiari oportebat, non in sanctis sanctorum tabernaculi, sed in ipso cælo cæli in prima ætate educari eam, quæ his conspecta est latior & puritate antecelluit, oportebat non vnum solum ei seruire Angelum, sed decies mille millia eam stipare. Etenim quem illi minime possunt videre, ipsa mirandum in modum in vtero continuit. Georgius Cedrenus in compendio historiarum: *Erat in templo secretus locus aræ vicinus, vbi solæ virgines stare solebant, ac reliqua sane, populo dimisso, domum suam redibant, Maria vero in templo permanebat, atque ab Angelo nutriebatur.* Pantaleon Diaconus in Encomio S. Michaelis apud Metaphrastem, quod habetur apud Surium 29. septemb. vbi agit de S. Gabriele, cùm dixisset Gabrielem Zachariæ in templo ortum sancti Ioannis Baptistæ annunciasse, subiicit hæc verba. *Eũdem diuinissimum Gabrielẽ vidit idem Zacharias in Sanctis sanctorũ cibum è cælis afferentẽ ad Dei Matrem.* Vincentius sermone de Natiuitate Virginis loquẽs de eius conceptione sic ait: *Non credatis quod fuerit sicut in nobis, qui in peccatis concipimur, & nascimur, & nutrimur; sed statim postquam corpus fuit formatum, & anima creata, tunc fuit sanctificata; ideo festum de eius conceptione, quia facta est lux, scilicet sanctificationis in ea, & statim Angeli in cælo fecerunt festum Conceptionis.*

6. Dixi ſuperiùs Virginem Mariam fuiſſe *Maris ſtellam*, & id approbat vniuerſorum conſenſus, ad quam rem probandam, nullo melius teſte, poſſum adducere hiſtoriam admirabilem de prodigioſa tranſlatione Angelorum miniſterio facta eius domus in qua ab Angelo eſt viſitata, quæ primum in Dalmatiam, deinde in Picenum tranſlata eſt; quod Angelorum miniſterium ita gratiſſimum fuit, vt libeat hiſtoriam commemorare ex Turſelini lib. 1. Laur. hiſtoriæ cap. 2. Erat felix ædicula faſtigiato tecto, & ſimul camini culmine, ſimul ſublimi tintinnabulo, inſignis ac nulla re magis, quàm antiquitate viſenda. Erat figuræ quadrangulæ oblongæ, è vulgari ſtructa lapide, tectum laquearibus concameratum, quod modicis diſtinctum quadratis, cæruleoque colore obductum, in auratæ ſtellæ velut in cælo quodam intermicantes honeſtabant. Sub tecto laqueato eminebant vndique è parietibus modica ſemicirculi ſe mutuo contingentes: quos medios pictæ adornabant capedines. Parietes cubitali ferme craſſitudine non ad perpendiculum, neque ad regulam exacti, loricati tamen opere tectorio. Huic ſuperinducta antiquitus pictura, ædis ipſius myſteria referebat, quæ ſupernè mùltis locis hodie manet, infernè temporis vetuſtate defluxit. Ædis longitudo pedum amplius 40. latitudo 20. altitudo circiter 25. in medio ferme pariete, qui olim (vt reor) faciem obtinebat domus, ianua ſatis ampla, ſed à vulgari vſu haud ſane abhorrens. Pro ſuperliminari trabs rudis ſuperiecta eſt. Ad læuam armariolum miræ ſimplicitatis aſſeruandis fictilibus aptum. Ad dexteram in proxi-

mo pariete feneſtra non magna: è regione feneſtræ caminus humilis, tenuiſque, opere, vt cætera, vulgari. Inibi ſublime loculamentum columellis in orbem ſtrictis latera accingentibus cõſpicuum: arcuſque eiuſdem operis, quinque iunctas pariter lunas imitante faſtigiarum. In loculamento B. Mariæ ſtantis, ac puerum Ieſum altera manu medium amplexantis, altera ſuſtinentis effigies cedrina fere bicubitalis, cuius facies electro argentum referente oblita, ſed luminum infuſcata fumo. Ceterùm illa ipſa infuſcatio antiquitatis, ac religionis index impensè auget virginalis oris maieſtatem. Gemmata corona ſublimem diſtinguit verticem. Diſcriminati crines Nazarenorum ritu, per nuda colli, & humeros fluunt. Simulachrum ſtola aurea tegit latiore zona, gentis more ſuccincta, demiſſaque ad pedes. Palla cerulea ſtolæ ſuperinducta pendet ex humero: vtraque in eodem trunco cælata, pictaque. Inſiſtit maternæ dextræ puer Ieſus mortali ſpecie auguſtior, diuinæ cuiuſdã maieſtatis indolem vultu præferens. Priores dextræ digitos, bene prædicantis in morem tollit; ſiniſtra aureum tenet globum, & ipſe diſcriminato capillo, tunica talari, zonaque Nazarenum habitum refert. Ante Deiparæ effigiem, ara ſolido è ſaxo quadrato viſitur, ſpirans ſanctitatem. Quadrennio ſexque menſibus exactis, rurſus ſacra Domus ex Illirico ſolo in altũ tollitur (cauſa incerta eſt) & recedens ex finibus illis in Picenum perlata eſt, nimis precioſum Dei munus Italiæ miſſum. Quæ regio è regione Dalmatiæ ſita eſt interiecto Adriatico ſinu, conſedit autẽ in loco, quod Lau-

retum appellant iuxta Recinetenſem ciuitatem. Anno 1295. Iam igitur admirabilis ædes, ortu B. Virginis, & æterni Verbi conceptu celeberrima, iuſſu Virginis, & Angelorum miniſterio cùm aduecta eſſet in Picenum, ſtupor & inauditæ rei admiratio commouit accolas ad explorandum, an verum eſſet, quod factum fuerat, vt agnitó cæleſti munere, mente colerent, & gratias agerent, & ſe feliciſſimos arbitrarentur. Nihil potuit dici maius quàm vt Angeli & ſupremi ſpiritus eſſent baiuli habitaculi illius, in quo mater Dei eſt viſitata ab Angelo, & concepit filium.

7. Bernardus Homil.1.ſuper Miſſus eſt: *Honorate Sancti Angeli veſtri Regis matrem, qui noſtræ adoratis virginis prolem, ipſum vtique noſtrum pariter, ac veſtrum Regem, noſtri generis reparatorem, veſtræ ciuitatis inſtauratorem.* & Serm.4. de Aſſumpt. *In te* (Virgo) *Angeli lætitiam, iuſti gratiam, peccatores veniam inuenerunt in æternum, merito in te reſpiciunt oculi totius creaturæ; quia in te, & per te, & de te benigna manus Omnipotentis quidquid creauerat recreauit.* Cyrillus Hom.6. in Neſtorium: *Per te* (Regina cæli) *exultat cælum, lætantur Angeli, & Archangeli, fugantur dæmones.* Petrus Damianus in ſerm. de Aſſumpt. *Conſidera & quæ in cælis, & quæ in terris in Virgine refabricata, hominum redemptionem, Angelorum reſtaurationem.* Epiphanius oratione de Deipara: *Sanctiſſima Virgo Angelis ſuperior nata Deũ habitantem in cælis concepit in terra, vt hac ratione exercitus Angelorũ traheret in terram, & verſaretur cum hominibus. Ipſa enim eſt cæli, & terræ mediatrix, quæ vnionem naturaliter peregit.* Da-

mascenus orat. 1. de Virgine dormiente. *Tu es solium illud Regium, cui astiterunt Angeli, Dominum, & effectorem insidentem cernentes.* & orat. 2. *Hodierno die choreas agunt Angeli, plaudunt Archangeli, Virtutes concelebrant, Principatus exultant, Potestates lætantur, Dominationes gaudent, Throni festum diem agunt, Cherubin laudibus efferunt, Seraphin gloria afficiunt; nec minus ipsi gloria afficiuntur, cum gloria parenti gloriam tribuunt.* & infra ait Angelos omnes dormitioni Virginis interfuisse. *Quantumcumque enim summo Regi astent, illius tamen matrem & omnibus rebus conditis excellentiorem stipare oportebat.* Idem oratione 1. de Natiuit. alloquens sanctos Ioachim, & Annam: *Vos Angelis superiorem, nunc autem Angelis dominantem filiam extulistis.* Sophronius inter opera Hieronymi sic ait: *Hæc dicitur terribilis, vt castrorum acies ordinata, multis freta, & valata sanctorum agminibus; siquidem terribilis suis facta virtutibus vt castrorum acies admodum ordinata, hinc inde Angelorum sanctorum fulta præsidiis, pulchra vt luna, imo pulchrior quàm luna, quia iam sine defectu sui coruscat, cælestibus illustrata fulgoribus.* Epiphanius serm. de laudibus Deiparæ: *O Virgo incomprehensi mysterium ferens miraculum, quæ fidem ter optatam orbi prædicasti Virgo sublimior facta, & superior ipsis Cherubin, & Seraphin placens Christo Regi, à Deo in honore habita tanquam ancilla digna, & mater.* Andreas Cretẽsis orat. 2. de dormitione Deiparę: *Tu es res illa magna veneranda œconomiæ, quam cupiunt inspicere Angeli.* Gregorius Nicomed. in orat. de oblatione Virginis: *Oportebat non vnũ*

ſolum ei ſeruire Angelum, ſed decies mille millia eam ſtipare. Auguſtinus ſerm. 35. de ſanctis: *Si cælum te vocem, altior es; ſi matrem gentium dicam, præcedis; ſi dominam Angelorum vocitem, per omnia te eſſe probaris.*

8. Gregorius Thaumaturgus in ſerm. de Annunciatione: τῷ μηνὶ τῷ ἕκτῳ ἀπεστάλη ὁ ἄγγελος Γαβριὴλ ὑπὸ τοῦ θεοῦ πρὸς παρθένον μεμνηστευμένην ἀνδρί. Ἀπεστάλη Γαβριὴλ, τὴν παγκόσμιον μηνῦσαι σωτηρίαν. ἀπεστάλη Γαβριὴλ, φέρων τῷ Ἀδὰμ ὑπὸ γραφὴν ἀνακλήσεως. ἀπεστάλη Γαβριὴλ πρὸς παρθένον: ἵνα τὴν ἀτιμίαν τῆς θήλυος εἰς τιμὴν μεταβάλῃ. ἀπεστάλη Γαβριὴλ, ἄξιον εὐτρεπίσαι τῷ καθαρῷ νυμφίῳ τὸν θάλαμον. ἀπεστάλη Γαβριὴλ νυμφεύσασθαι τὸ πλάσμα τῷ πλάσαντι. ἀπεστάλη Γαβριὴλ, πρὸς τὸ ἔμψυχον τοῦ βασιλέως τῶν ἀγγέλων παλάτιον. ἀπεστάλη Γαβριὴλ, πρὸς παρθένον μεμνηστευμένην μὲν τῷ Ἰωσὴφ, τηρουμένην δὲ τῷ Ἰησοῦ υἱῷ τοῦ θεοῦ. ἀπεστάλη δοῦλος ἀσώματος πρὸς παρθένον ἀμόλυντον: *Menſe ſexto miſſus eſt Gabriel Angelus à Deo ad Virginem deſponſatam viro. Miſſus eſt Gabriel, vt totius mundi ſalutem adnuntiaret. Miſſus eſt Gabriel, vt reuocationis ſubſcriptionẽ Adamo deferret. Miſſus eſt ad Virginem Gabriel, vt mulieris ignominiam in honorem commutaret. Miſſus eſt Gabriel vt dignum puriſſimo ſpõſo thalamum pararet. Miſſus eſt Gabriel, vt inter creaturam & Creatorem ſponſalia contraheret. Miſſus eſt Gabriel ad animatum Regis Angelorum palatium. Miſſus eſt Gabriel ad Virginem, deſponſatam quidem Ioſeph; ſed Ieſu filio Dei ſeruatam. Miſſus eſt ſeruus incorporeus ad Virginem inuiolatam atque immaculatam.*

9. Ambroſius lib. 2. de Virginibus, loquens de Angelo Gabriele: *Quin etiam tunc ſibi minùs*

sola videbatur cùm sola esset: Nam quomodo sola cui tot libri adessent, tot Archangeli, tot Prophetæ? Denique & Gabriel eam, vbi reuisere solebat inuenit, & Angelum Maria quasi viri specie mota, trepida quasi non incognitum audito nomine recognouit: ita peregrinata est in viro, quæ non est peregrinata in Angelo, vt agnoscas aures religiosas, oculos verecundos. Hieronymus in lib. de Natiuit. Mariæ tom. 9. loquens de vita à Virgine in templo traducta: *Virgo Domini cum ætatis processu & virtutibus proficiebat, & iuxta Psalmistam, pater, & mater dereliquerunt eam, Dominus autem assumpsit eam: quotidie namque ab Angelis frequentabatur; quotidie diuina visione fruebatur, quæ eam à malis omnibus custodiebat, & bonis omnibus redundare faciebat.* Ildefonsus serm. 5. de Assumpt. *Si quis studio pietatis indagare voluerit quid post Ascensionem Domini egerit, quàm sanctè & iustè vixerit, & cum quibus habitauerit, soli Deo cognitum esse videtur, & Gabrieli Archangelo, cui eius tota caussa commissa esse prædicatur à Domino, & Angelis sibi collætantibus, secumque loquentibus.* Eusebius Emiss. hom. in vigilia Nat. *ecce Gabriel consiliator Virginis, eiusque conscius castitatis.*

10. Sanctus Germanus in Psalm. 44. ponit Angelicum vaticinium Ioachim & Annæ: *Secundum Angeli vaticinium, ô Virgo illustris proles, ex iustis hominibus Ioachim & Anna in lucem prodiisti hodie.* Hieronymus in historia de ortu Deiparæ: *Angelus Domini Ioachimo cum immenso lumine adstitit, qui cùm ad eius visionem turbaretur, Angelus qui ei paruerat, timorem eius compescuit: his dictis apparuit Annæ vxori eius.* S. Augustinus

lib. 9. de Genesi ad litteram cap. 15. *Quale ministerium Deo exhibuerint Angeli in illa mulieris formatione, quis audeat affirmare? Certißime tamen dixerim, supplementum illud carnis in costæ locum, ipsiusque corpus feminæ, & animam, conformationemque membrorum, omnia viscera, sensus omnes, & quidquid erat, quo illa, & creatura, & homo, & femina erat, non nisi in illo opere Dei factum: quod Deus non per Angelos, sed per semetipsum operatus est.* Bernardinus Senensis serm. 51. *Adfuit Virgini Angelorum protectio: aßidebant enim illi innumerabiles multitudines Angelorum in eius protectione; pie etenim creditur, quod plurimas legiones habuit Angelorum ad custodiam.* Circumferuntur verba hæc Chrysostomi nomine, quæ in gloriam magnam Virginis redundant: *Infinitam militiam Angelorum ad gloriosißimæ Virginis Mariæ obsequium deputatam nullatenus ambigimus, qui cauerent, ne præparatum æterni Regis hospitium hostes incederent.*

11. Anselmus de excell. Virg. cap. 3. *Nulli dubium sanctißimum corpus, & sanctißimam animam eius funditus ab omni fuisse macula peccati iugi Angelorum custodia protectam, vt pote aulam quam suus, & omnium Creator Deus corporaliter inhabitaturus, & ex qua hominem in suæ personæ vnitate, ineffabili fuerat operatione suscepturus.* & affert hoc exemplum: *Cùm enim præpotens aliquis aliquo vadit hospitaturus, vsus obtinuit, vt clientes præcurrant, locum muniant, mundent, ornent, & custodiant; qualis ergo apparatus omnis boni fiebat per aduentum, cælestis Regis in corde sacratißimæ Virginis, quem illa non solum erat in semet*

transitiuè hospitatura, sed etiam ex substantia sua factum hominem paritura? S. Bernardus homil. 2. super Missus est, Virginem hanc ait ab Altissimo præcognitam & sibi præparatam, ab Angelis seruatam, à Patribus præfiguratam. & epist. 174. prædic. Virginem reuerendam Angelis, & hom. 3. super Missus est: *Angelus ingressus ad eam, tam reuerenter eam salutauit.* & serm. Signum magnum: *Iam in eo quod tam reuerenter atque officiosissime ab Archangelo salutata est, vt iam in regali solio, supra omnes cælestium ordines regionum exaltatam cernere videretur, & paulominus adoraturus feminam, qui solebat ab hominibus æquanimiter adorari, excellentissimum nobis Virginis nostræ meritum, & singularis gratia commendatur*, S. Bonauentura in Meditationibus vitæ Christi cap. 3. agens de vita à Virgine gloriosa in sua pueritia in templo traducta, ex B. Hieron. hæc refert: *Beatus Hieron. sic scribit: Hanc sibi regulam B. Virgo statuerat, vt de mane ad horam tertiam orationibus insisteret: à tertia vsque ad nonam externo opere se occuparet: à nona verò iterum ab oratione nō recedebat, quousq; dū illi Angelus appareret, de cuius manu accipere escā solebat, & melius in Dei opere, & amore proficiebat.* & infra: *De esca, quam de manu Angeli accipiebat, ipsa reficiebatur; quam vero à Pontificibus templi accipiebat, pauperibus erogabat. Quotidie videbatur ei Angelus loqui, & quasi clarissima sorori vel matri obtemperabat.*

12 Quin sancta Brigitta in suis reuelationibus magnam excitat de hac re admirationem. In vna ait: *ô omnium consolatio Virgo Maria, hoc ip-*

sum tu es, ad quod Angeli à principio suæ creationis, tanta arserunt charitate, quod licèt ex suauitate, & alacritate, quam ipsi in Deo visione & appropinquatione habebant, ineffabiliter lætabantur; plurimùm tamen ex eo gauisi sunt, quod ipsi Deo eis propinquior fieri debebas, & ex eo quod maiorem charitatem, maioremque suauitatem, quàm ipsi habebant, tibi nouerunt reseruari. & alio in loco ipsa S. Brigitta: *Ita Angeli obedientes Virgini facti sunt, quod omnes inferni pœnas libentiùs sustinerent quàm aliquibus suis præceptis in aliquo contradicere.* Cui consonat Bonauentura in Speculo cap. 3. vbi scripsit ex Augustino: *Michael Dux & princeps militiæ cælestis cum omnibus spiritibus administratoriis, tuis Virgo paret præceptis, in defendendis in corpore, & in suscipiendis de corpore animabus fidelium.* Necnon exemplum illud quod constat ex annuis litteris Societatis nostrę anno 1569. vbi refertur, clericos desides aliquando fuisse in vesperis gloriosissimæ Virginis Mariæ deca[illegible]andis, quæ in assumptione eius solemni officio cogebantur dicere, in ciuitate Indorum Bazain, pluresque Angelorũ turmas descendisse de cælo, & cecinisse vesperas illas in choris separatos cælesti musica, ita vt multi transeuntes per forum viderentur aspicere fores apertas templi, cùm verè clausæ essent, & intus tripudiantem turbam Angelorum, de quibus claritas effulgebat, & consonantia musicorum incredibilis adstabat; de quo clerici à transeuntibus admoniti accurrentes & videntes effusi sunt in stuporem. Quamobrem sequenti die magno ciuitatis concursu celebrata est solemnitas illa

illa in gratiarum actionem Virginis & Sanctorum Angelorum.

13. Iam vocamur ad celebrationem, quam sancti Angeli fecerunt in Assumptione beatæ Virginis Mariæ, si priùs cõmemoremus id quod Petrus Damianus serm. de Natiuitate: *Duo leones sunt Gabriel Archangelus, & Ioannes Euangelista, quorũ alter dexteræ Virginis, alter sinistræ custos deputatus est; Gabriel enim mentem, Ioannes carnem peruigili solicitudine seruarunt.* Denique Virgini ex hac vita ad cælos migranti vniuersum Angelorum Christum comitantium cœtum officioso obsequio occurrisse quamplurimi Patres docent. Petrus Damianus serm. de Assumpt. *Matri cælorum palatia penetranti, filius ipse cum tota curia tam Angelorum quàm iustorum solemniter occurrens, euexit ad beatæ consistorium sessionis.* Andreas Cretensis orat. 2. de Virginis dorm. *Iam vniuersus supermundanarum potestatum, qui intelligentia percipitur pulchre instructus cœtus à nullo conspectus ad spectaculum confluebat admirabile.* Anselmus de excell. Virg. cap. 8. *stipatus mille millibus, imo innumerabilibus Angelorum agminibus Deus ipse huic piissimæ Matri suæ de hoc mundo migranti occurrit.* Bernardus serm. 1. de Assumpt. *Quis cogitare sufficiat quanto deuotionis affectu tota in eius occursum cælestium legionum prodierit multitudo.* S. Ildefonsus sermon. 1. de Assumpt. *Vide Ierusalem descendentem de cælo à Deo ornatam, vt reginam mundi, scilicet Mariam, secum eueheret ad sublimia, & collocaret in throno Regni: si enim Dauid cum omni populo ad ferendam arcam ascendit, & in figura officiosissime tan-*

ta confertur gloria: Quid hodie ante B. Virginem quando illa in cælestem Hierusalem euehitur? *Idem* serm. 3. de Assumpt. *Quod si ad partum Virginis talia cantarunt Angeli, credimus quod hodie dignas celebrarunt exequias, & suscipiunt cum gloria Matrem sui Creatoris gaudentes.* Sophronius sub nomine Hieronymi ser. de Assumpt. *Ad cuius exequias quantum fas est credere, Angeli famulabantur, & vniuersa cælorum congratulabantur curiæ, nec mirum, quia honor maternus eius est, qui natus est ex ea, quem omnis cælorum ordo veneratur.* & mox: *Credendum est hodierna die militiam cælorum cum suis agminibus festine obuiam venisse Genitrici Dei, eamque cum ingenti lumine circumfulsisse, & vsque ad thronum sibi etiam ante mundi constitutionem paratum cum laudibus, & canticis spiritualibus perduxisse.* Idem de Angelis in Deiparæ assumptione ei obsequentibus habent Gregorius Turonensis lib. 1. de gloria martyrum cap. 4. Nicephorus lib. 2. historiæ cap. 21. Arnaldus Abbas tract. de laud. Virg. S. Antoninus 3. par. Summæ tit. 31. cap. 3. & 4. par. tit. 15. cap. 45. §. 3. vbi Christum dicit personaliter ad Virginis assumptionem venisse: *& quia vbi Dominus, ibi & familia eius: ideo & millia millium Angelorum qui Domino ministrabant, cum Christo aduenerunt.* Damascenus orat. 2. de dorm. Virg. cùm dixisset Virginem spiritum suum in filij manus commendasse, & quid deinde fit? *Elementorum, vt mihi quidem videtur factus est motus, & alteratio, vocesque, & strepitus, laudesque dignas canebant Angeli præcurrentes, deducentes, & consequentes: partim quidem sanctißimam, & nulli*

culpæ affinem animam comitantes & simul ascendentes, donec regali throno stitissent Reginam; partim autem diuinum & sacrum corpus circumdantes, & canticis, quæ Angelis digna erant, Dei Matrem celebrantes. & infra ex Enthymiaca historia lib. 3. cap. 40. refert Iuuenalem Hierosolymitanum Archiepiscopum Pulcheriæ, & Marciano Augustis hunc in modum locutum: *Ex antiqua accepimus traditione, quod tempore gloriosæ dormitionis B. Virginis vniuersi quidem sancti Apostoli qui orbem terræ ad salutem gentium percurrebant momento temporis in sublime elati conuenerunt Hierosolymis, cumque illic essent, eis visio apparuit Angelica, & audita est psalmodia cælestium potestatum, & sic cum diuina gloria in manus Dei sanctam tradidit animam. Eius autem corpus, quod Deus suscepit ineffabili quadam ratione cum Angelica & Apostolica hymnodia elatum in loculo fuit depositum Gethsemane: quo in loco Angelorum chorea, & hymnodia mansit tres dies perpetuos: post tres autem dies Angelico cantu cessante, qui aderãt Apostoli, cùm vnus Thomas qui abfuerat, post tertium diem venisset, & quod Deum susceperat corpus adorare voluisset, loculum aperuerunt, sed omni ex parte sacrum eius corpus nequaquam inuenire potuerunt.* Simeon Metaphrastes orat. de ortu, & dorm. Deip. agens de corpore sanctissimæ Virginis post eius dormitionem ad sepulchrum elato: *Apostolis & diuinis patribus Deo digna cantica canẽtibus diuina arca ex Si on vecta Apostolicis manibus & humeris ad Gethsemane sacrum prædium exportatur Angelis, vt est consentaneum præcurrentibus, circumuersantibus, sequentibus,*

Angelicis pennis adumbrantibus, longe (inquam) ſplendidiore, & venerabiliore facta deductione, quã propter translationem veteris illius arcæ teſtamenti Domino, vt ſacra narrat eloquia. & infra: Eadem quæ Damaſcenus de Angelorum apud Virginis ſepulchrum conuentu per triduum, ex Iuuenali narrat: Nicephorus quoque eandem Iuuenalis narrationem deſcribit lib.2.cap. 23.& præſertim de Angelica hymnodia toto illo triduo, donec Deipara rediuiuo corpore glorioſa ad ſimilitudinem Filij reſurrexit.

14. Quin cantum Angelorum in Beatiſſimæ Mariæ Virginis vigilia cũ Aſſumptio celebraretur Cantipratenſis narrat hunc in modum lib.2. cap.40. num.7. In vigilia igitur Aſſumptionis Beatæ Mariæ Dominus Ioannes cognomento Reſebas, Prior Canonicorum regularium S.Ioãnis in Vineis iuxta muros eiuſdem ciuitatis, aſſumptis ſecum tribus Canonicis deuotiſſimis viris, qui nunc omnes defuncti ſunt in montem proximum ciuitati in loco vbi quondam eremita reſederat ad celebrãdam ſolemnitatem glorioſæ Virginis ſeceſſerunt. Inclinata autem die, cãtatis Veſperis panem, & aquam ore ſobrio libauerunt. Inde Completorio dicto poſt orationes deuotas & longas, membra ſuper nudam humum (deſertus enim locus erat) vt paululum quieſcerent, proſtrauerunt. Nec mora detentior, ſurgunt ad Matutinas, cantant ſimpliciter & deuotè. At vbi ante Laudes Prior nonam lectionem ex more finiuit, ſubito cõcentus mirabilis Angelorum inſonuit, & Reſponſorium: *Felix namque* altiſſimis vocibus cantauerunt; quouſque ad verſicu-

lum dicto quatuor tantùm ex illa innumera multitudine ſemper cum repetitionibus reſpondente. Poſt repetitionem vero ſecundam iteratò reſponſorium *Felix namque*, iuxta morē Gallicum, quatuor Angeli inchoarunt, & proſequentibus omnibus cōmuniter finierunt. Finito autem reſponſorio factum eſt ſilentium Angelorum. Priore autē inchoante: *Te Deum laudamus*, Matutinas cum ſuis laudibus perfecerunt. Quibus dictis, quot ſingultus, quot lachrymas, quot ſuſpiria in recordatione ſuauiſſimi modulaminis ab imo pectoris ediderunt quatuor illi beati viri, non eſt noſtrę poſſibilitatis euoluere, vel effari. Sed in eis completum plane poterit credi. Et reliquiæ cogitationis diem feſtum agent tibi. Horum duos noui: Priorem ſcilicet, & Robertum dictum Coquinarium, cæterorum nomina ſcire non potui.

15. Quis non videt in his omnibus ſanctorum Angelorum cœtus, & æternos ſpiritus Virgini Mariæ ita inſeruiſſe, vt meritò dici queant clientes illius & ſerui. Quid enim conferas cùm illa domus baiulatione, quam aggreſſi ſunt; quid cum his, quæ latè commemorauimus, quæque dici vix poſſunt ſine ſtupore mortalium, cum prę ſertim addat Petrus Damianus hom. de Natiuit. Virg. tom. 2. verba hæc: *Nec mirum, ſi cunctorum merita tranſcendat mortalium quæ & ipſa ſuperexcedit celſitudinem Angelorum. Per hanc enim beatiſſimam Virginem, non ſolum amiſſa olim vita hominibus redditur, ſed etiam beatitudo Angelicæ ſublimitatis augetur; quia dum homo ad ſuperna reducitur, illorum numerus, qui diminutus fuerat, reparatur. Hoc nempe Angelorum multitudo illa*

signauerat, quæ pastoribus audientibus in Redemptoris nostri natiuitate clamabat Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Cum enim prius dicitur, gloria esse Deo in excelsis: deinde additur, & in terra pax; patenter ostenditur, quia ineffabilis intemeratæ Virginis partus non solum terris, sed & ipsis nihilominus generabat gaudium cælis.

Quod canit Ecclesia: *Exaltata es sancta Dei genitrix super choros Angelorum ad cœlestia regna.* Item p.5. *Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato circundata varietate.* Glos. *Astitit, id est, super Choros Angelorum propinquius stetit. Regina verò a dextris tuis, id est prope Deitatem tuam. In vestitu deaurato Sapientiæ ad aduocandum pro hominibus. Circundata varietate meritorum scilicet & virtutum.* August. *Sed de te, ô Virgo quid dicam pauper ingenio, cùm quidquid dixero, minùs sit laude tua; si cælum vocem te, maior es: si Dominam Angelorum vocem, per omnia etiam comprobaris.* & Hieronymus: *Hæc est dies præclara, in qua meruit exaltari super choros Angelorum, & peruenire, vltra quam nostræ humanitatis naturæ licitum sit; vbi non substantia tollitur, sed gloriæ magnitudo mõstratur. Vbi Christus pro nobis introiuit Pontifex in æternum cæli palatium.*

Vnicuique nostrum datum esse Angelum Custodem.

Caput IX.

1. Incipio hoc caput ab illis Diui Bernardi in cãticis canticorum, quibus Angelicam custodiam mirè extollit. sic enim ait: *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilaui te amica mea, anima nusquam est sine Angelorum custodia, & ne dixeris in corde tuo, vbi sunt? quis eos vidit? vidit eos Propheta Elisaus, & fecit, orando, vt videret etiam Giezi: tu non vides, quia non es propheta, nec puer propheta. Vidit Patriarcha Iacob, & ait Castra Dei sunt hac. Vidit & Doctor gentium, qui dicebat, Nonne omnes administratorij spiritus. Ergo Angelicis suffulta ministeriis, & superno stipata agmine sponsa incedens similis est equitatui Domini.* Deinde non omittam Gennadium in epist. de Prædest. sic asserentem: τὰ δὲ διὰ τῶν φυλαττόντων ἀγγέλων· ὧν ἕκαστος ἑκάστῳ τῶν ἀνθρώπων ἀφωρισμένος, κινεῖ μὲν πρὸς τἀγαθὸν, ἀπαλλάττει δὲ τῆς τῶν δαιμόνων ἐνέδρας ἣν ὑποκρύπτουσιν ἐν τῇ ὁδῷ ταύτῃ. *Partim per Angelos custodes, quorum singuli hominibus singulis aßignati ac præscripti, incitant ad bonum, & à dæmonum insidiis liberant, quas occultè struunt.* Et addit posteà: τὰ μὲν γὰρ ἄλλα τέτακται πρὸς τέλος τῇ αὐτῶν φύσει σύστοιχον, καὶ ἄγονται μόνον ὡς ἐτάχθησαν ἀγνοῶς, ἢ ἄγουσιν ἑαυτά. ἄνθρωπος δὲ πρὸς τέλος ὑπερφυὲς, ὁριζόμενος μὲν ὑπὸ θεοῦ πρὸς αὐτὸν, καὶ οἴκοθεν δὲ ἀγόμενος ἅμα, καὶ ἀγγέλῳ φύλακι βοη-

θύωϑος Cetera quippe omnia ad finem ordinantur naturæ ſuæ congruentem, ac ducuntur ſolum vt ſtatutum ipſis eſt duci, non ducunt ſe, homo verò cum ad finem excellentem determinetur à Deo, & è domo ducatur ſimul & adiuuetur ab Angelo cuſtode. Iuſtinus Martyr dial. cum Tryphone & Angelis, dicit λέγονται ἀγγέλλειν, *dicuntur annunciare.* Quid hoc eſt autem, niſi habere cuſtodiam? & datur cuique Angelus cuſtos, propter rationes quatuor: Prima, vt proficiat & promoueatur in bonum gratiæ, 2. vt non cadat in malum culpæ. 3. Si cadat, vt poſtmodum reſurgat. 4. vt ſi non reſurgat à malo, non toties cadat.

2. Eximia pietas debetur Angelo, qui noſtræ cuſtodiæ diuinitùs adſcriptus eſt, ceteriſque beatis mentibus, corporum concretione liberis. Nam ſi nos Angeli curant, profectò decet nos gratam illorum ſeruare memoriam: ſi illi tantùm honoris habeant nobis, vt viliſſimæ rei (viliſſimos enim ſępe nos præter naturam, etiam peccatum efficit) ſuam operam nauent: quidni viciſſim nos illis ſummam venerationem & honorem debeamus? natura certe ipſorũ excellentem habet dignitatem: quòd ſint ab omni corporea mole liberi, quòd Deo ſimiles, quod velut aulici magni Regis cælorum, apud eum gratioſiſſimi, ſine metu offenſionis quod pleni gratia ſine metu amiſſionis. Beneficia verò, quæ in nos conferuntur, & multa ſunt, & magna & perpetua. Neque minus varia & magna & præſentia ſunt pericula, quæ ſine illorum ope, & erga nos beneuolentia non euaderemus. Neque ſolùm tutos nos ſed etiam ſecuros præſtant, niſi per noſmetipſos

impediantur. Multa enim nostra caussa volunt, quæ quod nos repugnemus, non possunt. Quin etiã quod Elisæo ostensũ est, longè maior est eorum numerus qui nobiscum faciunt: quam tetrorum spirituum, qui nobis infesti sunt. Sunt igitur non modò custodes nostri; sed propugnatores etiam, sed pædagogi, sed (si ita licèt dicere) nutrices, quæ nos sinu suæ defensionis amplectantur, & foueant: *Angelis suis Deus mandauit de te. Quantam debet tibi hoc verbum inferre reuerentiam,* ait D. Bernardus, *afferre deuotionem, conferre fiduciam? reuerentiam, pro præsentia; deuotionem, pro beneuolentia; fiduciam, pro custodia. In quouis diuersorio, in quouis angulo, Angelo tuo reuerentiam habe. Adsunt enim Angeli, & adsunt tibi, non modò tecum, sed etiam pro te adsunt vt protegant; adsunt, vt prosint.* Atque eodem modo faciem auertunt, cùm nos vel Deum peccando offendimus, vel in malis obstinati viuimus.

3. Receptum fuit in Ecclesia ab Actibus Apostolorum fuisse Angelum custodem, cui commissa esset vita nostra; nam legimus S. Petrum postquam liberatus fuisset è carcere tetendisse ad domum Mariæ Matris Marci, vbi ceteri Apostoli, ac discipuli Christi congregati vacabant orationi, & pulsato ostio dixisse se Petrum esse At non credentes verbis ipsius discipulos, vt qui probe nouerant quàm solidis catenis in carcere constringeretur, dixisse ad inuicem *Angelus eius est.* vide Theodorum Studitam serm. 45. & Augustinum Dathum in lib. de Geniali hyeme, qui eruditè scripsit de hac re. Quid de gentilibus re-

feram, qui effectus quoſdam fortuitos, dictos à philoſophis caſus contingentes, conſiderantes, cùm naturalem eorum rationem inueſtigare non poſſent, Angelis illos tribuebant, quos prophano vocabulo nominare cõſueuerant *Lares*, id eſt, Deos particulares domorum; & *Genios* id eſt, protectores perſonarum ſuarum. & Seneca in Epiſtola quadam docet vnicuique homini aſſiſtere Deum ſuum *Pædagogum*, ab eoque illum in omnibus actionibus erudiri. Vnde non ſine graui cauſſa exclamat Diuus Hieronymus dicens. Vide ô homo, quanta ſit dignitas animę, & quanti eam æſtimet ipſe Deus qui à momentis natiuitatis tuæ aſſignatum tibi de cælo voluit cuſtodem Angelum, & hunc tantæ potentiæ, vt citiùs ictu oculi poſſit vniuerſum mundum inuertere; tantæ maieſtatis, vt ſanctus Ioannes tametſi cum Chriſto familiariter conuerſari ſoleret, ad conſpectum Angeli prouolueretur in terram eum adoraturus, tam inexplicabili ſcilicet vultus ipſius dignitate & claritudine coruſcabat. & tamen ô homo, hic Angelus tam potens, tam ſplendidus ac venerandus, abs Deo tibi in tutorem adiungitur. Amplius dicam cum ſancto Baſilio, adiunctus eſt tanquam pædagogus; imo verò cum Apoſtolo, vt ſequatur velut miniſter: *Omnes administratorij ſpiritus*, Hinc anſam ſumit exclamandi ſanctus Bernardus in explanatione ſequentis verſiculi pſalmi nonageſimi noni: *Angelis ſuis mandauit de te. Mira dignatio, & vere magna dilectio caritatis. quis enim, quibus, de quo, quid mandauit?* ac ſi diceret: deſtinauit nobiliſſimam creaturam ad ſeruiendum homini terreno

formato ex luto: fidelissimum amicum ad custodiendum hostem; potentissimum defensorem ad protegendum imbecillitatem naturæ humanæ. Hæc Albertinus societatis nostræ. Cui addo Anastasium Sinaitam quæst. 57. probantem hoc ipsum ex Epiphanio, Cyrillo, Nicephoro.

Itaque Epiphanius ait, inquit Sinaita: *Vnicuique genti præesse Angelum dicit Scriptura.* & probat multis Cyrillus: *Scimus sanctos Angelos à Deo esse ordinatos ad opem ferendam credentibus, & ut sint veluti duces populorum.* Nicephorus Cõstantinopoleos Archiepiscopus: *Scimus & credimus nostras in Deo glorificationes & laudes per sanctos offerri Angelos; siquidem verum est illud; Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui est in cælis. Quid agentes, aut quid operantes, nisi quod nostras petitiones ad aures Domini Sabbaoth omninò adducentes, eum reddunt propitium propter ea quæ gessimus.* Anastasio Sinaïte adiungo Iustinum Martyrem, à quo in Responsione quæst. 30. Angeli dicuntur *τοῖς ἀνθρώποις φύλακες, custodes dati hominibus.*

4. Quin cum Angelis familiariùs viuimus. S. Chrysost. hom. 68 de Precatione 2. *καὶ γὰρ ὡς ἀληθῶς ὁ δουλεύων ἡδοναῖς, δαίμοσιν ὁμιλεῖ, καὶ τὴν ἐκείνων μανίαν ἐζήλωσεν. ὥσπερ ὁ σωφρονῶν καὶ δικαιοσύνην ἀσκῶν ἀγγέλοις συνδιαιτᾶται, καὶ τὴν ἐκείνων ζηλοῖ μεγαλοπρέπειαν: Etenim qui se voluptatibus mancipat, is reuerà dæmonibus familiariter utitur, eorũque insaniam æmulatur: ut contra is, qui temperantiam, & iustitiam colit, angelis familiaris efficitur, & ad eorum amplitudinem contendit.* Quodã die cũ pietatis opera ardentiùs quã sole-

bat, exſequeretur Philippus Nerius, Angelus pauperis ſpecie ei ſe ſe oſtendit, ſtipem petit; cui cùm ille quam habebat pecuniam libenti, promptoque animo elargiretur, experiri veneram, dixit ei illico Angelus, quid facturus eras? & his dictis euanuit. Qua ex re, eo Philippus miſerationis affectu in pauperes ferri cœpit, vt ex eo die, nemini vnquam poſcenti eleemoſynam negauerit. Pauperibus viris, ac feminis, quibus opus habebant, abunde ſuppeditabat. Iuuenibus ad litterarum ſtudia propenſis pecunia, & libris, ac veſtibus nõ deerat. Hebdomada nulla erat, quin eleemoſynã iis, qui in carcere retinebantur, mitteret. Nemini tandem pauperum ſtipem denegabat. Homo enim paulominus ab Angelis diminutus eſt, & tamen iubente Deo habet Angelum, qui ducat eum per difficillíſſimos calles, & inſeruiat illi in aduerſis mundi rebus, & doceat, & ducat per vias rectas, & in caligine tenebrarum ſit homini rerum ignaro miniſter luminis, & director itineris. Sed quoniam intereſt hominis agnoſcere Angelicam dignitatem, & perſpectam habere nobilitatem illius ſupernæ naturæ, quæ noſtri curam gerit, & illud agit, vt nos perducat ad conſortium cæleſtis Regni, in quo ipſi dominantur, & exercent principatus ſuos, ideo illud ſtudere deberemus, vt apud nos eſſet ſatis nota Angelica ſocietas; habemus enim ſocios noſtros, Reges & Principes & Dominatores. Ita enim fieret, vt excellentiam naturæ illius veneraremur, & diligeremus, qui nobis præſto ſunt in auxiliis opportunis, & ita diligunt nos, vt non dedignentur nobis iugiter eſſe præſentes, & nos illuminantes.

Hæc enim ſi cognita haberemus, vtique redderemus pro præſentia reuerentiam, pro beneuolentia deuotionem, pro cuſtodia fiduciam: Magnaque prorſus eſt iniuria, & reprehenſibilis valde aliquorum hominum, qui nec quidem hoc ſciunt, quod habeant Angelum tutorem, & cuſtodem; vel ſi ſciunt, paruipendunt tantum Ducem, & tanti beneficij ſunt prorſus immemores, & raro de Angelo ſuo cogitant, aut ad illum confugiunt, cùm periclitantur, aut ponunt in manu illius orationes, quas faciunt, vt præſentent illas Angelorum hominumque Regi. Illi enim ambitioſo quodam famulatu, deſideria, & poſtulationes noſtras ad æternum & inuiſibilem Deum perpetuo, & fideli miniſterio peruehunt. Et ante omnia ſciendum id, quod alibi attingo, cuſtodiã Angeli datam hominibus adhuc in vtero matris: quod teſtatur Soarius lib. 8. de Angelis cap. 17. n. 18. ait enim: *Hac prouidentia liberalior eſt, ideóque huic parti libentiùs adhæreo.* Nam cùm mater poſſit aliquid tentare filio nociuum, opus eſt Angelo, qui arceat. item, credibile eſt, illi ſtatim infanti in materno vtero adiungi dæmonem: neceſſe ergo eſt Angelum deputari. Eiuſdem ſententiæ eſt Tertullianus lib. de Anima c. 37. vbi ait, aliquam poteſtatem miniſtram Dei modulari in vtero hominis conceptionem. & Anſelmus in Elucidario ait: *Vnaquæque anima, dum in corpus mittitur, Angelo committitur.* Cõtrarium ſentit Hieronymus, cùm ait in Matth. à natiuitate Angelum puero deputari: & ita intellexit S. Thomas: *Quia puer*, ait, *dum eſt in vtero, eſt veluti pars matris.* Primaſius in epiſt. ad He-

brços extendit, cùm inquit: *Vnicuique fidelium ab ortu natiuitatis, vel potiùs à tempore baptiſmatis datur à Deo Angelus ad ſui cuſtodiam.* Placet Soarius. Et quid ſi Hieronymum non alienum à ſententia mea iudico, cùm ortus natiuitatis explicari poſſit de conceptione in vtero. Quæ locutio conformis eſt ſanctis Patribus, & viris doctis. Sed antequam tutelas eorum circa genus humanum ab ipſis dilectum commemoremus, videamus aliqua, quæ Patres de Angelis magnificè ſcripſerunt.

Varia Patrum encomia de Angelo Cuſtode.

Caput X.

INCIPIO ab Sophronio Archiepiſcopo Hieroſolymitano, qui in encomio Angelorum ita ait ornatè & grauiter: *Cùm igitur tali tantaque gloria ſitis exornati, totque prærogatiuis cumulati, meritò veſtram benignitatem rogo & obſecro; ô boni, omnisque maculæ exſortes Angeli & Archangeli, veſtræ ô impolluti ſpiritus magnificentiæ ſupplico, conſeruate vitam meam inoffenſam, ſpem infractam, mores inculpatos, dilectionem erga Deum & proximum integram, & ab omni offenſione liberam. Manu me quæſo ducite & deducite, & ad omnem ſalutarem, Deoque acceptam ſemitam dirigite.* Nazianzenus orat. 42. Ἀγγελικῶν οἶμαι δυνάμεων οἳ συνεργοῦσιν ἡμῖν πρὸς τὰ κρείττονα. *Ab Angelicis opinor virtutibus, quæ nobis ad optima quæque adiumento ſunt.* S. Macarius homil. 22. duplicem animæ ſtatum conſtituens, ita luculenter: ὅταν

ἐξέλθῃ ἐκ τοῦ σώματος ψυχὴ ἀνθρώπου, μυστήριόν τι μέγα ἐκεῖ ἐπιτελεῖται, ἐὰν γὰρ ᾖ ὑπεύθυνος ἐν ἁμαρτίαις, ἔρχονται χοροὶ δαιμόνων, καὶ ἄγγελοι ἀριστεροὶ καὶ δυνάμεις σκότους παραλαμβάνουσι τὴν ψυχὴν ἐκείνην καὶ κρατοῦσιν εἰς τὸ ἴδιον μέρος. καὶ οὐκ ὀφείλει τὶς ἐπὶ τούτοις ξενίζεσθαι. εἰ γὰρ ζῶν καὶ ὢν ἐν τῷ αἰῶνι τούτῳ ἐπετάγη, καὶ ὑπήκουσε, καὶ δοῦλος ἐγένετο αὐτοῖς, πόσῳ μᾶλλον ὅταν ἐξέρχηται ἐν τοῦ κόσμου, κατέχεται καὶ κρατεῖται ὑπ' αὐτῶν. ἀπὸ τοῦ μέρους τῶν ἀγαθῶν ὀφείλεις νοῆσαι ὅτι οὕτως ἔχει τὰ πράγματα. καὶ γὰρ τοῖς ἁγίοις δούλοις τοῦ θεοῦ, ἀπὸ τοῦ νῦν εἰσιν ἄγγελοι παραμένοντες καὶ πνεύματα ἅγια κυκλοῦντα αὐτοὺς καὶ φυλάττοντα. καὶ ὅταν ἐξέλθωσιν ἀπὸ τοῦ σώματος, οἱ χοροὶ τῶν ἀγγέλων παραλαμβάνουσιν αὐτῶν τὰς ψυχὰς εἰς τὸ ἴδιον μέρος, εἰς τὸν καθαρὸν αἰῶνα. καὶ οὕτως αὐτοὺς προσάγουσι τῷ κυρίῳ: *Cùm anima decesserit è corpore hominis, tunc magnum quoddam peragitur mysterium. Nam si fuerit illa peccati rea, accedunt chori dæmonum, & Angeli sinistri, ac potestates tenebrarum apprehendunt animam illam, & imperio subiugatam in suas partes pertrahunt. Nec debet hoc videri cuipiam insolens. Si enim dum viueret homo, & in hoc seculo ageret, subditus fuit, obtemperauit, & inseruiuit illis: quanto magis cùm egreditur ex hoc mundo, detinetur ac poßidetur ab illis? Quod autem res ita se habeat, ex ea parte potes intelligere, quæ fœlicioris est conditionis. Siquidem si præsenti tempore sanctis Dei seruis aßistunt Angeli, ac sancti spiritus circundant eos & custodiunt; cumque exierint è corpore, chori Angelorum assumunt animas in suam partem in seculo puro, & sic adducunt eas ad Dominum.* Basilius Seleucienſ. orat. 5.

τοιούτῳ δὲ φθοροποιῷ λοιμῷ κατεχομένης τῆς κτίσεως, καὶ λύθρῳ ψυχῶν, καὶ σαρκῶν μολυνομένης, ἐδυσφόρουν μὲν

τῶν ἀγγέλων αἱ τάξεις, καὶ τῆς ἀνομίας τὴν πυρκαϊὰν ἐπωδύροντο: Cùm hac peſtifera lue corriperetur creatura, & animarum, carniſque ſanie inquinaretur, Angelorum ordines grauiter ferebant, & ardentiſsimis vitiis indolebant. Indolebant, inquam, tot millia hominum præcipitari in tartarum, quot vellent ipſi in cælum portare, vt qui cuſtodiæ hominum eſſent præpoſiti.

2. Iam verò quanta ſit cura Angelorum, qui eorum diſcurſus, vt auxilium ferant commiſſis animabus, Petrus Damianus explicat in epiſtola quam ſcripſit ad Alexandrum II. Pontificem max. vbi ſic inquit: *Porro autem qui diuinarum ſcripturarum vacat eloquiis, non ignorat, quia per hunc mundum cæleſtium virtutum quotidie multitudo diſcurrit, quæ nobis auxilii manus in certamina porrigit.* Et poſt adductum Danielem, & Paulum, ſubdit: *Neque enim verſutiæ tam callidi, tam exercitati hoſtis poſſet fragilitas humana reſiſtere, niſi eos à tentationibus electorum virtus Angelica propulſaret. vnde vnicuique noſtrûm à die baptiſmatis vſque ad obitum delegatus eſt Angelus, qui & viriliter decertantem à tentatione cuſtodiat, & auxilium præbere in tentationibus non deſiſtat. Daremus exempla, niſi cerneremus frequentatione notiſsima.* Agit videlicet de Angeli cuſtodia, qui nulli parcit labori, vt inſidiantis hoſtis malitiam diſſipet, technam auertat, diſperdat flatus. Nam videlicet proſequitur, *Deputat Deus Virtutes Angelicas humanæ cuſtodiæ; & infelix homo relictâ munditiâ, & puritate virtutum, ſqualoribus ſe polluit, ac ſordibus vitiorũ. Nã cũ inhalantis ac cœnoſa luxuriæ fœtore proueluitur; cũ vermeſcentis*

mescentis auaritiæ sordibus inquinatur; cùm denique ad instar Ægyptiorum fluminum, homicidialis anima in odii sanguinem vertitur; postremò cum velut in cloacam stercorum corruens, multiplicis nequitiæ fecibus fœdatur; hunc Angelus fœtorem & inhonestam purulentiæ nauseam inuitus satis & grauiter tolerat; etsi cælestis imperij lege constrictus, obedientiam non omittat. In Angelorum quippe conspectu nil sordidum, nil fœtet obscœnũ, nisi vitium, & peccatum. Vides diligentiam Angeli in custodiendo te, vides vitiorum tuorum sentinam & fœtorem Angelicæ custodiæ odio esse. & S. Antiochus de benigna & comi attentione cap. 61. *Et quidem iustitiæ Angelus verecundiæ atque intemerati pudoris cupientissimus, mansuetus insuper est & tranquillus. Hic vbi primùm in cor hominis ascenderit, cum eo mox sermonem fecit familiariter de iustitia, de munditia, & castitate, de probitate morum, de frugalitate & parsimonia victus, de operatione quæ iusta sit, denique de virtute omni gloriæ cælestis conciliatrice.* Mox aduersa omnia ponit Angeli mali, &c. Etenim etiamsi non videas Angelum te custodientem, sed certissimè adest tibi. Nam (vt ait Bernardus in Cantic. *Anima nusquam est sine Angelorum custodia, & ne dixeris in corde tuo, vbi sunt? quis eos vidit? vidit eos propheta Elisæus, & fecit orando, vt videret etiam Giezi: tu non vides, quia non es propheta, nec puer prophetæ,* &c. & S. Hieronymus illud Isaiæ 66, vbi Propheta dicit, *Adducent fratres vestros de cunctis gentibus in equis & in quadrigis*, exponit de Angelis, dicens, *Diuersi generis vehicula, ministeria*

intelliguntur Angelica. His equis & curribus Elias raptus est, & Elisæus se seruari nescienti puero demonstrauit. Et Zacharias vidit in nocte equos rufos, nigros, varios, & albos; & dixit, Qui sunt isti, domine mi? Et ait Angelus, Isti sunt quos misit Dominus, vt perambulent terram. Vides statarias cohortes quæ stipent tuum latus, quæ terras perambulent, commissas animas seruaturi, & cum omni diligentia, non aliter ac equi variè in omnem partem currentes. Et Blosius in dictis Patrum: *Hi præclarissimi filij & amici Dei, ac præcellentes cælestis palatij principes, ex immodica charitate sua tibi ad seruiendum (Deo ita disponente) subiecti sunt, teque tanto studio & curâ custodiunt, vt nulla mens id planè capiat. Neque enim vlla vnquam mater erga vnicè dilectum filium suum regendum, custodiendum, tuendumque vigilauit, vti hi beatissimi spiritus saluti inuigilant: & præcipuè Angelus proprius tuæ speciatim custodiæ à Domino deputatus. Nam noctu & diu, omni loco, & tempore, in cunctis causis & necessitatibus tuis summa cum fidelitate tibi adest, & ne ad momentum quidem vnquam à te recedit. Sanè cùm cælestes illi spiritus videant & cognoscant, quàm admirabili, immenso, atque ardenti amore, & tuus & ipsorum Dominus te prosequatur: hinc etiam & ipsi tantâ dilectione te complectuntur, vt à nullo id dignè queat exprimi. Reuolue quæso sæpiùs tanta erga te diuini amoris documenta, & à peccatis, quibus Deum & Angelos offendisti, diligenter abstine.*

3. Hinc deducunt Doctores, vt ait Albertinus, S. Thomas, Antoninus, & alij, vnum An-

gelum non præsidere pluribus hominibus successiuè, sed diuersis hominibus custodes quoque assignari diuersos. Et facile æstimari potest, quāta sit cura & vigilantia, qua singuli Angeli singulos homines sibi commendatos custodiunt. Tametsi eam erga nos exercet benignitatem amantissimus Deus, vt submittat aliquando, maximè pro defensione iustorum complures Angelos, vt fecisse legitur Patriarchæ Iacob, prophetæ Elisæo, aliisque multis. Quanta igitur multitudo Angelorum, qui destinati sunt nostræ custodiæ? Sancta Brigitta lib. 4. Reuelat. cap. 11. *Si computarentur omnes homines, qui nati sunt ab Adam vsque ad nouissimum qui nasciturus est in fine mundi, plusquam decem Angelorum inuenirentur pro vnoquoque homine.* Itaque finge infinitos homines qui fuerunt à primo parente humani generis vsque ad vltimum, tot erunt Angeli custodes in vltima hierarchia. Quod si hanc summam decies multiplices, quot erunt? Vix hisco. & non audies tantum Angelum, tantum nuntium, qui tuo noctu diuque assistit lateri? Audi Origenem homil. 20. in cap. 25. Numeror. *Si homo non acquiescit monitis Angeli, qui sibi deputatus est ad salutem, auferetur maceria eius, & erit in conculcationem. Quod si Princeps meus, Angelum dico, qui est mihi consignatus, commonuit de bonis, & locutus est in corde meo, sed ego contemptis eius monitis, & spreto conscientiæ retinaculo, præceps in peccata corrui, duplicabitur mihi pœna, vel pro contemptu monitoris, vel pro facinore commisso.* Et Petrum Damianum lib. 6. epist. 32. ad Eremitas monasterij Gamagnensis,

Si ergo vita nostra tam praua videtur & squalida, vt etiam carne vestitis hominibus fœteat, qualis putas est Angelis, qui iugiter semper eminent in spiritualis munditie culmine? qualis Deo, qui & ipsam superat Angelicam dignitatem? vnde & illud formidolosè pensandum est, ne illos, qui ad custodiam nostram deputati sunt, Angelos vitæ nostræ fœtor offendat; vt potiùs apud Deum conqueri, quàm sua nos debeant attestatione tueri. Hæc omnia nos inuitare debent ad suppliciter venerandos custodes nostros. Sed quid si addamus verba Gregorij Nysseni in orat. de Mortuis: Μακάριος μὲν γὰρ ὄντως ἐκεῖνος τῶν ἀγγέλων ὁ βίος, ὁ μηδὲν τοῦ σωματικοῦ προσδεόμενος βάρους. οὐ μὴν οὐδὲ οὗτος ἀπωτελεὶς ὡς πρὸς ἐκεῖνόν ἐστιν. ὁδὸς γὰρ πρὸς τὸ ἐλπιζόμενον, ὁ παρὼν γίνεται βίος: *Beata quidem est illa Angelorum vita, quæ nullo eget corporis pondere. Attamen neque hæc, quatenus ad illam dirigitur, est imperfecta. Est enim præsens vita tanquā via quadam nos ducens ad id, quod speramus.* Est sanè Angelorum, non solùm minis & terroribus nobiscum agere, sed lenocinio & blanditiis; proponuntque nobis æternam vitam & beatam, vt eò nos perducant lætabundos, qua ipsi perfruuntur.

4. Qua de re exemplum narrabo, vt sciamus qua benignitate illi ciues cælestes nobiscum agant, non solùm minando, sed etiam blandiendo. Est hoc exemplum in Francisco Ximenio Patriarcha Hierosolymitano lib. 5. cap. 11. Erat Romæ matrona, Fulgentia nomine, honestissima; quæ tamen commutata in immane turpiudinis barathrum decidit. & illud Augustini

euentu ipſo probauit, interdum Deum punire occultam ſuperbiam manifeſtâ luxuriâ. Tandem cecidit in notiſſimam ſpurcitiam. Dæmon qui inuigilat noſtris damnis decreuit illam non honore ſolùm, ſed vitâ priuare. Itaque aſſumpto habitu viri grauiſſimi, & ſecum ſocios duodecim, crimen Fulgentiæ impegit coram magiſtratu, quod & probauit cum teſtibus duodecim. Adducta mulier ad iudicium eſt, expauitque vehementer ad crimen delatum, & ſupplicabunda orauit Virginem Mariam & Angelum cuſtodem, ne ſe deſererent in illo extremæ neceſſitatis articulo, in quo de honore & vita agebatur; promittens deinde emendationem vitæ, & pudicè vitam acturam: Illico apparuit fœminæ iuuenis formoſiſſimus ſupra quàm credi poteſt, illamque vſque ad tribunal iudicis comitatus eſt, intrudens que ad iudicem: Quis (inquit) Fulgentiam accuſat? & ad accuſatorem dæmonem. Tunc (inquit) accuſas, qui iam olim è cælo cecidiſti immanis bellua? Illico dæmon Angelum agnouit, & proturbatus ſimul cum ſociis diſparuit. Iudices dæmonis tam atroci caſtigatione permoti, & Angeli patrocinio, non ſolùm fœminam caſtiſſimam iudicarunt, ſed etiam innocentiæ in ea exemplum, ſplendoremque vitæ ineſſe crediderunt. Hinc iam ad alia Sanctorum elogia & preconia accedamus.

5. Baſilius Magnus homil. in Pſalm. 33. ita ait: παντὶ πεπιστωκότι εἰς τὸν κύριον ἄγγελος παρεδρεύει, ἐὰν μή ποτε αὐτὸν ἡμεῖς ἐκ τῶν πονηρῶν ἔργων ἀποδιώξωμεν. ὡς γὰρ τὰς μελίσσας καπνὸς φυγαδεύει, καὶ τὰς περιστερὰς δυσωδία ἐξελαύνει, οὕτω καὶ τὸν φύλακα τῆς ζωῆς

ἡμῶν ἄγγελον ἡ πολύδακρυς καὶ δυσώδης ἀπελαύνει ἁμαρτία: *Omni namque in Christum credenti Angelus aßistit, nisi illum à nobis per improbas actiones profligauerimus. velut enim fumus apes fugat, & fœdus odor columbas expellit: sic Angelum vitæ nostræ custodem abigit multa lacrymarum aspergione dignum ac graueolens peccatum.* & addit infrà, ὥσπερ γὰρ οἱ τῆς πόλεως περίβολοι, κύκλῳ πάσας περικείμενοι, πάντοθεν τὰς τῶν πολεμίων προσβολὰς ἀπείργουσιν: οὕτω καὶ ὁ ἄγγελος καὶ προτειχίζει ἐκ τῶν ἔμπροσθεν, καὶ ὀπισθοφυλακεῖ, καὶ οὐδὲ τὰ ἑκατέρωθεν ἀφύλακτα καταλείπει: *Sicut enim muri ciuitatis circumducti omni ex parte arcent propulsantes hostiles incursus: sic & Angelus te præmunit à fronte & à tergo custodit, & nihil vtrinque in custodiendo relinquit.* Explicat videlicet quæ sit Angelorum natura & solertia, quæ hominem munit; vnus enim Angelus assimilatur exercitui vniuerso, & castris numerosæ multitudinis. Ob multitudinem itaque eius qui te custodit, castra tibi munitionesque præbet Deus: propter verò Angeli virtutem veluti circumuallat te vndique securitate, quæ est per illum, vt ibi ait Basilius. Idem etiam in cap. 5. Isaïæ eiusdem meminit custodiæ, quæ in circuitu protegit nos, & ait hunc in modum. καὶ τάχα, ἐπειδὰν δι᾽ ἀγγέλων ἐδόθη ὁ νόμος ἐν χειρὶ μεσίτου, καὶ τὴν τῶν ἀγγέλων φυλακὴν, τῶν φρουρούντων τὰ ὅρια τοῦ Ἰσραὴλ περιαιρήσειν αἰνίττεται; μή ποτε οὖν καὶ ἡμῶν ἕκαστος ἔχων ἄγγελον ἅγιον τὸν παρεμβάλλοντα κύκλῳ τῶν φοβουμένων τὸν κύριον, ἐν ἁμαρτίαις ἐξελασθεὶς ὑπόδικος γένηται τῇ ἀπειληθείσῃ πληγῇ καὶ γυμνωθῇ τοῦ τείχους τῆς ἀπὸ τῶν ἁγίων δυνάμεων ἀσφαλείας. *Ceterum quandoquidem per Angelos in ma-*

nu mediatoris lex data est, fortaßè Angelorum etiam custodiam, qui terminos Israëlis tuentur, se amoliturum significat. Fieri etiam potest, vt cùm vnusquisque nostrûm habeat sanctum Angelum, qui castrametatur in circuitu timentium Dominum, stricto examine deprehensus in peccatis, intentatæ huic plagæ reddatur obnoxius, & muro priuatur, nimirum sanctarum virtutum tutelâ. Vides in circuitu Deum te protegere per Angelos custodes, nisi obsistas.

Hinc esse Principibus & Regibus binos Angelos custodes probabile est, de qua re hîc ponam Soarij sententiam lib. 6. de Angelis, cap. 17. n. 24. Inquit itaque: *Vnde mihi probabile fit, quod communiter creditur, has personas publicas duos habere Angelos custodes; nimirum, inferiores quatenus tales personæ sunt; & superiores ratione muneris. Nam sicut duplici egent prudentiâ & rectitudine, & illa, quæ ad bonum commune pertinet, altioris rationis est; ita duplici egent gubernatore & custode Angelo. Item, quia Petrus (& idem est cum proportione de reliquis) suum Angelum peculiarem & priuatum habuit à principio vitæ suæ: posteà verò factus Apostolus & caput Ecclesiæ, superiori Angelo in custodiam & directionem traditus est. & hoc genus prouidentiæ nullum habet inconueniens, & consentaneum est diuinæ prouidentiæ ac liberalitati.*

6. Porrò Sanctius in Tob. cap. 5. ex illo Exodi cap. 23. *Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedet te, & custodiat in via, & introducat in locum, quem præparaui,* natam autumat consuetudinem, vt amicis, qui ab Hebræis alio profi-

ciſcuntur, optent, qui illis bene cupiunt, precenturque Angelorum comitatum, eorumque cuſtodiam. Ita Raguel cùm Saram filiam, & iuniorem Tobiam generum ſuum à ſe dimiſit cap. 10. inquit: *Angelus Domini ſanctus ſit in itinere veſtro, perducatque vos incolumes.* Ex hoc loco ſumpſit Eccleſia verba illa ſolemnia, quæ de more recitant Clerici ita ingreſſuri: *In viam pacis dirige nos Domine, vt cum ſalute reuertamur ad propria, & Angelus comitetur nobiſcum.* Vide obiter, vt librum Tobiæ, & quæ ibi ab Angelo fiunt, Zaccharias Vouerius defendat aduerſus hæreticos in examine quinto de ſcripturarum vnitate cap. 4. Redeo ad rem. Et quid mirum Angelos ſupplicent, quos ſemper habent ſecum in comitatu & in progreſſu, dicente Baſilio in pſalm. 48. ἑκάστῳ γὰρ τῶν πιστῶν ἐστὶν ἄγγελος παρεζευγμένος, ἄξιος τοῦ βλέπειν τὸν πατέρα τὸν ἐν τοῖς οὐρανοῖς: *Cuilibet enim fidelium eſt Angelus aſsiſtens & adiunctus, Patrem qui eſt in cælis videre dignus.* Hāc ſi homo cogitationē haberet, quā lubenter accideret Angelo ſupplex, illūque perpetuò rogaret ne ſe deſereret. Longum eſſet recenſere loca Baſilij, in quibus meminit præcipuè Angeli cuſtodis. In Regulis fuſiùs diſputatis: Ἀγγέλους ἐπέστησεν εἰς φυλακὴν καὶ ἐπιμέλειαν: *Angelos cuſtodiæ ac defenſionis cauſſa adhibuit.* & in lib. de Spiritu Sancto: οἱ δ᾽ ἄγγελοι, ὡς βοηθοὶ τῶν ὁμοδούλων, καὶ πιστοὶ μάρτυρας τῆς ἀληθείας παραλαμβάνονται: *Angeli verò tanquam conſeruorū adiutores, fideleſque veritatis teſtes adhibentur.* Omitto Baſilium, & gradum facio ad alios.

7. In primis ad Chryſoſt. qui homil. de virgi-

nit. & continentia. φιλέσι γὰρ οἱ ἄγγελοι τοὺς ἀγαπῶντας αὐτῶν τὴν δεσπότην: *Amant enim Angeli, qui Dominum suum diligunt*, vbi de Custode est sermo. & in expositione ad Psalm. 8. καὶ γὰρ πρὸς Φίλιππον ἦλθεν ἄγγελος: *ad philippum venit Angelus*. & homil. 6. de laudibus Pauli Apostoli, ἄγγελοι παρὰ τοῦ τῶν ὅλων δεσπότου εἰσὶ δεδομένοι φύλακες: *Angeli ab omnium Domino deputati sunt custodes*. Vitas Patrum si consulas, nihil frequentius hac custodiâ Angelorum, & eorum laudibus, lib. 2. de B. Anuph, vbi ipse sic loquitur: *Nunquam enim me fecit egere aliquo terreno, omnem quem desideraui cibum, Angelorum mihi deferens ministerio*. Fatetur Anuph se cibo pastum Angelorum ministerio. O incredibilem bonitatem Seruatoris nostri. Idem scit doctum se ab Angelo. *Sed & Angelum suum assistere mihi semper fecit, edocentem me de singulis virtutibus mũdi*. Iam mortuus suscipitur ab Angelis: *Cumque hac & multa alia his similia per totum triduum enarrasset eis, tradidit spiritũ. & continuò vident ipsi ab Angelis suscipi eius animam, atque ad cælos ferri, ita vt vocem hymnorum audirent etiam ipsi, quibus vnà cum Angelis anima eius abscedens Dominum collaudabat*. Similia narrantur de eodem Anuph lib. 8. & lib. 7. cùm duodecim sapientes Anachoretæ, sancti, & spirituales viri congregati, expeterent à semetipsis dicere vnũquemque, quæ emendauerit in cella sua, & quã meditationem habuerit spiritualiter, vbi ad Decimum ventum est, ita ait cap. 44. *Decimus ait: Ego Angelum meum assistentem mihi iuxta me exspecto, & custodio memetipsum, quod scriptum*

est reminiscens: Prouidebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi, ne commouear. Timeo igitur eum, vt custodientem vias meas, & quotidie ascendentem ad Deum, & insinuantem actus meos & verba. Hæc si actu ipso ego expenderem, & cogitarem Angelum meum quotidie ad Deum ascendere narrantem omnia verba mea & actiones! Taulerus vir pius tract. 10. de Cæcit. *Omni mentis cæcitate discussâ interiores aperi oculos, & in omni loco, & tempore, noctúque diéque stans, atque sedens, ambulans, & iacens, Deo & Angelis eius reuerentiam exhibens, à cunctisque vitiis & peccatis, quibus eorum possis oculos offendere, diligenter abstineto.*

8. Beatus Paphnutius Abbas ita de se narrare solitus erat: *Extemplò quoque cælesti solatus adiutorio assistere mihi vidi virum gloriâ mirabilem, splendore terribilem, pulchritudine laudabilem; magnitudine procerum, aspectu præclarum.* Hic Angelus custos est. & deinceps: *Quem vt aspexi, vehementer obstupui: sed tamen ille vultu placido accedens, nunc manus, nunc labia mea tetigit, viresque mihi potenter restaurauit. Continuò lætus surrexi, Deoque fauente, per solitudinem exinde decem & septem dierum cursum direxi; quousque ad locum, quem Dominus mihi famulo suo indigno prouidebat ostendere, perueni; illic ab itineris labore cessaui.* Hæc Paphnutius in vita S. Onufrij, & posteà ipse sanctus Onufrius cap. 7. ita ait: *Egrediente autem me de monasterio in montana, veni in desertum: cogitansque vt manerem ibi, continuò lumen splendidum ante me, quasi obuians mihi, vidi. Quo viso, valde timui,*

Idcirco quoque putaui, me debere ad monasterium regredi, vnde exiui. Extēplò autē de radio præclari luminis vir aspectu pulcherrimus accessit ad me, & dixit mihi: Noli pauescere, ego enim sum Dei Angelus, tibi ad custodiendum ab ortu prouidentia diuina destinatus, vt iubente Deo tecum manerem, & te in hanc eremum ducerem. Perfectus esto, humilis coram Domino in gaudio labora, cor tuum in omni custodia conserua, viue sine querela, in bono opere perseuera. Ego verò te non derelinquam, donec animam tuam in præsentiam summæ maiestatis offeram. Hæc locutus est mihi Angelus, iter inceptum mecum comitatus. Et posteà de eodem cap. 10. ait: *Sanctus enim Angelus quotidie panem mihi offerebat, & aquam pro mensura ministrabat, vt corpus meum confortaretur, ne deficeret, & iugiter in laude Dei perseueraret.* Hæc omnia Paphnutio sanctus Onufrius referebat; vt mirum sit qualiter posteriora prioribus respondeant; Angelo inquam, Paphnutij Angelus Onufrij, vterque confortans splendore luminis, & eximiâ pulchritudine, interdumque metum afferens, & posteà auferens, omnia ad diuinitatem conspicua, qua fruebantur; & vtrique sancto pro ficui, vt mirum sit quo salutis desiderio (Paphnutij inquam & Onufrij) inflammati, vt commissas sibi animas tuerentur, vnusquisque anhelauerit.

9. Iam ad enarranda Angeli custodis officia pergam, sequutus Corneliū Societatis nostræ in Exodū, qui propriè admodū quinque officia Angeli custodis assignat fol. 520. Primum est, *præcedet te*; secundum, *custodiet in via*: tertium, *in-*

troducet in locum, quem præparaui: quartum, *non dimittet cùm peccaueris.* quasi dicat, si pecces, puniet te. quintum, *est nomen in illo.* Eadem applicari possunt Angelo custodi cuiusuis hominis. Quod vt videas, accipe exempla ex sacra scriptura huius custodiæ. Primò, Cherubim custodiunt Paradisum, eiecto Adamo peccatore, versantque gladium flammeum. 3. Genes. Quia Angeli, sicut pueri, vel fugiunt, vel fugant impuros peccatores. Deinde Angelus profugam Agar reduxit ad Saram heram suam Genes. 17. Tertiò, tres Angeli Abrahæ promiserunt filium Isaac, Genes. 18. Quartò, duo Angeli eduxerunt Lot ex Sodomis, & Sodomitas igne cælesti concremarunt, Genes. 19. Quintò, Angelus consolatus est Agar, & Ismaeli siti morienti, puteo ostenso, vitam seruauit, Genes. 21. Sexto, Angelus stitit gladium Abrahæ volentis immolare filium, Genes. 22. Septimo, Iacob vidit ascendentes Angelos & descendentes per scalam ad suam opem, Genes. 28. Octauo, Angelus docuit Iacob modum per virgas varij coloris producendi fœtus sibi ex pacto debitos, Genes. 31. Nono, Angeli deduxerunt Iacob ex Mesopotamia in Chananæam, Genes. 32. Decimo, Angelus interposuit se intra castra Hebræorum & Pharaonis, illa illuminans & deducens per mare rubrum, hæc obtenebrans & submergens, Exh. 14. Vndecimo, Angelus deduxit Hebræos per desertum in Chanaan, Exh. 23. Duodecimo, Angelus locutus est per os asinæ, & corripuit Baalam, Numer. 22. Decimotertio, Angelus consolatus est Hebræos ab hostibus afflictos,

Iud. 2. Decimo quarto, Angelus roborat Gedeonem ad bellum contra Madiam, Iud. 6. Decimo quinto, Angelus promittit Manue filium Samsonem Nazaræum, Iud. 13. Decimo sexto, Angelus percussit Ierusalem peste ob numeratum à Dauide populum, 2. Reg. 24. Decimo septimo, Angelus confortauit Eliam pane, vt ambularet per quadraginta dies ad montem Dei Horeb, 3. Reg. 19. Decimo octauo, Angelus misit Eliam ad Ochoziam Regem, vt ei prædiceret mortem ob cultum Beelzebub, 4. Reg. 1. Decimo nono, Angelus percussit 85 millia Assyriorum, 4 Reg. 19. Vigesimo, Raphael Tobiam deduxit & reduxit, curauitque ei Saram vxorem, & Tobiam senem è cæcitate. Vigesimo primo, Angelus Iudith custodiuit, & deduxit ad cædem Holofernis, Iudith 13. Vigesimo secundo, Angelus tres pueros in fornace Babylonis ab igne defendit, Dan. 3. Vigesimo tertio, Angelus conclusit ora leonum, ne deuorarent Danielem, Dan. 6. Vigesimo quarto, Angelus Gabriel ostendit Danieli, 70 hebdomada occidendum esse Christum, Dan. 9. idem varia futura circa Reges Syriæ & Ægypti eidem reuelauit, cap. 11. Vigesimo quinto, Angelus tutatus est & vindicauit pudicitiam Susannæ, Dan. 13. Vigesimo sexto Angelus rapuit Habacuc vt ferret prandium Danieli in lacu leonum, Dan. 14. Vigesimo septimo, Angelus Zachariæ varia mysteria reuelauit. Vigesimo octauo, Angelus hastam vibrans præcessit castra Iudæ, deditque victoriam, Machab. 2. 11. Iam in nouo Testamento, Angeli Christo nato cecinerunt, suaserunt

troducet in locum, quem praeparaui: quartum, *non dimittet cùm peccaueris.* quasi dicat, si pecces, puniet te. quintum, *est nomen in illo.* Eadem applicari possunt Angelo custodi cuiusuis hominis. Quod vt videas, accipe exempla ex sacra scriptura huius custodiæ. Primò, Cherubim custodiunt Paradisum, eiecto Adamo peccatore, versantque gladium flammeum. 3. Genes. Quia Angeli, sicut pueri, vel fugiunt, vel fugant impuros peccatores. Deinde Angelus profugam Agar reduxit ad Saram heram suam Genes. 17. Tertiò, tres Angeli Abrahæ promiserunt filium Isaac, Genes. 18. Quartò, duo Angeli eduxerunt Lot ex Sodomis, & Sodomitas igne cælesti concremarunt, Genes. 19. Quintò, Angelus consolatus est Agar, & Ismaeli siti morienti, puteo ostenso, vitam seruauit, Genes. 21. Sexto, Angelus stitit gladium Abrahæ volentis immolare filium, Genes. 22. Septimo, Iacob vidit ascendentes Angelos & descendentes per scalam ad suam opem, Genes. 28. Octauo, Angelus docuit Iacob modum per virgas varij coloris producendi fœtus sibi ex pacto debitos, Genes. 31. Nono, Angeli deduxerunt Iacob ex Mesopotamia in Chananæam, Genes. 32. Decimo, Angelus interposuit se intra castra Hebræorum & Pharaonis, illa illuminans & deducens per mare rubrum, hæc obtenebrans & submergens, Exh. 14. Vndecimo, Angelus deduxit Hebræos per desertum in Chanaan, Exh. 23. Duodecimo, Angelus locutus est per os asinæ, & corripuit Baalam, Numer. 22. Decimotertio, Angelus consolatus est Hebræos ab hostibus afflictos,

Iud. 2. Decimo quarto, Angelus roborat Gedeonem ad bellum contra Madiam, Iud. 6. Decimo quinto, Angelus promittit Manue filium Samſonem Nazaræum, Iud. 13. Decimo ſexto, Angelus percuſſit Ieruſalem peſte ob numeratum à Dauide populum, 2. Reg. 24. Decimo ſeptimo, Angelus confortauit Eliam pane, vt ambularet per quadraginta dies ad montem Dei Horeb, 3. Reg. 19. Decimo octauo, Angelus miſit Eliam ad Ochoziam Regem, vt ei prædiceret mortem ob cultum Beelzebub, 4. Reg. 1. Decimo nono, Angelus percuſſit 85 millia Aſſyriorum, 4 Reg. 19. Vigeſimo, Raphael Tobiam deduxit & reduxit, curauitque ei Saram vxorem, & Tobiam ſenem è cæcitate. Vigeſimo primo, Angelus Iudith cuſtodiuit, & deduxit ad cædem Holofernis, Iudith 13. Vigeſimo ſecundo, Angelus tres pueros in fornace Babylonis ab igne defendit, Dan. 3. Vigeſimo tertio, Angelus concluſit ora leonum, ne deuorarent Danielem, Dan. 6. Vigeſimo quarto, Angelus Gabriel oſtendit Danieli, 70 hebdomada occidendum eſſe Chriſtum, Dan. 9. idem varia futura circa Reges Syriæ & Ægypti eidem reuelauit, cap. 11. Vigeſimo quinto, Angelus tutatus eſt & vindicauit pudicitiam Suſannæ, Dan. 13. Vigeſimo ſexto Angelus rapuit Habacuc vt ferret prandium Danieli in lacu leonum, Dan. 14. Vigeſimo ſeptimo, Angelus Zachariæ varia myſteria reuelauit. Vigeſimo octauo, Angelus haſtam vibrans præceſſit caſtra Iudæ, deditque victoriam, Machab. 2. 11. Iam in nouo Teſtamento, Angeli Chriſto nato cecinerunt, ſuaſerunt

fugam in Ægyptum, indéque reditum, miniſtrarunt Chriſto poſt tentationem, confortarunt in agonia Paſſionis, Reſurrectionem nuntiarunt: Angelus Petrum è carcere duxit, rapuit Philippum apud Eunuchum, Cornelio iuſſit vocare Petrum, Paulum cum ſuis naufragio liberauit: denique ſancto Ioanni crebrò apparens Apocalypſim reuelauit. Sic ferme Cornelius, cuius laudanda eſt diligentia.

10. Addam ego huic operi Gregor. Nazianzenum orat. 38. qui Angelos tripudiantes inducit in nocte Natiuitatis, & quotannis in eadem nocte. Sic enim ait: μετ' ἀγγέλων χόρευσον, μετ' ἀρχαγγέλων ὕμνησον. ἔστω κοινὴ πανήγυρις, οὐρανίων καὶ ἐπιγείων δυνάμεων. πείθομαι γὰρ κἀκείνας συναγάλλεσθαι καὶ συμπανηγυρίζειν σήμερον, εἴπερ εἰσὶ φιλάνθρωποι καὶ φιλόθεοι: *Cum Angelis tripudia, cum Archangelis hymnos cane. Sit cæleſtium & terrenarum virtutum communis celebritas. Nam eas quoque hodierno die ſimul feſtum celebrare ac lætitiâ geſtire confido: ſic quidem hominum Deique amore præditæ ſunt.* & orat. 10. σὺ δὲ καὶ ὑμῶν οὐρανοὺς ἐμβατεύεις, ὦ θεία καὶ ἱερὰ κεφαλή, καὶ ἐν κόλποις Ἀβραάμ, οἵτινες δή ποτέ εἰσιν, ἀναπαύσαιο, καὶ ἀγγέλων ἐποπτεύσεις χορείαν, καὶ μακαρίων ἀνδρῶν δόξας τε καὶ λαμπρότητας: *At tu, diuinum & ſacrum caput, vtinam cœlos penetres, atque in Abrahæ ſinu, quicumque tandem ille eſt, conquieſces, & Angelorum choream, & beatorum virorum gloriam & ſplendorem ſpectes.* Hic extremus locus eſt de beatorum gloria poſt obitum. Quis verò neget ſimiles feſtiuitates Angelorum, cùm in feſto Reſurrectionis terra tremuerit, & terræ motus magnus factus fuerit, & deſcenderint An-

geli de cælo, & Archangeli Deum laudauerint, Throni, Virtutes, Dominationes, Cherubim, & Seraphim lætitiæ choros duxerint, Domini gloriam admirantes, & lætantes in eo, quod exinanitio humilitatis ad depositæ altitudinis redierit maiestatem. Exultauit cælum laudibus, resultauit terra gaudiis, quoniam abruptis mortis vinculis, quæ vim suam in eo, qui peccati erat nescius intendendo perdiderat, infirmitas in virtutem, mortalitas in immortalitatem, contumelia transiuit in gloriam. Cur non tu quoque tripudies, cùm hos Angelos in tui custodiam habeas, quos sibi Deus exultatores adhibuit? Etenim Hieronym. ad eum locum Matth. 18. *Ne contemnatis vnum de pusillis istis qui in me credunt,* cunctis hominibus, siue malis, siue bonis; siue fidelibus, siue infidelibus ab ortu natiuitatis suæ dari sine dubio censet Angelum bonum, inquitque: *Magna dignitas animarum, quia vnaquaque ab ortu natiuitatis suæ Angelum habet in sui custodiam deputatum.* Itaque quamuis Origenes duas sui temporis magistrorum sententias referat tract. 5 in Matthæũ, quarum est prior, solis prædestinatis Angelum dari custodem ab instanti natiuitatis, posterior solis Christianis ex baptismo lauacri Angelum dari custodem, quia non decet (inquit) infidelibus & immundis dari; & quamuis hanc posteriorem sententiam teneat Chrysostomus super Matthæum, in eum locum, *Ne contemnatis vnũ de pusillis istis qui in me credunt*: & in eundem locum Hilarius; tamen sent entia Hieronymi, quam proposui, certissima est; & eam tenet O-

rigenes ex propria ſententia lib. 3. Periarh. & eandem citat lib. de Paſtoribus, vbi ait, binos Angelos, alterum bonum, alterum malum ſingulos hominum comitari. Idem aſſerit Theophylactus, Anſelmus, D. Thomas, & Abulenſis, eſtque communis Scholaſticorum ſententia, & ſenſus vniuerſalis Eccleſiæ, cui iam non licet refragari. Nam Agar Ægyptiam legimus Angelum habuiſſe, & Iſmaelem ethnicè viuentem, & Balaam ariolum, & Cornelium adhuc gentilem. Perſarum etiam atque Græcorum Angelos commemorari ſcimus. Ad hæc Hildebertum Cœnomanenſ. Epiſcopum epiſt. 57. vbi ſignatè: *ſuum vnicuique Angelum aßignabat*, & Iunilium Epiſcopum Africanum li. 2 de partibus diuinæ legis. cap 9. vbi ita ait: *Palam quidem in Scriptura non legitur: tamen cum in ea dicantur eſſe Angelorum gradus & ordines, atque diſcurſus propter humanam vitam, vt pro Tobia, & Daniele, & aliis, ſine dubio ſignificantur, quod iniuncta ſibi in Mundo negotia gubernant: quibus & ſibi conſulunt, dum obediunt creatori; & hominibus, dum eorum diſpenſationi proſpiciunt.*

11 Abſoluam hunc diſcurſum ingenti enarrato miraculo Angeli Cuſtodis, quod narrat Frãc. Ximenius Patriarcha Ieroſolymitanus lib. 3. cap. 8. de Natura Angelica, quod tale eſt. Erat iuuenis Conſtantinopoli, Falcon nomine, addictiſſimus Angelis, & ſuo inprimis Angelo Cuſtodi, vt ſtatuerit nullũ vnquam mẽdacium, nec aliquid contra veritatẽ dicturum in gratiã eius, etiam vocatus in diſcrimen capitis. Euenit igitur, vt aliquando cum altero iuuene nobiliſſimo rixandum

xandum verba miſcerentur, ita vt ſtringerentur gladij, & ille alter fatali gladio occiſus iaceret. Res ita occultè facta eſt, vt nullum indicium, niſi leue admodum, in Falconem exiſteret: quo leui indicio, diſquiſitum eſt à iudice ciuitatis, vtrùm hominem occidiſſet. Ille memor voti promiſſi Cuſtodi Angelo, palam vulgauit delictum, & faſſus cædem eſt. Damnatus itaque eſt confeſſione propriâ, iuſſusque caput amputari, vt nobilis; quod ille viriliter & cum gaudio tulit, videns occaſionem ſibi oblatam re adimplēdi quod voto ſe cuſtodi Angelo obligarat. Ductus itaque eſt ad locum ſupplicij cum ſtrepitu militari; ille interim Deo rem & ſe commendabat, & cuſtodi Angelo, propter quem, nullo teſte, faſſus cædem & crimen erat. Dum itaque carnifex gladium iam in collum vibraret, vidit ante ſe iuuenem mirè fulgentem, cum ſtricto gladio minitantem, niſi ſe auerteret ab incepto. Obſtupuit carnifex, & gladium manu proiecit, non auſus in collum diſtringere; quod accidit ſecundo, tertio, & quarto adhuc carnifici, quorum nemo auſus eſt rem patrare ſimili viſione perterritus: quod videns quiſpiam cognatus hominis duello mortui, & ipſe à iudice ſubornatus, gladio inſtitit Falconem decollaturus, cui Angelus minas pariter intendit, ſi auderet hominem contingere, & in vocem erupit, monuitque vt abſiſteret, dicens non eſſe æquum, vt cęderet eum, qui in gratiam ſui, Angeli, inquam, cuſtodis, faſſus crimen fuiſſet: eumque magnū virum futurum. Dederunt fidem iudices teſtibus quinque, & abſolutus eſt Falcon, qui repu-

tans Dei misericordiam primò nomen abiecit, & nominatus est Angelus; deinde Religionem ingressus est, in qua sanctissimè vixit, & perpetuò se Angeli custodis asseclam prædicauit, auditores excitans ad obeunda Angelorum ministeria, & sacram Religionem. Petrus Faber, vt ait Orlandinus lib. 3. vt Angelos præcipuo cultu venerabatur semper, & secundam iis feriam potissimùm dedicarat, eosdemque identidem dies ac noctes piis vocibus appellabat, præcipuè contra improbos spiritus, qui tam multis modis exagitant genus humanum, ita his se custodibus præcipuè in itineribus committebat: hos cognoscebat vbique præsentes, nusquam sine eorum implorata custodia comitatúque prodibat, vt illi fortunarent iter, & lætos exitus suis rebus afferrent. Pater verò noster Ignatius, auctore eod. lib. 13. quemdam admonebat, id quod sæpe habebat in ore, Angelos vt imitari studeret, qui in animarum sibi commissarum custodiam, omnem quidem diligentiam præstant.

Alia Patrum encomia de Angelo Custode.

CAPVT XI.

1. TOT sunt Patres, qui de Angelo custode locuti, vt indignè me facturum existimarem, nisi adderem hoc caput, in quo eorum sententias referam. Petrus Cellensis de Panibus cap. 10. *His principaliter & propriè deseruiunt Angeli officiis, vt ad Deum venientium*

inquirant mentem, propositum, & meritum. Officij sui certè est & dignos intromittere, & indignos extrudere, bene meritos cum reuerentia suscipere, immeritos cum iniuria eiicere. Vide ergo quid agas, qua cura accedas ad sacra, Angelum vel admissorem, vel proturbatorem expectans. Nicetas Choniates 2 lib. Thesauri cap. 35, vocat Angelos *duces animarum.* Hugo Victorinus Summæ Sentent. tract. 2 de statu & creatione naturæ Angelicæ cap. 6. *Dicit Scriptura, quod Angeli sunt deputati ad custodiam hominum, vt in Euangelio, Angeli eorum semper vident faciem Patris.* Chrysost. homil. 3. de Ascensione Domini: *Ita Deus, quoniam barbara & agresti menter abientes dæmones ad pacis euersionem vbique versantur, ad tutelam nostram constituit exercitus Angelorum, vt eorum præsentia dæmonũ confringatur audacia, & per eos nobis pacis gratia ministretur.*

2. Mira sunt verba Petri Aliaci in Speculo considerat. cap. 12. quæ subdo: *De illis loquamur Angelis, quos fide tenemus in cælis gloriosos esse atque beatos, scientiâ illustres, sapientiâ insignes, immortalitate perpetuos, affectu beneuolos, munditiâ puros, sanctimoniâ integros, religione pios, pietate serenos, serenitate ac pace securos; & sicut à Deo conditos, sic diuinis laudibus & obsequiis deditos, sicut ab initio stabiles, sic indistinctis ordinibus, & gradibus, & officiis dispositos.* Vide Angelorum, qui te custodiunt, gloriam, beatitudinem, scientiam, sapientiam, immortalitatem, affectum, munditiam, sanctimoniam, religionem, pietatem, serenitatem, qui diuinas

laudes & obsequia concinunt. Ne itaque dedignare illorum diligentiam, sedulitatem, industriam in te, vilissima & spurcissima creatura, defendendo. Vnde Anselmus: *sicut Angelus nihil obsistit, nec aliquid eos impedire potest, vel constringere, quin pro velle suo cuncta penetrent liberrimè: ita non erit obstaculum quod nos retardet; nulla clausula, quæ nobis vllatenus obstet.* Habentur hæc in opere de similitud. cap. 33. Guilelmus Aluernus part. 2. cap. 158. *Gens Christianorum ex ipso testimonio legislatoris, credit vnicuique hominum vnum bonum spiritum assignatum à Creatore.* & de Sacramento Pœnitentiæ cap. 15. *Recordari debes, qualem villam tibi Deus dederit, de qua manifestum est, quia pulchrè magnificèque ædificauit eam architecto eius, atque opifice ipso Deo, deinde duplici muro munitam, videlicet Angelorum custodiâ, & Dei protectione.* Itaque & custodit & protegit. Beda Venerabilis in lib. Quæstionum, quæst. 9. *Omnes homines Angelos habent, probatur loquente Domino in Euangelio: Amen dico vobis, quia Angeli eorum semper vident faciem Patris,* &c. *Vnde & Petrus in Actibus Apostolorum, cùm pulsaret ianuam, dixerunt, Non est Petrus, sed Angelus eius.* Taulerus tract. 10. de cœcit. *Angelus proprius tuæ speciatim custodiæ deputatus à Deo, nocte ac die, omni loco, ac tempore, tanta cum fidelitate, assiduitatéque tuæ inuigilat saluti, vt ne ad momentum quidem vnquam à te recedat, imò nec deserere te possit, aut suos à te oculos auertere.* Iterum: *Amicissimus, dulcissimus, ac fidelissimus seruit tibi Angelus tuus omni loco, tempore, &*

caussa, ac periculo, nocte ac die tuæ moderationi, gubernationi, perfectionique inuigilans, &c.

3. Sed aurea sunt Augustini verba in Soliloquiis cap. 27. quæ si audias, senties te calere: *Angeli ciues sunt beatæ ciuitatis supernæ Hierusalem, quæ sursum est mater nostra, in ministeriũ missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis. Diligunt conciues suos, per quos suæ ruinæ scissuras restaurari exspectant, ideóque magnâ curâ & vigilanti studio adsunt nobis omnibus horis & locis, succurrentes & prouidentes necessitatibus nostris, & solliciti discurrentes inter nos, & te Domine, gemitus nostros atque suspiria referentes ad te, vt impetrent nobis facilem tuæ benignitatis propitiationem; & referant ad nos desideratam tuæ gratiæ benedictionem. Ambulant enim nobiscum in omnibus viis nostris, intrant, & exeunt nobiscum, attentè considerantes, quàm piè, quàm honestè in medio nationis prauæ conuersemur. Audiunt laborantes, protegunt quiescentes, hortantur pugnantes, coronant vincentes.* Vix dici potest, quantum animi addant hæc verba dulcissima, venustissima, pulcherrima; quantum fortitudinis ad aggrediendos labores, superandasque difficultates, cùm audiam & sciam Angelum meũ ambulare mecum, intrare, exire, considerare quàm piè viuam, succurrere, prouidere, discurrere, in omnibus auxilio mihi esse. Verè dicam de cælesti Hierusalẽ, in qua tales sunt ciues, benigni, pij, mansueti, affabiles, illud Laurent. Iustiniani de casto conn. cap. 5. *Ciuitas quidem hæc, ciuitas magna, aspectu grata, ab hostibus secura, à perturbatione extranea; nihil immundum*

in ea est, nihil sordidum, nihil corruptioni obnoxium. Totum in illa placet, totum lucet, totum arridet; plateæ eius auro mundo sternuntur, portæ ex sapphyro & smaragdo ædificantur, ex lapide pretioso omnis circuitus muri eius, fulget claritate, amœnitate floret, æternitate viget, & mirabili dilatatur immensitate; sine consummatione magna est, sine comparatione pulchra, sine defectu conspicua, sine oppositione præclara. Institit porro Iustinianus istis Euangelistæ Ioannis cap. 21. *Et erat structura muri eius ex lapide iaspide, ipsa verò ciuitas aurum mundum simile vitro mundo, & fundamenta muri ciuitatis omni lapide pretioso exornata. Fundamentum primum iaspis, secundum sapphyrus, tertium chalcedonius, quartum smaragdus, quintum sardonix, sextum sardius, septimum chrysolitus, octauum berillus, nonum topazius, decimum chrysoprasus, vndecimum hyacinthus, decimum secundum amethystus; & duodecim portæ duodecim margaritæ sunt per singulas, & singulæ portæ erant ex singulis margaritis; & platea ciuitatis erat aurum mundum, tanquam vitrum perlucidum.* Hæc est ciuitas, in qua illi sunt ciues, Angeli inquam custodes animarum nostrarum, nitidi, pulchri, grati, amœni: in illa vrbe audiuntur nostræ preces, cùm eas deferunt Angeli, ibi nostris succurritur necessitatibus, ibi negotia nostra peraguntur. Hinc iam ad alios.

4. Inter quos Ionæ Aurelianensis lib. 1. de cultu imaginum dignissima profectò sunt verba, quæ auribus nostris insonent, quæ iam subiicio: *Sicut Imperatoris optimi vrbes omnes, vni-*

uersæ ciuitates, castella singula, manu militari aduersum hostilem muniuntur aduentum, ne barbarica incursione deleantur: ita Deus (quoniam de barbarica & agresti mente rapientes dæmones ad pacis euersionem vbique versantur) ad tutelam nostram exercitus Angelorum, vt eorum præsentiâ dæmonum confringatur audacia, & per eos nobis pacis gratia ministretur. Vides quot Angeli præsunt, insistunt Martyres, & vbique nobis præparantur auxilia? Iustinus Martyr quæst. 30. *Quibus ministerium mandatum est, vt homines sequãtur custodes, semper augentur, minuuntur nunquam; aut enim vtrumque simul, animam inquã & corpus: aut animam post diuortium eius à corpore sequuntur vsque ad restituendi siue renouandi mundi tempus.* Eusebius Cæsariens. de præparat. Euangelica lib. 13. cap. 7. *Angelum vnicuique ad custodiam diuinitùs datum à Scriptura nos didicimus, & Plato scribere non dubitauit, hoc modo: Quoniam, inquit, omnes animæ sorte viuendi modum elegere, ordine ad sortem suam progrediuntur motæ à dæmone, quem singulæ sortitæ sunt, qui ad custodiendum hanc vitam, & ad perficienda quæ elegerunt, vnà cum eis mittitur. Hoc ipsum credo Socratem etiam significasse, cum dæmone quodam sæpiùs gubernari se dixerit.* Etenim Socrates & Plato bonum Angelum appellant Dæmona, quod Philo Iudæus lib. de Gigantibus, δαίμονας μὲν οἱ ἄλλοι φιλόσοφοι, ὁ δὲ ἱερὸς λόγος ἀγγέλους εἴωθε καλεῖν προσφυεστέρῳ χρώμενος ὀνόματι: *Dæmones quidem philosophi alij, at sacra oracula Angelos vocare consueuerunt, nomine ad naturam accommodatiore vsa.* Et Eusebius de præpa-

rat. Euangel. lib. 4. cap. 3. τὰ μὲν γὰρ παρ' ἡμῖν θεῖα λόγια οὐδ' ὅλως ἀγαθὸν εἶδεν ὀνομάζειν δαίμονα, πάντας δὲ πονηροὺς εἶναι τῆς λέξεως ταύτης καὶ δὴ καὶ τῆς προσηγορίας μετειληχότας. Quamobrem, inquit ibidem Euſebius, dæmones ſi poteſtatem dicere liceat, non quia dæmones ſint, quod Latinè ſcientes dicere poſſumus, ſed quia δειμαίνειν, id eſt terrere ſoleant, appellantur. Abſurdum enim omninò eſt bonas & malas virtutes, quæ nullam operationis ſimilitudinem habent, eadem appellatione confundere. Dæmones etiam appellauit bonos Angelos Menander:

Ἁπάντι δαίμων ἀνδρὶ τῷ γινομένῳ
Ἅπαντος ἐστὶ μυσταγωγὸς τοῦ βίου:
Vt quiſque primum lumen attigit vitæ,
Dæmon adeſt vitæ adminiſtrator integræ.

Et Heſiodus pariter in Theogonia, cùm dixit hoc verborum conceptu:

Οἱ μὲν δαίμονές εἰσι Διὸς μεγάλου διὰ βουλὰς
Ἐσθλοὶ ἐπιχθόνιοι φύλακες θνητῶν ἀνθρώπων.
Dæmones eſſe bonos magni decreta Tonantis
Cuſtodes hominum in terris voluere.

Sicut è contrario Angeli dicuntur tam boni quàm mali. Paullus Angelum Satanæ dixit. & Nyſſenus lib. de vita Moſis, οὐ γὰρ δὴ τοῦ θεοῦ μόνον, ἀλλὰ καὶ τοῦ σατανᾶ ἄγγελος ὀνομάζεται. καὶ οὐ τὸν χρηστὸν μόνον, ἀλλὰ καὶ τὸν πονηρὸν, ἀδελφὸν καλοῦμεν: *Non enim Dei ſolùm, verumetiam Satanæ Angelum dicimus; nec bonum tantùm, ſed etiam prauum fratrem nominamus.* Quin Madaurus Philoſophus tractatum ſcripſit de Deo Socratis, non de dæmonio (quod fecêre Xenophon, & Plutarchus) quia dæmonis indignitatem & δυ-

σvnuάα iam tum inolescentem horrebat, vt aduertit Augustinus lib. 8. de Ciuitate, cap. 14. Hæc obiter dicta sint, quoniam Eusebius ex Platone & Socrate bonum Angelum appellauit Dæmonem. Nunc ad opus redeamus, si priùs monuero partem hanc de dæmonis appellatione, deberi Dausqueyo, nisi quod addidi Nyssenum, & quæpiam alia ex Eusebio.

5. Origenes lib. 3. de Principiis cap. 2. *Quod etiam per Angelos vel bonos vel malos, aliqua humanis cordibus suggerantur, vel qui Tobiam Angelus comitatur, vel Prophetæ sermo dicentis, & respondit Angelus, qui loquebatur in me. Sed & de Pastoribus liber hæc eadem declarat, dicens: Quod bini Angeli singulos quosque hominũ comitentur: & si quando bonæ cogitationes cor nostrum ascenderint, à bono Angelo suggeri dicit; si verò contrariæ, mali Angeli dicit esse instinctum.* Et Tertullianus lib. de Anima cap. 37. *Omnem hominis in vtero serendi, struendi, fingendi paraturam aliqua vtique Potestas diuinæ voluntatis ministra modulatur.* & Potestatis nomine, ait idem *Angelos credimus.* Sed quoniam librum de Pastoribus citauit Origenes, ille est Hermas, qui lib. 2. ita ait: *Duo sunt genij cum homine, vnus æquitatis, & vnus iniquitatis. Et ego dixi illi: Quomodo Domine scire potero, quod duo sunt genii cum homine? Audi, inquit, & intellige. Aequitatis genius tener est, lenis & verecundus; mansuetus & quietus. Cùm ergo in cor tuum ascenderit, continuò loquitur tecum de iustitia, de pudicitia, de castitate, de benignitate de venia, de charitate, de pietate. Hæc omnia cùm ascenderint in*

cor tuum, scito quod genius æquitatis tecum est. Huic ergo genio crede, & operibus eius. Accipe nunc & genii iniquitatis opera. Primum, amarus, iracundus, & stolidus est, & opera illius perniciosa sunt, & euertunt seruos Dei. Cùm ergo in cor tuum ascenderint hæc, intelliges ab operibus eius, hunc esse genium iniquitatis. Sed quoniam Origenes loco adducto Barnabæ epistolam citauit, audias oportet. *Eadem quoque Barnabas in epistola sua declarat, cùm vias duas esse dicit, vnam lucis, alteram tenebrarum, quibus & præesse certos Angelos dicit: viæ quidem lucis, Angelos Dei; tenebrarum autem viæ, Angelos Satanæ.* Librum quoque Pastoris Cassianus citat Collat. 8. cap. 17. *Quod vnicuique nostrum duo cohæreant Angeli, id est, bonus, & malus, Scriptura testatur. De bonis quidem Saluator: Ne contemnatis, inquiens, vnum ex pusillis istis; dico enim vobis, quod Angeli eorum in cælis semper vident faciem Patris mei, qui in cælis est. De vtrisque liber Pastoris plenissimè docet.*

6. Ostendi hactenus Patres, aliosque viros doctos, qui locuti de Angelo Custode: restat tantùm in fine aliquod illustre exemplum referam, quo pietas Christiana excitetur; nullum autem cum Isidro Matritano conferri potest, qui insimulatus aliquãdo apud herum est, quod tardiùs ad arandam terram iret audiendis sacris intentus: quod experiri volens herus, multò manè ad agrum iuit, certò volens experiri, an ita esset, eumque arantem inuenit, & labori operam dantem, cumque accusatores affirmarẽt, illum non esse Isidrum; sed alium; Isidrum verò

in Ecclesia esse ocio indulgentem. Re tandem perquisitâ inuentum est, illum, qui arabat, custodem esse Angelum Isidri, illius vicem supplentem (vt Isidrus interim sacris incumberet: quo viri sancti pietas mirum in modũ excreuit. Similia narrantur de Fernando Antolino equite Hispano, qui (in bello, quo Garsias Fernandius oppugnabat Mauros ad amnem Durium) Antolinus audiendis sacris intentus antę prælium, & signo dato ad bellum peragente adhuc sollemnia sacerdote, visus est in prælio acerrimè & ante primos pugnare eius Angelus custos, Antolini imaginem & similitudinem præferens, ita vt parta victoria illi magna ex parte tribueretur. Voluit scilicet Angelus supplere vicem illius, qui sollemnibus sacris erat intentus. Et quoniam sermo mihi de Hispanis est, pergam dicere, de S. Laureano Hispalensi Archiepiscopo, qui quo tempore Ostrogothorum Rex Totila Arianus Christianis erat in Italia infensus, ipse Laureanus bellũ acre in Hispania exercebat cõtra Arianos; qui tũ impietate, tũ Totilæ beneuolẽtia adducti furebant ira. mortẽq; eius anhelabant. Ast beati Custos insomnis periculi monitu præueniens, tutum & se comite alacrem & audacter mari se committere iubens, inimicorum sollicitudines elusit. Eo itinere cæco visum restituit, qui cum, vbi primùm oculos aperuit, bellissimam faciem, liberalẽque formam Angeli benefactorem comitantis prospexisset; & quis tanto splendore comitatus Laureanum esset, interrogasset; ipse Laureanus, Angelum à Domino itineris ducem & custodem misericorditer

destinatum, ac denique perpetuum sibi comitem, respondit.

Angeli mittuntur in necessitatibus hominum

Cap. XII

1. Hoc imprimis testatur Chrysostomus aduersum Iudæos homil. 39. ἐννόησον διά τι προφῆται, διά τι Ἀπόστολοι, διά τι δίκαιοι, διά τι ἄγγελοι πολλάκις ἐπέμφθησαν, διά τι αὐτὸς ὁ μονογενὴς υἱὸς τοῦ θεοῦ παρεγένετο. οὐχ ἵνα ἀνθρώπους διασώσῃ; οὐχ ἵνα πεπλανημένους ἐπαναγάγῃ. *Cogita quamobrem prophetæ, quamobrem Apostoli, quamobrem iusti, quamobrem Angeli frequenter missi sint, quamobrem ipse primogenitus filius, ac Verbum Dei aduenerit. An non vt homines seruaret? an non vt eos errantes reduceret?* Hoc cogita, vt ait Chrysostomus, omnia spiritualia beneficia, tibi obuenire in necessitate; interque ea Angelos, vt te moneant. Quid enim preciosius homini, quàm salus animæ? Ad hanc ergo Angeli πολλάκις ἐπέμφθησαν. Et ita ad Petrum missus est, Act. 12. cùm esset in carcere, instruens & docens qua ratione posset effugere, vt præcingeret se, & calcearet caligas suas, & præiens Petrum, omnia faciēs Angelus, quibus maximè Petrus indigebat. Vnde Proclus in orat. de his vinculis apud Surium: *Ad eximendum Petro metum, quomodo custodias militum dispositas pertransiret, tanto Angelus illum auxilio ac præsidio munitum confirmat, vt ociose pallium induere, atque sandalia & laxa-*

tam adstringere vestem posset. Vide etiam Bedam homil. 8. in epist. ad Ephesios, vbi de hac re mirè agit Quod vt videas exemplo, adducam tibi è nostra memoria singulare, cuius rei testis est Pater noster è societate IESV hodie degens in India. Is enim cùm Cosentiam præcipuam Calabriæ ciuitatem appulisset, confessionem excepit viri cuiusdam de tota vita: quo interrogato, quamobrem ea die potissimùm tanta festinatione ac desiderio peccata confiteretur: audi, respondet ille, aliquantisper, mi Pater, rem admiratione dignam aperiã. Nudius tertius consiliũ mihi ineũti cũ vno ex amicis meis, quo pacto cõmodiùs iniuriã mihi à quodã irrogatam vlciscerer, persuasit ille, vt ambo eodem vespere bombardis armati eum persequeremur: è vestigio itaque facto proposito domum petij. Cùm autem arreptam fistulam ferream, rotulas, ac silices properarem, vt ne in explosione fortassis munere suo non fungerentur; ecce tibi, speciosissimum iuuenem, cuius nescio an pulchritudo grauitati, an hæc pulchritudini potiùs ornamẽto esset, qui gestibus meis aliquandiu consideratis; Quid meditaris, inquit, mi homo, dic sodes quid negotij, quæ te cura premit, quod tantâ expolis solertiâ instrumenta mortis? Ego ad hæc consilium dissimulare. Rursùm igitur ille, vt apparebat, zelo & indignatione plenus; Quorsum, ait, mentem tuam non detegis? num nam latere me existimas, quæ hactenus ad expeditionem designati facinoris exsecution em attentasti? atque ita protracto colloquio in memoriam mihi reuocauit, quanta Deus cæli &

terræ pro abiectiſſimo homine perpeſſus eſt: necnon ingratitudinem & peccata mea, quæ pro tam copioſa redemptione illi retribui; exaggerauit manſuetudinem & longanimitatem ipſius, qui ad hanc vſque horam pepercit mihi, tametſi commeruiſſem mille infernos; maximè cùm propoſitum haberem pari perpetuò malitia ſcelera accumulare. Ceterùm hiſce verbis tam efficaciter cor meum tranſuerberatum fuit, tam vberes lachrymæ, accenſa ſuſpiria, & mœſti mox ſingultus totum me occuparunt, vt anima corpore videretur velle excedere, præ nimio pudore ſcilicet, quod aduerteret ſe tot annis in abominabili illo ergaſtulo delituiſſe. Sed quo acerbiùs peccatorum memoria cruciabat me, eo copioſiùs ille exaggerabat beneficia & amorem Chriſti, donec tandem ſermonem ſuum concluderet ſeriâ exhortatione ad exomologeſim peccatorum faciendam, quamprimum pater aliquis è ſocietate Ieſu huc acceſſiſſet. Interim audiui vocem ſocij prouocantis me, vt verbis ſtarem, alioquin mihi imputandum, ſi quæſita aliquando vindictæ occaſio elaberetur: cùm verò minimè illi reſpondendũ ducerẽ, iuuenis aut veriùs Angelus Cuſtos (hunc enim ex omnibus indiciis fuiſſe colligo) vt reſpõderẽ impulit. quocirca, actũ eſt, inquã, mi amice de conatu noſtro, vela vertẽda ſunt, nã ex hoc momẽto ad propoſitam Choryntum tendere, niſi cum manifeſto propriæ ſalutis detrimento non poſſumus. Hoc dicto, ad locum regreſſus ſum, vbi bonum correctorem, qui iam tum ex oculis meis ſublatus erat, reliqueram. Itaque repentinus illius diſ-

cessus contristabat me; sed præcedens alloquiũ tantam mihi consolationem infuderat, nullo vt dolore diminui eam posse existimarem. Quæ cùm ita sint, vsque ab illo die expectaui aduentum paternitatis vestræ, vt iussui Angelici instructoris, & promissioni meæ obsequerer. Hactenus ille ore Albertini nostri. An non obsecro, hic Angelus missus in occasione est? Quæ magis idonea occasio, quàm salus animæ, quæ tam manifestum periculum incurrere procul dubio debuerat.

2. Ne tamen videar recenti exemplo tecum agere, adducam sanctum Pachomium; auctor enim vitæ (nescitur quis sit, & Græcus est, Dionysius Exiguus certe interpres) huius primo tomo cap. 45, ita ait: *Hac cùm dixisset, astiterunt super eum Angeli lucis, & iuuenis in medio eorum, ineffabili pulchritudine atque claritate resplendens, qui instar Solis ex se fulgoris radios emittebat, habens super caput coronam spineam. Et leuantes à terra Pachomium Angeli, dicunt ei: Quoniam petisti à Domino misericordiam, ecce venit tibi misericordia tua, Deus gloriæ* IESVS CHRISTVS *filius Dei Patris vnigenitus, qui missus est in hunc mundum, & pro salute generis humani crucifixus est, spineam ferens in capite coronam.* Quippe Pachomius dixerat, *Omnipotens Deus, veniant mihi miserationes tuæ, & viuam*; & ipso temporis momento astant Angeli cum Angelorum Domino, misericordiæ parente. De S. Benedicto scribit Sigibertus anno 529. quod cùm sanctus Benedictus à Sublaco pergeret ad montem Cassinum, in omnibus biuiis

duos Angelos ante præire videbat, vt ei iter demonstrarent. Specialis hæc est cura Angelorũ, vt viam alicui ostendant cùm it viam. Petrus Damianus idem refert serm. 8. in vigilia S. Benedicti Abbatis: *Planè cùm vir Dei Benedictus in loco (qui Sublacus dicitur, constructis circumquaque monasteriis, solitarius degeret, diuinitùs est admonitus, vt loco cederet, castrumque, quod Caßinum dicitur, properaret.* & infrà: *Sed cùm per ignota loca solus viator incederet, vbicumque biuium occurrebat, duo protinus iuuenes videbantur aßistere, qui sibi, quo progressus dirigere debebat, indicarent. Qui nimirum iuuenes, qui alij sunt credendi, nisi Angelici spiritus ad sancti viri custodiam deputati?* In Historia Casinensi lib. 1. c.1. clarè dicitur, sanctũ Benedictum discessisse, *duobus se comitantibus Angelis, & tribus cornis, quos nutrire solitus erat, consequentibus.* Quæ maior necessitas ducis, quàm cum anima soluta corpore, ad cælum volat; eget enim ductore, qui eam ducat, & comitetur. Hoc verò est Angelorum officium, animas sanctas ad cælum ducere. Ita anima Lazari ab Angelis deportata est in sinum Abrahæ, Lucæ 16. ita S. Antonius, teste Hieronymo, vidit animam S. Pauli Eremitæ ab Angelis ferri in cælum. Sic animam S. Martini Angeli tulerunt in cælum, vti vidit S. Seuerinus Episcopus Coloniensis. Sic apud S. Gregorium lib. 4. Dialog. c. 14. Serualus in morte audiuit melodiam Angelorum se ad Cœlum inuitantium. & S. Romulâ moriente, ante ostium eius auditi sunt duo cælestes psallentium chori. Sic S. Benedictus vidit animam Germani Episcopi

ſcopi Capuani in ſphæra ignis ab Angelis ferri in cælum. Longum eſſet de ſingulis dicere, qui in cælũ ſublati ſunt ab Angelis; ſequuntur enim officium ſuum Angeli, cùm eas ducunt, & Deo offerunt. Quare ęquum eſt vt eum, cuius patrocinium in quauis neceſſitate ſentimus, obſeruemus. Nonne ſi aliquem haberes tibi obſecundantem in omnibus, illi miniſtrares ſedulò? Quid enim Angelus dixit ad Tobiam cap. 12. *Quando orabas cum lacrymis, & abſcondebas per diem mortuos in domo tua, & nocte ſepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam in conſpectu Dei*, ſiue, vt Cyprianus reddit ex Græco: *Quando orabas tu & Sara, ego obtuli memoriam orationis veſtræ in conſpectum claritatis Dei: & cùm ſepelires tu mortuos ſimpliciter, & quia non es cunctatus exſurgere, & derelinquere prandium tuum; ſed abiiſti, & condidiſti mortuum, miſſus ſum tentare te, & iterum me miſit Deus curare te, & Saram nurum tuam.* Numquid maius aliquid potuiſſet Tobias optare, quàm precum ſuarum opportunum internuncium? & eo maximè tempore, quo de ſalute animæ agebatur? Tunc, inquit, offerebam preces tuas Deo. Quippe Angeli cùm omnia videant, ſciunt in quaque neceſſitate, quid nobis accidat, quid opus ſit, & inde præſto ſunt nobis.

3. Dixit Philo de ſomniis, prope medium: *ſunt quædam puriſſimæ* (ſubſtantiæ) *optimæque omnium, quæ altiùs diuiniúſque ſapiunt aſpernatæ iſta terreſtria & humilia, miniſtræ omnipotentis, tanquam magni Regis aures & oculi audientes, videnteſque omnia. Has Genios Philoſophi, An-*

gelos vocant sacræ litteræ. Mansuetissimi sanè sunt & benignissimi sancti Angeli, & quauis occasione nobis formidinem detrahunt, & consolantur internè. Magnus Antonius apud Athanasium: *Cùm bonus Angelus bonis hominibus apparet, etiam si initio insuetato aspectu timorem iniiciat, ad extremam consolationem & animi tranquillitatem relinquit.* & non longè post: *Angelorum tanta benignitas est, vt si quis pro conditione fragilitatis humanæ miro fuerit eorum fulgore perterritus, omnem continuò ex corde auferat metum; ita Gabriel, cùm Zachariæ loqueretur in templo: & Angeli cùm diuinum Virginis partum pastoribus nuntiarent; & qui Dominici corporis agebant excubias, securis se videntium mentibus ostendentes, ne metuerent imperabant.* & Gregorius Turonensis in vita S. Gallj: *Huius tempore cùm lues illa, quam inguinariam vocant, in diuersas regiones desæuiret, & maximè tunc Arelatensem prouinciam depopularetur: sanctus Gallus Aruernensis Episcopus non tantùm pro se, quantum pro populo suo trepidus erat. Cumque diu noctúque pro populo deprecaretur, vt viuens plebem suam vastari non cerneret: per visum noctis apparuit ei Angelus Domini; qui tam cæsariem, quàm vestem in similitudinem niuis candidam efferebat, & ait ad eum: Bene enim facis, ô sacerdos, quod sic Dominum pro populo tuo supplicas; exaudita est enim oratio tua, & ecce eris cum populo tuo ab hac infirmitate liberatus; nullusque te viuente in regione ista ab hac strage deperiet. Nũc autem ne timeas, post octo verò annos time. Vnde manifestum fuit, transactis his annis, eum à se-*

culo discessurum. Expergefactus autem, & Deo gratias pro hac consolatione agens; quod eum per cælestem nuncium confortare dignatus est, Rogationes illas instituit, vt media Quadragesima psallendo ad beati Iuliani martyris itinere pedestri venirent; sunt autem in hoc itinere quasi stadia trecenta sexaginta. Tunc etiam in subita contemplatione parietes vel domorum vel ecclesiarum signari videbantur; vnde à rusticis hæc scriptio Tau vocabatur. Cùm autem regiones alias (vt diximus) lues ista consumeret, ad ciuitatem Aruernam, S. Galli intercedente oratione, non attigit. Vnde hanc non paruam censeo gratiam, qui hoc meruit, vt pastor positus oues suas deuorari, defendente Domino, non videret. Quale tibi videtur exemplũ? cùm intereruè Angelus consolabundus adesset, & vnius Galli precibus acquiesceret deprecantis pro populo suo, cumque alias regiones vastaret pestis; in illa, vbi seruus Dei erat, dilectus Domino, omnino non desęuiret: tales Deus amplectitur seruos. Præterea ad argumentum propositum in hoc capite mirè facit. Quid enim sæuiente peste optare magis S. Gallus poterat, quàm opportunum aliquem nuntium? Ecce ergo allator illius.

4. Aliud narrabo exemplum, quod mirum est, & à singulari Dei prouidentia. Cùm enim aliquando lis esset in populo Dei, quam omitto, vt longam, & quæ ad propositum meum non facit, S. Marcellus Archimandrita Acœmetarum hoc signo inclytus esse apparuit. *Inter ambulandum, videbant ij, qui digni erant ea videre, iuuenem quidem staturâ maximum, formâ autem pulcher-*

rimum, zonâ cinctum aureâ aspectu quodam tam candidum, vt niuem videretur superare; tam lucidum autem, vt luce coruscaret. Lana verò erat tunica, eaque niue cādidior. Eum ergo videbant à sinistris simul cum magno Marcello ambulantem veluti quendam satellitem, simul terribilem, & manum veluti supponentem sustinuisse senem, & cum maxima reuerentia non desiisse ei inseruire. Hoc ex Actis recenset Baronius tom. 6. Quid ergo hoc splendore sublimius, quid ista dignitate augustius, quid hac formâ micantius, quid hoc aspectu venerabilius? & hoc, quo tempore, quo ad litem componendam oportebat Marcellum non aliter ac solem intermicare. Datus est Angelus, qui inseruiret instar satellitis, qui senem sustineret, & eo ornatu limpidissimum, vt venustius nihil dici posset. Verè amator Deus est hominum. Quod etiam ex Cantipratens. lib. 2. Apum cap. 54. apparet, hunc in modum: Elizabeth de Grauia apud Nicullam in Brabantia virgo deuotissima fuit. Hæc cum socia deuota & bona de Niuella in Lenlos ad duo ferè milliaria properabat, & contigit in via quod deuia sunt secutæ. Quibus flentibus vehementer, subitò iuuenis apparuit coram eis. Erat autem iuuenis, vt vna mihi earum narrauit, crine crispo & croceo, albâ indutus tunicâ, & albo pariter collobio superducto. Salutatis autem illis, ab eis, quo pergerent, inquisiuit. Respondentibus verò illis, in Lenlos ire vellemus: si viam sciret, inquirunt: & ille, Scio, inquit, me sequimini. Illo igitur cum silentio præcedente, sequuntur & illæ. Nec fuit aliqua earum, quæ aliquid lo-

qui poterat, præ nimio mentis gaudio, vel ſtupore. At vbi properantes viderunt villam, ſubito in ictu oculi ductorem iuuenem perdiderunt. Quæ mox in terram proſtratæ amarulentè cœperunt flere, quòd ductori tanto nihil ſunt locutæ. Ad cor autem poſt lachrymas redeuntes, Deum magnificè collaudarunt. Hactenus Cantiſpratenſ Videas hîc Angelum à Deo miſſum, vt puellas errantes in viam reduceret, & itinera demonſtraret; & quidem ad hoc miſſum, clarè conſtat, cùm nullum verbum ſit locutus. De Philippo Nerio ſingulare memorat exemplum Auguſtinus Mannus in Selectis cap. 324. *Nocte quadam* (inquit) *cùm panem viro cuidam nobili, ſed pauperrimo deferret, diaboli operâ factum eſt, vt intentus Philippus, quo pacto currum præcipiti ſe auferentem declinaret, in altiſſimam foueam caſu delapſus ſit: ſed Domino opem ferente, ab Angelo confeſtim inter cadendum capillo capitis mirabiliter retinetur; indeque nullâ læſus parte, ab eodem incolumis eripitur; vt is, qui ad aliorum vitam ſuſtentandam ambularet, is à benigno Domino vitæ beneficium reciperet.*

5. Hactenus exemplis egi, probauíque Angelos in neceſſitatibus hominum à Deo miſſos, reſtat firmem hoc ipſum auctoritatibus Patrũ, inter quos Origenes in Philocal. cap. 19. ſic ait: *Diuinus apud Moſem ſermo primos homines introducit diuinioris vocis oracula audientes & videntes,* ἔσθ᾽ ὅτε καὶ ἀγγέλων θεοῦ ἐπιδημίας γεγονυιῶν πρὸς αὐτοὺς, *Cùm interdum etiam Angeli Dei ad ipſos deſcenderint. Humanam quippe naturam in illis mundi cunabulis maiori auxilio confirmari opor-*

tebat, donec in prudentia progreßi & reliquis virtutibus, & adinuentis artibus per se ipsi viuere possent, nec curatoribus & administris rerum suarum semper indigerent, singulari quedam documento, diuinæ voluntati omnia subseruire. Bernardus serm. 77 super Cant. *Bene tecum agitur ô mater Ecclesia, bene tecum agitur in loco peregrinationis tuæ, de cælo & de terra venit auxilium tibi. Qui custodiunt te, non dormitant, neque dormiunt: Custodes tui Angeli sancti, vigiles tui spiritus & animæ iustorum. Non errant, qui te ab vtrisque inuentam spiritibus senserint ab vtrisque pariter custodiri.* Iustinus Martyr Dialog. cum Tryphone, ad rem aliam adducit illud, quod Dominus dixit ad Moysem, ἰδοὺ ἐγὼ ἀποστέλλω τὸν ἄγγελόν μου πρὸ προσώπου σοῦ, ἵνα φυλάσσῃ σε ἐν τῇ ὁδῷ. An non hoc est mittere in necessitates? Hos tres attuli, dissimulo alios.

Indigent homines Angelo Custode.

CAPVT XIII.

1. IN primis necessarius Angelus Custos ad orationem nostram prouehendam ad Dominum, & nos ante Dei maiestatem constituēdum. Libet hîc ascribere ex serm. S. Bernardi in Cant. 31. quibus iuuetur quis ad agendum cum Angelo, eiusque præsenti ope in tanta re fruendum; sic enim ait: *Sed & Angelus eius, qui vnus est de sodalibus sponsi, in hoc ipsum deputatus minister profectò & arbiter deputatæ mutuaque salutationis. Is, inquam, Angelus*

quomodo tripudiat, quomodo collatatur & condelectatur, vt conuersus ad Dominum dicit. Gratias tibi ago Domine maiestatis, quia desiderium cordis eius tribuisti ei, & voluntate labiorum eius non fraudasti eam, scilicet sponsam; ipse est, qui in omni loco sedulus quidam pedissequus animæ, non cessat sollicitare eam, & assiduis suggestionibus monere, dicens, Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui. & infra: *Fidelis Paranymphus, qui mutui amoris conscius, sed non inuidus, non suam quærit, sed Domini gratiam: discurrit medius inter dilectam & dilectum, vota offerens, referens dona. excitat istam, placat illum. Interdum quoque (licèt rarò) repræsentat eos pariter sibi, siue hanc rapiens, siue illum adducens. Siquidem domesticus est, & notus in palatio, nec veretur repulsam, & quotidie videt faciem Patris.* Sed & Alexander Alensis septem miserias ad nos defluxisse ex peccato notat ex Morali Comment. in Iob Beati Gregorij cap. 1. *Homo per peccatum cecidit in septem miserias, quæ sunt stultitia, hebetudo, præcipitatio, timor, ignorantia, duritia, superbia.* Ab his autem vitiis & miseriis nos Angeli Custodes liberant, decertando contra diabolum, qui per illa vitia nos conatur prosternere, quam ad rem exemplum nobis suppeditat Sophronius Patriarcha Ierosolymitanus in Prato spirituali (qui liber apud Concilium Nicenum secundum in maxima æstimatione fuit) de Abbate Theodosio, qui de se testabatur hunc in modum. Antequam ordirer vitam solitariam raptus fui quadam die in ectasin, & vidi hominem mirâ specie, cuius claritas multis partibus can-

dorem Solis exſuperabat. Hic dexterâ me apprehendens; Veni, inquit, quia in aream tibi deſcendendum eſt vt dimices: Atque hæc dicẽs introduxit me in theatrum immenſæ amplitudinis, quo circumſpecto, vidi ab vna parte multitudinem hominum, qui albis induti erant; ab altera exercitum non minorem, veſtitum nigris. & intereà vir quidam inuſitatæ magnitudinis procurrit, cuius horrendus vertex nubes penetrabat. Mox iuuenis, ſiue Angelus Cuſtos (hũc quippe crediderim) qui principio apparuerat. Age Theodoſi, inquit, hoc cum antagoniſta in præſens tibi pugnandum eſt. Ego igitur, quem vel aſpectus terribilis gigantis exanimaſſet, pauere, ac trepidare; & clariſſimum iuuenem, à quo in palæſtram illam deductus fueram, talibus verbis flectere, & exorare aggreſſus ſum. Quis quæſo mortali circũdatus infirmitate cum eiuſmodi aduerſario confligere præſumat. Si omniũ hominum vires in vnum conflarentur, leuiſſimum ne quidem illius ictum eluderent. Imo verò, reſpondit inuictus Angelus, pugnare te volo, & iubeo; idcirco præſto ſis, & ſpem concipe, quia mox ad pugnæ initium ſuccurram tibi, ac demum confecto prælio & partâ victoriâ, caput tuum præparato cœleſti diademate coronabo. Vt primum igitur certamen auſpicatus fui, nobiliſſimus contentionis noſtræ iudex ante me ſtetit, & coronam impoſuit. Tunc vniuerſa illa atrorum ſpectatorum acies fremendo & vlulando diſparuit, remanente ſolùm alborum cœtu; qui infinitas laudes protectori meo pro cæleſti ſuccurſu & victoria ipſius auxilio re-

portata occinuit.

2. Deinde ſancti Angeli animos nobis iniiciunt deſperantibus de victoria. Dæmon è contrario nos prouocat in malum, nec deſiſtit vrgere vel ad deſperationem, vel ad iram, vel ad ſuperbiam. Bernardus in ſerm. de vigilia Natiu. Domini: *O ſi cognoſceremus & nos quomodo exſpectant, & quantum deſiderant aduentum noſtrum, quàm ſollicitè quærunt, quàm libenter audiunt bona de nobis?* & infra: *Nonne de vermiculis iſtis, & de puluere iſto reſtaurandi ſunt muri cæleſtis Hieruſalem? Exultare Angelos fecimus, quando conuerſi ſumus ad pœnitentiam, proficiamus, & feſtinemus de nobis eorum implere lætitiam.* Vides Angelos lætantes de tuo profectu, cur non ergo cumulas illorum gaudium? Apocal. 19 legitur: *Et ecce equus albus, & qui ſedebat ſuper eum vocabatur fidelis & verax; & exercitus qui ſunt in cælo, ſequebantur eum in equis albis.* Per fidelem, & veracem inſidentem equo, Chriſtum Dominum; per exercitus inſequentes, omnes Angelos intelligimus ex ſanctorum Patrum concordi explicatione. Sic ſtrenui illi cæleſtis exercitus milites, ſub vexillo Chriſti Domini diabolicas poteſtates, & infernales furias in decipiendis hominibus inexpiabiles fraudes concipientes, aſſiduo certamine dimicando, excitant homines ad ſpem victoriæ, & animos addunt incredibiles, ne ſuccumbant hortantes, potiùs excitentur ad communem hoſtem profligandum.

3. Ad hanc rem pertinent Angelorum officia, quibus indigemus. Vix prodit infans materno

vtero, & Angelus ſtatim adeſt, quem ei in tutelam aſſignauit ab æterno Deus. Hieronymus: Magna dignitas eſt animarum, quòd habeat vnaquæque ab ortu natiuitatis in cuſtodiam Angelum delegatum Hic ille ſplendidus iuuenis eſt, noſtræ peregrinationis comes. Splendorē vnius ex hoc numero iuuenis deſcribit Matthæus: Aſpectus eius ſicut fulgur, & veſtimenta eius ſicut nix. Stat iuuenis iſte præcinctus, & paratus ad ambulandum, iter monſtraturus ad cælum, non aliter ac Raphaël apparuit Tobiæ, ait enim: *Egreſſus Tobias inuenit iuuenem ſplendidum, ſtantem, præcinctum, & quaſi paratum ad ambulandum.* Deinde, detegit technas diaboli, & eas auertit, diſſipans eius fraudes. Detegit quidem, blandè monens vt caueas, eſſe tibi periculum, imminere exitium, impendere ruinam, latere in herba anguem, hoc abiiciendum, illud non appetendum. Auertit autem, vt cùm Angelus apud Tobiam *apprehendit dæmonium, & religauit illud in deſerto ſuperioris Ægypti.* Ita & Angelus noſter diabolum compeſcit, vt catenas ſtringat, ità vt latret, non mordeat. Tertiò, nullus amicus in alium eſt, nullus tam frater qui ſuos amet; quàm bonus Angelus eum amat, qui ſibi commiſſus eſt, ac propterea in periculis tuetur. Quoties enim manus, crura, ceruicem fregiſſemus, ſi horum amicorum auxilia defuiſſent? quot pori corporis, tot oſtia sūt mortis: nec ſudamus, nec algemus ſine mortis periculo: nec menſam adimus, nēc lectum ſecuri, cibus ſtrangulat, fames necat. In equis, in naui, in ſyluis; domi, & foris; terra & mari ſunt

pericula & insidiæ mortis. Et nisi Angelus vigilasset, actum de nobis esset. Sic fermè Drexelius societatis nostræ, qui hæc addit: *Testor ego, qui hæc scribo, volare me nunquam didicisse, sed præcipitem è scalis in saxa; præcipitem è cliuo & curru euerso in Danubiũ, penitus incolumem euasisse (vt alia pericula taceam) non sine opitulante Angelorum manu: testor præsentissimam Angelorum opem me sexenties expertum. Idem aliorum quoque confessione constare credo.* Huius rei occasione ipse quoque obtestor, me quondam puerum expositum feroci tauro, qui inter compita agitabatur, & elusum in me eius conatum, nescio qua ratione, nisi quia amicum habeo bonum Angelum. Quarto, ad omne virtutum genus inducit, sicut Raphael Tobiam ad orandi, ieiunandi, largiendi studium, sic enim ait: *Bona est oratio cum ieiunio, & eleemosyna, magis quàm thesauros auri recondere: quoniam eleemosyna à morte liberat, & ipsa est, quæ purgat peccata, & facit inuenire misericordiam, & vitam æternam.* Cumulatque animam omni bonorum genere. Quid enim mali nos doceant isti sanctissimi alites, hi oculi castissimi, hæ purissimæ flammæ? quæ idemtidem exemplo suo & hortatu, dies, noctesque illud vnicum nobis ingerunt, vt Deũ amemus. Amicos quærimus? fideliores his non inueniemus. Consiliariis egemus? intelligentissimi sunt. patronos desideramus? disertissimi sunt, propugnatores ambimus? potẽtissimi sunt. benefactores optamus? his liberaliores non habebimus. Quinto demum, in mortis lucta, qua nulla maior, nec periculosior, defendimur ab

Angelis. Hic gelidus sudor, hic trepidæ consciẽtiæ vulnera, hic omnis generis angustiæ. Hîc frendet, & furit dæmon, omnes nequitiæ vires exserit, attentissimus est ad prædam, quam si amiserit, scit deinde præterlabi occasionem. Quamobrem defendi si velis à tot lupis rabidis, à multis diabolorum millibus, vnus te defendet Angelus. Hic componet te in illa hora, vt Christum intueare, vt in illo spem loces, hic te placabilem Deo reddet. Vide, mi homo; cui te in illa hora commendari velles? an Virgini Mariæ, quæ vnica est aduocata & patrona? Fauit Angelus, vt te recipiat benignissimo sinu. An alicui Diuorum? hic tibi offeret placabilem illum. Demũ intuere in iudicij die cineres tuos ab Angelis legendos, ita quidem vt singuli (ita firmatum est multorum sanctorum contemplatione) eorum hominum ossa sint congesturi, quorum olim gesserunt curam. Hæc sunt Angelorũ officia tibi profutura aliquando, si sapis, nunc custodi tuo adhære, placa illum, dilige, & cole; vt in extrema hora patronum inuenias: quam ad rem tibi proponam vnum ex Eremitis S. Moysen, quem diabolus mille modis exercuit, quem Angelorum præsidio repulit. Ita verò se res habet, ex Albertino nostro.

4. Prætereà indiges hac Angelorum custodiâ, vt in omnibus sis compositus, dicente Hermâ Pauli discipulo, in Pastore suo lib. 2. Mandat. 6. *Audi, & intellige. Æquitatis genius* (sic vocat Angelum) *tener est, lenis, & verecundus, mansuetus, & quietus. Cùm ergo in cor tuum ascenderit, continuò loquitur de iustitia, de pudicitia, de*

castitate, de benignitate, de venia, de charitate, de pietate. Hac omnia cùm ascenderint in cor tuum, scito quod genius aquitatis in te est. Andreas Cretensis in Apocal. *Cogitante , vnum quemlibet nostrum diuinum Angelum comitari, qui veluti mens quadam arcana nostra menti quodam modo sese adiungat, salutariaque consilia assiduè suggerat, & qua facere debemus, ostendat.* Antiochus Abbas homil. 61. *Angelus vbi primùm ad cor hominis ascenderit, cum eo mox sermonem texit familiariter de iustitia, de mundatia, de castitate, de probitate morum, de frugalitate, de operatione, qua iusta est. Denique de virtute omni gloria calestis conciliatrice: simulatque hac cuncta ad cor hominis ascenderint, perspicuè sentitur prasentia Angeli iustitia.* Angeli te portabunt in manibus, vt omninò sis compositus. Bernardus serm. 12 in psal. *Qui habitat*; sic ait: *Turbatur aliquis vehementer, seu corporali quouis incommodo, seu tribulatione seculari, seu accidia spiritus, & quidem animi defectione languescens: Arbitror sanè velut duabus quibusdam manibus eiusmodi homines ab Angelis supportari, vt quodammodo non sentientes transeant, quod tantopere formidabant.* Mox explicat, quid intelligat per *manus.* Vide in illo.

5. Abbas Moyses multis annis in eremo trãsactis sanctissimè, tam acriter à diabolo tentatus est, vt vlteriùs ei se posse reluctari vir sanctus diffideret, vnde de momẽto in momentum metuens, ne infatigabili tartarei hostis impetu frãgeretur, quasi desperabundus per solitudinem discursabat, donec diuinâ prouidentiâ incidit in

cellam Abbatis Isidori, cui non sine lacrymis aperuit violentiam tentationis suæ,& quàm omnis consilij expers esset, quo fortissimum tentatorem reprimeret. Ad hæc Isidorus iu preces sese dare, & Deum flectere, vt seruum suum à tam potenti ac pertinaci aduersario liberaret. Cùm igitur bono temporis spatio orationem perpetuasset, erigens sese, præcepit Moysi tectum cellæ conscenderet, & oculos coniiceret in Occidentem. Paret ille, & ecce tibi infinitam multitudinem diabolorum, qui omnes implacabili succensi irâ, ignita in eum iacula contorquebant: quare horrendo spectaculo conturbari cœpit, & altissimâ voce ad Deum exclamare pro diuino auxilio; quia impossibile sibi iudicabat lethifera nequissimorum spirituum tela eludere. Sed Isidorus Abbas confortans eum; Ne timueris, inquit, frater mi, propter ea quæ in Occidente conspicatus es, sed deinceps ad Orientem respice. Quamobrem Moyses vertit faciem, & vastissimum exercitum Angelorũ conspexit, qui Sole splendidiores, ad hoc solùm armati apparebant, vt milites Christi in spiritualibus prętiis tuerentur. Simillima profectò visio alteri illi prophetæ Elisæi, qui ad defensionem suam contra Regem Suriæ, qui Dæmonem denotat, accelerare vidit de monte equos & currus igneos. Præfato itaque spectaculo recreatus Moyses Abbas ad cellam suam reuersus est, & omnem ab illa hora tentationem vtique Angelorum, quos viderat, præsidio fultus, generosissimè superauit.

6. Itaque oportet, vt Angelos venerere,& ca-

ueas illos offendere, idque tanto sollicitiùs, quã- to faciliùs contra puritatem, & continuam eius munificentiam peccatur. S. Bernardus serm. 1. de Angelis, nobis hunc respectum ac venerationem inculcat, cùm ait: *Pensate, quanta nobis sollicitudo opus est, vt dignos nos exhibeamus eorum frequentiâ, & eo modo conuersemur in conspectu Angelorum, ne fortè sanctos offendamus obtutus. Væ enim nobis, si quando Angeli prouocati peccatis & negligentiis nostris indignos nos iudicauerint præsentiâ & visitatione suâ, vt iam necesse habeamus eum Propheta plangere, ac dicere: Amici mei, & proximi mei aduersum me appropinquauerunt & steterunt, & qui iuxta me erant de longe steterunt, & vim faciebant, qui quærebãt animam meam; elongatis nimirum eis, quorum præsentia protegere, & propulsare poterat inimicum.* Nec solùm venerere, verumetiam gratum te exhibeas Angelis, à quibus tam magna beneficia accepisti, quę scis ipse, vt maiora deinde cumulet: *Pater mi* (dicebat iunior Tobias putans Raphaelem Angelum esse hominem) *quam mercedem dabimus viro huic? aut quid dignum poterit esse beneficiis eius?* &c. *Sed peto, pater mi, vt roges eum, si fortè dignabitur medietatem de omnibus quæ allata sunt, sibi assumere.* Dixi oportere te esse *venerabundum*, & *gratum*, addo nũc & *inspectorem*, ac *decentem*, vt pedem tuum non videas nudum quoties accumbis. Ad hoc enim Bernardus dixit, *Tu ne audeas illo* (Angelo) *præsente, quod vidente me non auderes?* Quid cætera corporis? absurdum est. Nonne Paulus dixit, velanda esse capita fœminarum in Ecclesia

propter Angelos? quidni intelligam veros Angelos. Ergo pudicus esto, sic enim demereberis tuũ Angelum. Postremo denique offensam euita quantumuis minimam, esto *cautus* erga illũ. Docet te hoc idem Bernardus serm. 1. de Angelis: *Si tam necessariam habemus familiaritatem dignationis Angelicæ, cauenda nobis illorum offensa, & in his maximè exercendum, quibus eos nouimus oblectari. Sunt enim plurima, quæ his placent, & quæ in nobis inuenire delectat; vt est sobrietas, castitas; attamen super omnia hæc vnitatem & pacem à nobis exigunt Angeli pacis.* & in eodem serm. *Habetote familiares Angelos, fratres mei; & frequentate eos sedulâ cogitatione, & deuotâ oratione, quia semper nobis adsunt ad custodiam & consolationem.*

Angeli cum gladiis minantes, & cum calamo scribentes benigni.

Capvt XIV.

1. Cvm duplex affectus in nobis excitari debeat erga sanctos Angelos iustitiæ & amoris, his duobus tam necessariis ad vitam nostram rectè instituendam, decreui hoc caput dare. In primis, quàm terribilis sit ira Dei erga peccatores ex Angelo, qui sæpe est visus cum fulgenti gladio astare, patet. &, vt omittam olim Seraphinum ad portam Paradisi cum igneo gladio astitisse, quo custodiret aditum illum, in historia Ecclesiastica exempla suppetunt, quo hæc veritas

veritas confirmatur. Baronius to. 5. ita ait: *Audi rem quidem admirandam, tum ab eodem auctore* (is est Leo Augustus in vita Ioannis Chrysostomi) *tum ab aliis certa fide patentem: accidisse nimirum, vt Centuriones, qui conati erant vi abstrahere creditorem, absterriti fuerint horribilis aspectu Angeli romphaea dirè minantis; sicque perterrefactos redijsse ad Imperatricem, illam verò reliquum persoluisse pecuniæ.* Hæc pecunia erat viduæ illius Callitropes, de qua in vita Chrysostomi. Huc pertinet illud eiusdem Chrysostomi orat. de Parasceue: ἄκουε καὶ τοῦ μακαρίου Δαβίδ, ἡνίκα τοῦ θεοῦ παροξυνθέντος, καὶ ἄγγελον ἀποστείλαντος τὸν τιμωρησόμενον τὸ πλῆθος, τί φησιν, ὁρῶν τὸ λοιπὸν γυμνὴν τὴν ῥομφαίαν δεικνύντα τὸν ἄγγελον καὶ τὴν πληγὴν ἐπιφέρειν μέλλοντα; ἐγὼ ὁ ποιμὴν ἐκακοποίησα, &c. *Audi & beatum Dauid, Deo irritato, & iam misso Angelo, qui multitudinem puniret; quid ait videns Angelum stricto gladio instructum, ictumque iam intentantem; Ego (inquit) qui pastor sum, peccaui,* &c. Hoc quippe habitu sancti Angeli pinguntur, quoties ostentare volunt iracundiam Dei. Ita etiam audies apud Baronium, visum fuisse Angelum supra altare vibrantem euaginatum gladium, quo extremam Angliæ ruinam interminaretur. Simile illud prodigium, quod Gregorius Turonen. narrat lib. 5. cap. 14. *Denique quadam nocte, vigiliis in basilica S. Martini celebratis, dum lectulo decumbens obdormissem, vidi Angelum per aëra volantem; cumque per sanctam basilicam praeteriret, voce magnâ ait: heu, heu, percußit Deus Chilpericum, & omnes filios eius, nec supererunt de*

his, qui processerunt de lumbis eius, qui regant regnum illius in æternum. Erant ei eodem tempore de diuersis vxoribus filij quatuor, exceptis filiabus. Cùm autem hæc in posterum impleta fuissent, tunc ad liquidum cognoui falsa esse, quæ promiserant arioli. In qua visione Gregorius de seipso loquitur. Quo anno conflatum est bellum inter Clotharium atque Theodobertũ atque Theodoricum fratres, facta vtrinque cæde victoria cessit Theodoberto atque Theoderico, & Aïmonius ita loquitur de hoc bello lib. 3. cap. 87. & 88. *in qua pugna Angelus Domini astans euaginatum visus est tenuisse gladium.* Prætereà Annales memorant Romæ visum fuisse Angelum supra molem Adriani Cæsaris strictum ensem in vaginam recondentem, quo populus intelligeret, lethalem morbum, quo vrbs ab aliquo tempore afflicta fuerat, attentis S. Gregorij precibus cessaturum. & in memoriam huius spectaculi deinceps castellum hoc ab Angelo est denominatum. Vidisti cædes, strages, ruinas in gladiis Angelorum; vide nunc clementiam, benignitatem, amorem in eorum calamis; etiam si interdum indignationem, vt apparebit in sequentibus.

2. In vitis Patrum l. 2. de Piammone sanctissimo viro & Presbytero ita legitur: *Non autem mihi videtur dignum, etiam eremi habitatores, quæ Parthenio mari adiacet, & vicina est oppido quod dicitur Diolco, silentio præterire. In quo vidimus quondam Presbyterum admirabilem, nomine Piammonem, totius humilitatis & benignitatis virum, habentem etiam reuelationum gratiam.*

Denique quodam tempore, cùm Domino sacrificiũ offerret, vidit Angelum Domini stantem iuxta altare, & vniuscuiusque monachorum accedentium ad altare scribentem nomina in libro, quem tenebat in manibus, quorumdam tamen nomina non scribentem. Cumque diligenter obseruaret senior, qui essent, quorum nomina non scripsisset, postea quam sunt completa mysteria, vnumquemque eorum seorsim euocans, percontatur, quid eis in occulto peccati fuisset admissum: & inuenit ex confeßione vnumquemque eorum peccato mortali obnoxium. Tunc hortatur eos agere pœnitentiam, & semetipsum cum eis ante Dominum prosternens, die ac nocte, tanquã ipse in eorum peccatis esset obnoxius, flebat, & tam diu permansit cum eis in pœnitentia & lacrymis, donec iterum videret eundem Angelum stantem, & scribentem nomina accedentium. Et posteaquam omnium scripsit, tum etiam illos ex nominibus euocantem, atque ad reconciliationem altaris inuitantem: vbi hoc verò senior vidit, intellexit eorum susceptam esse pœnitentiam, & sic eos altari tota cum gratulatione restituit. Hæc Ruffinus Aquileiensis. Narrat hoc etiam Dorotheus Abbas Doctrina 11. vbi misericordia & clementia elucet Angeli scriptitantis, seu potiùs Dei iubentis, omnes qui ad sacrũ altare accessissent, sacrum Domini corpus recepturi. An non putas? tuum nomen, quoties ad altare accedis communicaturus, scribitur ab Angelo Custode, & præsentabitur Domino in die obitus tui. Iterum in lib. 8. de Ammona Presbytero legitur cap. 72. *Is aliquando offerens Deo cultum, videt Angelum stantem à dex-*

tris altaris, & ſignantem fratres accedentes ad gratiam, & ſcribentem in libro eorum nomina. Quapropter Cyrillus Hieroſolymitanus Catech.15. inſcriptum ait eſſe quicquid agimus, & intelligit ab Angelis: ita enim inquit: ὁ ἀγαγὼν τὸ Ἰωσὴφ εἰς βασιλείαν ἐκ δουλείας καὶ φυλακῆς. καὶ σὲ λυτρεῦται ἐκ τῶν θλίψεων εἰς βασιλείαν οὐρανῶν. μόνον θάῤῥησον, μόνον ἔργασαι, μόνον ἀγώνισαι προθύμως. οὐδὲν γὰρ ἀπόλλυται. ἀνάγραπτος ἐστι σοῦ πᾶσα προσευχὴ καὶ ψαλμῳδία, ἀνάγραπτός ἐστι πᾶσα ἐλεημοσύνη, ἀνάγραπτός ἐστι πᾶσα νηστεία, ἀνάγραπτος ἐστι πᾶς ὁ διαφυλαχθεὶς γάμος καλῶς: *Qui Ioſeph ex ſeruitute & carcere in regem ferè prouexit, & te liberabit ab his tribulationibus, adducetque in regnum cælorum: tantummodo confide, tantum operare, tantùm promptè decerta, nihil enim eorũ perdetur. Inſcripta eſt omnis tua oratio, & pſalmodia; inſcripta eſt tua omnis eleemoſyna, inſcriptum eſt omne ieiunium, inſcriptum eſt omne coniugium rectè cuſtoditum, inſcripta eſt continentia propter Deum inſtituta.*

3. Placitum adducere inſcriptionis huius ſingulare exemplũ, eodem calamo, quo illud propoſuit Drexelius. In horrenti vaſtáque ſolitudine habebatur cælo notiſſimus ſenex, & qui Dei cauſsâ plurima didiciſſet & facere & pati. Domus illius magna ex parte cælum fuit, cubile terra, ſomnus vigiliæ, cibus ieiunium, colloquia ſilentium, caſula palatium. Suſtentandæ vitæ deficiebant illi pleraque omnia, maximè tamen aqua, elementum publici quidem vſus, ſed non vbiuis locorum ad eundum. Ergo, ſi quando ſiti mederi voluit, extremè priùs fatigari debuit, & ad fontem quaſi in mercatum proficiſci

ad emendum Falernum: neque ante aquam bibit, quàm viam longam deuorauit. Hoc illi sitim preciosam valdè, imò & exosam faciebant, maluissetque esurire bis, terue, quàm vel semel sitire; nam ita extra omnem aquæ viciniam habitabat, vt, quoties hydriam suam implere voluit, milliare priùs integrum pedibus emetiri debuerit: neque tamen recentem & frigidam vnquam bibebat, nisi continuò illic bibisset, vbi fontem reperisset. Hæc virum cælitibus charum sæpiùs turbarunt, atque ad indignationem etiam concitarũt. Fuit, vt assueto iam calle ad notum sibi fonticulum instar sitientis cerui properaret, pedibus alas addebat, non timor, sed sitis. at via nonnihil vltra dimidiam decursa, fauces arere, lingua faucibus hærere, vox asperari, brachia languere, pedes succumbere, anhelitus deficere, corpus pene totum corruere, & solo sterni. Itaque fracto iam pene & fatigato gressu incedebat, meditationi quàm antè aptior. Multa igitur secum disputare, partes in omnes vrgere animum, ita demum secum ipsi confabulari cœpit. Et quis tandem, inquit, potum tibi feret, cùm te non ferent pedes ampliùs? & fac immortalem te esse, neque vnquam morbo tentandũ; quæ tamen hæc pene quotidiana cum tanta lassitudine excursio? vt taceam dispendium temporis, quo interim legere, meditari, precari cõmodiùs possem, dum ego toties tam laboriosè, & tantum itineris conficio. Cui Creticum suum tanto stat precio, quanto mea mihi aqua? quàm me per æstatẽ æstus frangit, per hyemem frigus eneruat? Et cuius hic duret patientia in tantis &

tam aſſiduis moleſtiis? Ignoſce mihi Deus, non poſſum non indignari, & iraſci habitationi meæ tam incommodæ. Sed an nihil conſilij eſt, quo riuulum mihi, aut ſalientem aquam viciniorem efficiam? ſemper ne tot mille paſſuum decurram, vt bibam? profectò huius vini cella nimiùm à me diſſita eſt. Quid ſi ego illi fierem vicinior? illa certe mihi non poteſt, neque cum nouo alueo ad me deriuatus fons curret ita prorſus, ita agam. ſedem ego meam migrabo, & iuxta ſcaturientes latices domicilium mihi figam: ita demum compendium reperero immenſi laboris. Quid neceſſe eſt ita quotidie fatigari? Et ô me infelicem, aut incogitantem, qui non pridem in hoc conſilium iuerim. Vix hæc effatus, cùm à tergo leuiſſimum inſequentis ſtrepitum aduertit, & reſpicit in ipſo ambulationis motu, videtque iuuenem ſequi, qui omnes, quotquot ipſe paſſus faceret, accuratè numeraret. Ad quem illico ſenex: Heu tu, inquit, quod feſſo ſeni tacitum cōuitium facis, vt omnia veſtigia mea paſſuſque in digitos mittas? non ſumus inceſſu pares, vt olim, cum mihi vigerent genua? deſine hoc ludibrium. Ne ſæui (ait Angelus, quem ille iuuenem credebat) ne ſæui mi optime ſenex, cælo miſſus ſum vt paſſus omnes & ſingulos numerē, quotquot facis ad fonticulum illum, ſimul & præmia in numerum cogerem pro his vel ſingulis paſſibus, ſed etiam, ſedem cælo rependerem. Dixit, & ex oculis ſe ſubduxit. Cum eremicola cæleſti hoc affatu attonitus, in terram atque in preces funditur. &, ô mi Deus, exclamat, quæ tua hęc bonitas in ſeruulum viliſſimum? Egóne impa-

tiens ille & iracundus? ego deſes ille & ceſſator famulus tanto tibi vendam pretio veſtigia ſingula? Ignoſce, ô mi conditor, huic & iracundiæ & impatientiæ meæ. Sit venia fatuo prorſus conſilio; reuoco quod cogitaui, quod & dixi. Tuguriolum magis à fonte in poſterum diſtabit quàm hactenus, vt cum via creſcat patientia; atque vt verbis manum adderet, mox ad demoliendam ſuam caſulam ſeſe accinxit, eamque dimidio inſuper milliari à fonte remotam denuò excitauit, vt ita plus paſſuum numeraret Angelus, plus præmiorum redderet Deus.

4. Et te, mi homo, ait Drexelius, quiſquis es, tuus ſemper Angelus inſequitur, nunquam à te abit, omnem inceſſum tuum, paſſusque ſingulos ad numerum reuocat. Cogitatus etiam vel latentiſſimos, verba omnia, facta omnia, minima, maxima in numero habet. En, quàm fidum tu habeas amanuenſem? quicquid agas, actiones ille omnes numerat. Precaris tu? voces ille vel ſingulas dinumerat. Stipem erogas? numerat obolos. Flagellis te caſtigas? numerat verbera. Ieiuniis te maceras? numerat abſtinentias. De ſomno quid ſubtrahis? numerat vigilias. Cupidinem veneremque vincis? numerat victorias. Carnem cilicio domas? numerat horas. Animũ meditatione piâ inſtruis? hic vel puncto horæ numerat. Mentem confeſſione purgas? hic ille dies numerat. Legis demum, ſcribis, laboras? nec ille ſuum numerandi munus negligit; modò Deo laudando legas, ſcribas, labores.

5. Ex dictis hactenus colliges vitam tibi inſtituendam, vt aut labores ærumnasque ſperes,

quod per gladium ſignatur; vt aut conſolationes & præmia, quod per calamum & digitorum ſupputationem. Aduerte diligenter Zachariam vidiſſe oculos cap. 3. Ioannem ſeptem cornua Apocal. cap. 5. tali tamen diſcrimine, vt illi nos benignè aſpiciant, iſta caſtigent. Cùm Angelus Iſraëlitici ductor populi lumen noctu miniſtrauit, diu vmbroſam nubem. at verò Angelus extinxit omnia primogenita Ægypti, timoremque incuſſit. Imò verò, notante Lyrâ, diſce, eãdem columnam, quæ inter filios Iſraël, & hoſtes Ægyptios interponebatur; illis quidem lumen præſtitiſſe, his verò ad inſtar opacæ nubis impedimento fuiſſe, quo minùs veſtigiò præcedentium perſecutores agnoſcerent. Quare non iucundum dumtaxat vultum amantiſſimi huius Cuſtodis noſtri & miniſtri miſericordię, eiuſque continua beneficia contemplari debemus; verumetiam iratum ſi læſerimus in aliquo benefactorem noſtrum Chriſtum Ieſum. Cogitemus igitur illud Baſilij orat. 2 de Ieiunio (vt ad propoſitum redeat oratio de ſcriptione Angelorũ) ἄγγελοί εἰσι οἱ καθ' ἑκάστην ἐκκλησίαν ἀπογραφόμενοι τοὺς νηστεύοντας: *Angeli ſunt, qui in ſingulis Eccleſiis deſcribunt ieiunantium capita.* & ſuprà dixerat, οἱ φύλακες τῆς ζωῆς ἡμῶν ἄγγελοι φιλοπονώτερον παραμένουσι τοῖς διὰ νηστείας τὴν ψυχὴν κεκαθαρμένοις: *Vitæ noſtræ cuſtodes Angeli diligentiùs adſunt his, qui ieiunio purgatam habent animam.*

5. S. Bernardus (ait Chryſoſt. Henriqu. cap. 32 vitæ eiuſdem) cùm aliquando pſalmodiæ modulatio vigilias protelaret, vidit ſingulos Angelos iuxta ſingulos monachos ſtantes, & quod

quisque eorum psallebat, in schedulis more Notariorum tam diligenter excipientes, vt ne minimam syllabam quamcumque negligenter prolatam omitterent. Scribebant verò diuersō modo. Nam quidam eorum scribebant auro, alij argento, nonnulli atramento, aliqui etiā aquâ, quidam verò penitus nihil scribebant. Quæ rationes scribendi, modos etiam cantantium indicabant: & qui nihil scribebant, futiles & inanes esse cantus indicabant canentium.

De variis Angelorum nominibus.

Capvt XV.

1. Angelvs nomen est officij, non naturæ. Primasius comment. in epist. ad Hebræos: *Sciendum autem, quod Angelus nomen est officij, non naturæ; qui semper sunt quidem spiritus, sed nequaquam semper vocantur Angeli, nisi cùm mittuntur. ἄγγελος enim Græco vocabulo Latinè dicitur nuncius: si quæris nomen naturæ, spiritus est, ex eo quod mittitur, Angelus. verbi gratiâ; sicut homo, nomen est naturæ; miles autem, nomen est officij.*

2. Contendam autem explicare Angelorum nomina quæcunque sunt apud Sanctos. In primis nomen *virtutis* datum est Angelis in communi. Epiphanius in serm. de laudib. Deiparæ, à virtutibus exordium ducit: *Ita siquidem vel cælorum virtutes in stuporem conuertit.* vbi *virtutes* sunt omnes potestates cælestes. Etenim Chrysostom. expositione in psalm. 45. dicit,

Deum omnes Angelos *Virtutes* appellaſſe, ait enim καὶ καλῶς δυνάμεις ἐκάλεσε τὴν ἰσχὺν αὐτῶν ἐνδεικνύμενος, ὥσπερ καὶ ἀλλαχοῦ φησι. δυνατοὶ ἰσχύϊ ποιοῦντες τὸν λόγον αὐτοῦ. Καὶ γὰρ εἷς ἄγγελος ποτὲ ἐξελθὼν, ἑκατὸν ὀγδοήκοντα πέντε χιλιάδας ἀνεῖλε: *Rectè autē eos appellauit Virtutes, vires eorum oſtendens. ſed dicit alibi, potentes virtute, facientes verbum eius. Etenim vnus Angelus cū aliquando eſſet egreſſus centū quinq; octoginta millia ſuſtulit.* Cyrillus Alexan. lib. 4. contra Iulianum: *Et virtutes ſanctas ac rationales, ab ipſo originem quidem ſortitas, ſubſiſtentes autē abſque omni macula, aſſuetas humili illius ſēſu ſceptris & Dominicæ voluntati obedire, irreprehenſibilemque prorſus præ ſe ferentes obedientiam, nobiſcum qui lædimur militare iuſſit.* Nazianzenus orat. 14. καταληφθὲν δὲ ὑπὸ τῶν ἀγγέλων καὶ θείων δυνάμεων, αἳ καὶ πρὸς θεὸν, καὶ πρὸς ἀλλήλας εἰρηνικῶς ἔχουσι: *Ab Angelis autem & diuinis virtutibus perceptum, quæ & cum Deo, & ſecum quieta ac pacata ſunt.* & orat. 38. μετ' ἀγγέλων χόρευσον, μετ' ἀρχαγγέλων ὕμνησον, ἔστω κοινὴ πανήγυρις οὐρανίων καὶ ἐπιγείων δυνάμεων: *Cum Angelis tripudia, cum Archangelis hymnos cane, ſit cæleſtium & terrenarum virtutum communis celebritas.* Hieronymus aduerſus Heluidium, & in epiſt. ad Epheſios: *Ita puto Angelos cæteraſque Virtutes habere principes ſui generis in cæleſtibus, quos Patres gaudent appellare.* Origenes Philocal. cap. 22. στοχάζομαι τοῖς τὰ ἀνθρώπινα οἰκονομοῦσι δυνάμεσιν ἐγκεῖσθαι τὰ σημεῖα, ἵνα τινὰ μὲν γινώσκωσι μόνον, τινὰ δὲ ἐνεργῶσι: *Conijcio virtutibus illis, quibus res humanæ reguntur, quædam ſigna ineſſe, vt alia tantùm cognoſcant, alia etiam*

efficiant. Quin Vsuardus 8 Nouemb. *Commemoratio Archistragi Michaelis, & reliquarum incorporearum virtutum.* Petrus Damianus in serm.de S. Michaele: *Beata illa regio supernarum virtutum, in qua felices spiritus circumuelant Dominum Sabaoth, & sublimi pennarum applausu in plateis supernæ Hierusalem Sanctus, Sanctus, Sanctus clarâ voce decantant.* Et sacro eloquio frequens est vox Psalm. 148. *Laudate Dominum omnes Angeli eius, laudate eum omnes virtutes eius.* & alibi sæpe. Et Suarez 3. p.q 59. art. 6. disput. 56. sect. 53. sic inquit; *Virtutes cœlorum, hoc est, Angeli, commouebuntur.*

3. Principes appellantur etiam communi vocabulo. ita eos appellat S. Bernardus serm. 7. in Cant. *Doleo proinde aliquos vestrum graui in sacris vigiliis deprimi somno, nec cæli ciues revereri, sed in præsentia Principum tanquam mortuos apparere, cum vestra ipsi alacritate permoti, vestris interesse sollemniis delectentur.* Tot igitur ac tanti Principes missi sunt in salutem hominum.

4. *Cælum* dicuntur à Cyrillo Alexand.comm. in Amos, cùm ait: οὐρανὸν γὰρ εἶναί φαμεν τοὺς τὸν οὐρανὸν οἰκοῦντας ἀγγέλους: *Cælum enim esse dicimus cælũ incolentes Angelos.* Hoc aliorum etiam est. Idem in Oseam *Nubes* vocat, & *administratorios spiritus,* hoc verborum complexu. νεφέλας δὲ νοητέον τὰς ἁγίας, καὶ νοητὰς δυνάμεις, τὰς ἄνωθεν καὶ δι' οὐρανῶν, δι' ὧν ἀφίκοιτο πρὸς ἡμᾶς ὁ τῆς παρακλήσεως λόγος, δῆλον δὲ ὅτι παρὰ θεοῦ: *Nubes autem sanctæ, & quas mente oculis videmus, Virtutes intelligendæ sunt, supernæ & cælestes: per quas sermo exhortationis ad nos permanere posit, à Deo, inquam, sine contro-*

nerſia. Et ſuprà in eundem prophetam dixerat, μεσολαβούντων ἀγγέλων: *Angelis adminiſtris.* & infrà: πνεύματα γάρ εἰσι λειτουργικὰ, κατὰ τὴν τοῦ μακαρίου Παύλου φωνὴν ἄνω τε καὶ κάτω διαθέοντα καὶ ἀποστελλόμενα πρὸς διακονίαν, διὰ τοὺς μέλλοντας κληρονομεῖν σωτηρίαν: *Sunt enim ſpiritus adminiſtratorij, iuxta beatum Paulum, ſurſum & deorſum diſcurrentes, & miſsi in miniſterium propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis.*

5. Magnus Antonius in epiſt. 2. ad fratres Arſenoitas nomen officij mutat *in operationem*, cùm inquit: *Idcirco autem omnia hæc nomina adiecta ſunt iſtis propter vniuſcuiuſque eorum operationem, ideo & nunc quidam ipſorum vocantur Archangeli, alij Sedes & Dominationes, & Poteſtates, & Cherubin. Hæc autem eis nomina addita ſunt pro eo quod conditoris proprij cuſtodierunt voluntatem.* Nomen, inquam, officij, quod eſt Angelus, mutat in *operationem.* quaſi dicat, nuntiare eſt operari. Inſuper *Aues* nominari aſtruit Andreas Cappadociæ Epiſcopus in Apocal. Ioannis, vbi Ioannes dicit: *Et vidi vnum Angelum ſtantem in Sole, & clamauit voce magnâ dicens omnibus auibus quæ volabant per medium cæli.* Quem in locum Andreas ait, Angelos appellatos *volucres cæli.* Reddit rationem: *Quod ſublimes, & inter cælum terramque volitent, ſeſeque ad noſtram inſtructionem ſubinde demittant.* Narrat inſuper Cantipratenſis lib. 2. cap. 25. num. 8. de quadam venerabili fœmina, quam auis miræ pulchritudinis, & decoris dulciſſimis & ineffabilibus vocibus annis ante mortem plurimis ſolaretur. Elanguit enim multo

tempore in lecto iacens; cumque ab ea quæsiuissem cuius auis voces imitari illa volucris videretur, Nihil, ait, in terrenis est, cui comparetur. Nec solis auribus delector, sed cor quoque gaudet, & inflammor ad vitam æternam. Quid existimem de hac aue, nisi esse Angelum?

6. Minister Dei dicitur Angelus, eo quòd ministret, quo spectauit Cyrillus Alexandrinus lib. 4. contra Iulianum: *Vt Rex quidam fidelibus ministris permittens contra barbarorum insidias se opponere, & subditorum depellere insolentiam; immittet enim Angelus Domini in circuitu timentium eum, & liberauit eos.* Et quidem Minister dictus, quoniam in via salutis nobis adiumento sunt, ac de omnibus mediis ad illam requisitis prospiciunt; Omnes, inquit Apostolus, sunt *administratorij spiritus*, missi, inquam, ad salutem nostram. Omitto *Milites*, qui pro nobis præliãtur aduersus Satan, promittẽte per Zachariam Domino, *Circumdabo te ex his, qui militant mihi*, id est, Angelis, Hieronymo interprete. Et *exercitus*, quo illustrissimo titulo vsus est Patriarcha Iacob, cùm innumerabiles prope Angelos videret in auxilium suum contra persecutorem Esau accelerare. Quamobrem Cant. 7. appellantur, *Castra Dei*. Quin & Angelus *initium* dicitur. Meritò itaque Ecclesiast. 17. ad ea verba, *& initia eorum in genibus suis*, Iansenius & Lyra intelligunt Angelos; nam Germanicum exemplar habet, *καὶ τὰς ἀρχὰς αὐτῶν εἰς γονιας αὐτῶν.* *ἀρχὰς* autẽ non solùm initia, sed Principatus etiã significant. Voce au-

tem Principatus vſus eſt Paulus ad Rom. 8. & ad Colloſſ. 1. Rectè autem ab Eccleſiaſtico vocantur Principatus, quòd primas partes inter opera Dei habeant Angeli.

7. Tutores noſtri vocantur ab Origene hom. 8. in 22. Geneſis: *Angeli velut procurationem animarum noſtrarum tenent, quibus dum adhuc paruuli ſumus veluti tutoribus & actoribus committimur.* & Auguſt. in Pſal. 62. *Attendunt Angeli nos peregrinos, & iuſſu Domini auxiliãtur nobis, vt ad illam patriam communem aliquãdo redeamus.* & Origen. homil. 20. in Num. c. 25. *Adeſt vnicuique noſtrum etiam Angelus Domini, qui regat, qui moneat, qui gubernet, qui pro actibus noſtris corrigendis, & miſerationibus expoſcendis quotidie videat faciem Patris.* & Bernardus de illis loquens ſerm. 20. de Natiuit. *Diſcurrunt medij inter nos & Deum, fideliſſimè portantes ad Deum gemitus noſtros, & ipſius gratiam referentes.* Hìc tantillum ſiſte quiſquis es, lector, & conſidera ex hinc gemitus noſtros, exinde gratiam Dei referentes Angelos. Quantum eſt gratiam pro gemitibus dare? Atqui hanc Angeli cuſtodes referunt è cælo. Progredior. Inſuper Angeli dicuntur *ſtellæ*, quod Andreas vult in illud Ioannis, *Hæc dicit, qui tenet ſeptem ſtellas in manu ſua.* item à Procopio Sophiſta Chriſtiano in Eſaiam vocantur fluuij, cùm ait in cap. 33. ἀγγέλων ὄντων τῶν πολλῶν ποταμῶν τῶν διὰ παντὸς βλεπόντων τὸ πρόσωπον τοῦ πατέρος τοῦ ἐν οὐρανοῖς, οἳ φέρουσι τὴν ἐκκλησίαν: *Quanquam tamen & multorum fluuiorum nomine Angeli intelligantur qui ſemper Patris faciem in cælo intuentes, Eccleſiam*

custodiunt. Item vocari Angelos *Ignem* tritissimum est, vel ex illo Prophetæ, *Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos flammam urentem*, vel *flammam ignis.* Et Procopius in Isaiam dixit, καὶ ὁ κύριος, ὧν δεῖ τῶν στερεῖν.

8. Dixit Origenes in Philocal. cap. 17. ὅταν δὲ περὶ ὀνομάτων τις δύνηται τὰ ἐν ἀποῤῥήτοις φιλοσοφεῖν, πολλὰ ἂν εὕροι καὶ περὶ τῆς ἐπικλήσεως τῶν ἀγγέλων τοῦ θεοῦ, ὧν ὁ μέν τις Μιχαὴλ, ἕτερος δὲ Γαβριὴλ, καὶ ἄλλος Ραφαὴλ καλεῖται. φερωνύμως τοῖς πράγμασιν ἃ διακονοῦνται κατὰ τὸ βούλημα τοῦ θεοῦ τῶν ὅλων ἐν τῷ παντί: *Si quis verò possit arcana nomina eruere, multa & in appellatione Angelorum Dei reperiet, quorum hic Michael, ille Gabriel, alius Raphael appellatur, iis rebus, quas summi Dei voluntate in mundo administrant consentaneo nomine.* Occasione Origenis de nominibus Angelorum dissertabo paululum. Obseruandum est Angelis à primo, aut egregio opere nomen esse datum, quia ab illo cognitum est hominibus illorum munus, aut ingenium. Michael ergo ab illa præclara voce, *qui sicut Deus.* Gabrieli datum est nomen, quia fortiter pugnat pro populo Dei. Daniel. 10. Gabriel enim idem sonat, quod *fortis Deus*, seu *Fortitudo Dei.* Raphael nomen obtinuit, quod Tobiam à cæcitate, & Saram & sponsum ab Asmodæo dæmone liberauit, qui septem viros, quibus Sara nupserat, in ipso nuptiarum exordio incautos occidit. Raphael autem idem significat, quod *Deus Medicus*, aut *Medicina Dei.* Sic ergo Raphael, quia eo consilio missus est à Deo, vt auxiliaretur afflictæ miseræque familię, quam premebat egestas, & ereptum oculis lumen, &

aſſidua vicinorum ludibria dolorem faciebant aſſiduum, ab auxilio quod Deus attulit optimè per Raphaelem, & ſeruatâ imponendorum nominum conſuetudine & lege appellari potuit Azarias, quod nomen Latinè ſonat Dei auxiliũ, aut auxiliatorem Deum. Et fortaſsè ab allato auxilio vocatus fuiſſet Azarias, & ſub eo nomine fortaſſe ab aliis inuocaretur appellatione perpetuâ, niſi Tobiæ acceſſiſſet depulſa cæcitate reſtituta ſanitas, propter quam Raphaelis nomen eſt conſequutus.

9. De aliis Angelorum nominibus dictum eſt alibi Hîc dicam breuiter ex Cornelio Noſtro in Apocal. præter tria nomina Michaelis, Gabrielis, Raphaelis, exſtant alia quatuor, *Vriel*, qui nominatur lib. 3. & 4. Eſdre. *Sealtiel*, qui colligitur ex Geneſ. 16. *Iehudiel*, quî colligitur ex Exodi 23. *Barachiel*, qui colligitur ex Geneſ. 18. quæ quidem nomina in certa ſunt, & Eccleſia agnoſcit tria nomina tantum Michaelis, Gabrielis, Raphaelis, vt aſſerit concilium Romanum, cui præfuit Zacharias Papa. Quod citatur in vita Sancti Bonifacij apud Surium menſe Iunio, & à Baronio. Hoc intellige, quòd Eccleſia plura Angelorum nomina non agnoſcat, ſcilicet quæ ex Scriptu ra Canonica, aut Eccleſiaſtica traditione certa ſint. Nam alioquin *Vrielis* nomen admittit S. Ambroſius l. 3. de Fide ad Gratianum. can. 2. Iſidorus lib. 7. cap. 5. illudque habetur in miſſa Moſarabum, quæ exſtat Tom. 4. Biblioth. Sanct. Patrum. Andreas Cæſar. in cap. 22. Apocalyp. Albertus Magnus, Bonauentura, Prado, Sixtus Senenſ. & alij quos citat Alcaſar

Alcasar not. 4. Hîc vnius Gersonis sententiam dabo p. 3. tract. 8. super Magnificat: *In libris Esdræ fit mentio de Vriel Angelo, cuius interpretatio sonat Ignis Dei: licet Angelum quemlibet viatoribus singulis deputatum Vriel appellare, cuius officium est, suauiter vrere renes & cor nostrũ, consumere sordes vitiorum, succendere totum cor ad virtutes, sacrificare pietatis holocaustum, quod est in odorem Domino suauissimum. Vriel iste redigit quos inflammat in cinerem, per timorem, & humilitatem spiritus; mollit per pietatem, & mititatem contra cordis duritiem lapideam; resoluit in luctum per propriæ fragilitatis scientiam; corroborat per decoctionem & humoris fluidi resolutionem, vnde venit apud animam fames & sitis congrua, tractabilem reddit ad consilium, & misericordiam; subtilisat & purificat cor ad intelligendum. Demum saporem & internam pacem efficit per renouationem iuuentutis, sicut aquilæ, sicut coruorum, sicut accipitris, sicut serpentis. Notæ sunt istæ similitudines, quales per metaphoram operatur in nobis Vriel noster, si non obstiterit ipse animus noster.* Meminit etiam S. Vrielis Origenes in Philocal. cap. 22. Ἀρχαγγέλου Οὐριὴλ, *Archangeli Vriel.* Zacharias ergo tantùm damnat magica & conficta Angelorum nomina, quæ malo sensu ab Adalberto hæretico, &, vt videtur, Mago, in concilio illo producebantur. Vnde S. Bonifacius in eo exclamauit, illa dæmonũ, non Angelorum esse nomina. Hæc satis, quæ idem Cornelius refert ex B. Amadæo, vide in illo. Hæc enim carptim tantùm collegi. Hîc multa nomina dissimulaui Angelorum, vt cùm

dicuntur *Pædagogi* nostri, *Oculi* Dei, *Vicarij* Dei, *Patroni* nostri, nobisque addictissimi, & similia, quoniam capita de illis dabo.

Iuuant Angeli in temporalibus.

CAPVT XVI.

1. MAGNAM occasionem nobis Angeli Custodes præbent non modò in spiritualibus bonis, quibus abundè cumulant; sed etiam in temporalibus, quæ illis debemus, nec agnoscimus. Hæc vt agnoscamus, hoc caput destino: faxit Deus respondeat votis.

2. In primis Tobias visum recepit ministerio Angeli; & iunior ereptus est à faucibus piscis; Sara & tota Raguelis domus ab infesto dæmone est liberata. Loth ab incendio seruatus. Agar & Ismael in solitudine, Daniel in lacu leonum, Elias sub iunipero pasti sunt. Tres pueri in fornace conseruati. Petrus è carceribus eductus.

3. Qua ratione faciant hæc disquirendũ est, & in primis illos esse locales fatendum est cum Fausto in epist. ad Ruricium 16. vbi ait: *Ego autem ne Angelos quidem locales esse dubitauerim, quos certum nunc in cælestibus contineri, nunc per aëris vacuum ferri, nunc ad terrena dimitti; quos sermo diuinus ascendentes & descendentes in Patriarchæ visione describit. Vtique si locales non essent, & vbique essent, adesse atque descendere ascensu descensuque non possent.* Mox probat à Gabriele, qui se ante Dominum astare testatur, cùm cælorum Dominum Mariæ infundendum vi-

ſceribus nunciante. Hoc habito ex Fauſto, dico Angelos id facere mundo localiter, & motu locali poſſunt applicare actiua paſſiuis, ac proinde omnes effectus producere, qui à cauſſis naturalibus produci poſſunt. Itaque poſſunt ignem ex elemẽto dimittere, poſſunt facere motus turbulentos, quæ in Iob viſa ſunt: poſſunt excitare tempeſtatem in mari, poſſunt in humano corpore morbos producere, & conturbare hominem; & in contrarium ſanare. Poſſunt transferre corpora ex vno loco in alium, res præſentes è conſpectu extrahere, & mouere ſtatuas, ita vt videantur ambulare; poſſunt quædam quæ miracula appareant facere, miraculum enim ſolius poteſtatis diuinæ eſt; itaque faciunt non reuerâ miraculum, ſed quod nobis videatur miraculũ, ex notitia quam habent virtutum omnium quæ ſunt in herbis, lapidibus, gemmis, ſuccis, animalibus, ſtellis. Hinc apparet, quemadmodum magi Pharaonis, dæmonum miniſtri, produxerunt ranas & ſerpentes: & virtutes, quas facturus eſt Antichriſtus.

4. Hoc habito tanquam certo, neque enim diſputandum hîc eſt, videamus quæ & quanta beneficia temporalia proueniant nobis ab Angelo. In primis Angeli ſancti multis diſcriminibus nos ſubtrahunt, quod magnum beneficium eſt. vnde Iacob Geneſ. 48. in benedictione puerorum, ſic inquit: *Angelus qui eripuit me de cunctis malis benedicat pueris iſtis*. In quæ mala nõ incidiſſet Iacob perſecutus à Laban, ab Eſau, mille aliis calamitatibus preſſus, niſi Angelus vnà cum illo fuiſſet. Vnde Iudith poſt Holofer-

nem trucidatum: *Viuit Dominus, quoniam custodiuit me Angelus eius, & hinc euntem, & ibi commorantem, & inde huc reuertentem*, ne barbaræ hostium manus ancillam suam contaminarent. Filiis Israël, cùm per desertum peregrinarentur, Angelus Domini de die vmbram præstitit, & noctu splendorem. Hæc omnia Angelorum ministerio facta sunt. Considera, mi homo, quantis periculis te Angelus eripuit, & videbis quàm gratus esse debeas. Quantæ rixæ quotidie oriuntur in familiis, quibus actum de te foret, nisi illas conciliaret Angelus. Illi debes, quod non putas. Si coniectus es in carcerem, quod non nemini contigit, eductus inde es Angeli operâ. An non vidisti, quod Petro in carcere constituto accidit? Angelus ad eum venit, rupit catenas. portam ferream reserauit, liberum ad Apostolos remisit, Herodem elusit. Sancham Carrillum, nobilem in primis fœminam, & familiâ Cordubensi oriundam, protectione suâ Angeli defenderunt, & in tenebris lucem præferebant, qua illa Deo deuota, iter faceret. Accidit aliquando, vt ea per scalas descenderet vnà cum puella mire Deo deuota, & ante se lucem vidit præeuntem, & illustrantem tenebras, donec ad cubile ventum est. Illa Deum supplicabunda orauit, vt si quid dæmon intentasset, disiiceret: cui Deus reuelauit, nihil timeret à luce, quam custos Angelus præbuisset, vt illuminaret in tenebris, ne fortè offenderet ad lapidem pedem suum.

5. Quid verò dicam de Regibus & Principibus, cùm molesti sunt? An est malum, quod cõferri cum hoc queat? nulli parcunt labori in per-

ſequendo, nullum non mouent lapidem, vt aliquem deuaſtent. Tunc Angeli Dei, cuſtodes hominum non ceſſant vindictam expetere contra potentes, qui puſillos & humiles Chriſti ſeruos iniquâ dominatione exagitant. Id quod in Septemtrione experimento eſt viſum formidandis mortibus ſub Elizabetha regina Angliæ: quot ſacerdotes ſuſpendit, quot equites martyrio affecit? Et niſi Deus reſtitiſſet improbæ reginæ, totum credo mundum deuaſtaſſet.

6. Si conſideres quotidiana mala, quibus expoſita humana vita famis, ſitiſque, profectò rapieris in admirationem. Legitur 3 Reg. cap. 19. Eliam aliquando mœſtum ac defeſſum iacuiſſe, ac tunc refocillatum ab Angelo ſubcinericio pane, qui vtique tantæ virtutis fuit, vt in fortitudine illius ambularet quadraginta diebus ac totidem noctibus vſque ad montem Dei Oreb. Quamobrem S. Auguſtinus autumat, panem illum confectum manibus Angelorum. etenim ſolantur Angeli in his anguſtiis deprehenſos, adeò benigniter, vt nihil vltrà deſiderari queat. In ſingulos annos & momenta quotidiana anguſtiamur & premimur, & niſi inſtillent Angeli perpetuum ſolatium, perimus. Quamobrem de inuocatione Angelorum ſequenti capite tractabo, poſtquam iſtud finiam.

7. Vt videas autem qua ratione Deus ſeruis ſuis patrocinetur, referam exemplum dignum omni admiratione, quod contigit Patribus noſtris, in quo Deus redeuntes Româ per mediam Galliam ſeruauit. In primis P. Balthaſarem Aluarez, quæ res ſic ſe habet. Offero autem tibi

Ludouicum de la Puente, qui in vita Balthasaris ita ait de hac Angelorum custodia cap. 25. Cùm die quodam egrederetur post prandium ex quadam ciuitate ad aliam quatuor leucis distantem, moniti sunt vt ab itinere ducente per medium montem cauerent, quippe grassatores infestabant illud; tutam verò esse viam, si per prata, quorum itinera pluuia oblinierat, & lutum infecerat, iter ducerent. Illi consilio stantes, quum eò loci accesserunt, auia montis declinãtes, prata aggressi sunt; vix tamen introeuntibus equis, primi pedes luto inhærentes mollitiem terræ sensere, & ventrem vsque in ea conditi sunt, debilitatã Patrum spe amplius equitandi. nam si eiusmodi eos in principio velut ripæ aut crepidine aluei lutum facessebat, quid in medio lacus perpendere iustum est? Iam subdere calcaria cessarunt, quid boni facere oporteret consultantes, quum puellus omnis culpæ, vt videbatur, incapax, clamitans hortabatur, viam illam timerent, & semitam reducentem ad montem tuti aggrederentur. Hærent illi, an eos fefellerit qui in præterito oppido iter montis dissuaserat, an iste Angelus Dei esset, et quidem obaudiendus, an potiùs pro parte latronum insidias ageret, vt quos à monte recedere prospiceret, stagni pericula proponens in montem reduceret, & in hac suspicione vnanimes conuenêre, quare quoad possent, pergere per medium lutum statuerunt. Vix equis vires supererant, vt tardè, & maximo conatu iter facerent; & subitò aliu. eos ingruit horror: nam vbi vix cerneres an aqua, an terra, an lutum pelagus esset, venire

videntur paruo fasello remiges rubeâ veste indutos; illi timere in re tantæ afflictionis cæperunt, namque prædatores esse putabant, qui eos in medio lacu circundare & spoliare conabantur, quandoquidem montis iter, vbi illi latebant, repudiauerant: qui tamen timor citò decessit, nam remiges portum appellentes iter suum continuarunt. Solus iam lacus ruinam minabatur, & equi supra vires suas mediam leucam vnguibus emensi fuerant, nec plenum ventrem luto nudare quibant, & ne profundiùs emergerentur, non terræ soliditas, sed ventris amplitudo defendebat. Tandem ibi pluuiatiles aquæ, & quas pyramides montium in conualles excusserant, diu commorabantur, & terram visceribus tenus emollierant: quare Patres temerarium amplius pergere iudicarunt, & ad præteritum oppidum reuertere iamiam statuerunt, cùm en oculis se ostendit mirum in modum ornatus eques, & qua illi emersi perrexerant, ille quasi per solidam terram currens equitabat. Is accedens in primis comiter eos salutauit, & metum corde trudens, animos iniecit, vtque eius vestigiis insisterent hortatus est; nam si sequerentur, qua dirigebat, citò terram salui possiderent, peritus enim erat viæ illius. Fecere sic Patres, & adeò velociter equitarunt, vt nondum Sole occaso lacum exiissent, à quo, quem adibant, populus dimidio leucæ distabat. Eques igitur ille admodum vrbanus & beneuolus viam iam tritam omni periculo ostendens, subitò disparuit, & oculis eorum sublatus est, perpendentibus omnibus, quod nec ad dextram, nec ad sinistram de-

clinasset, nec vltra perrexisset, retróve cessisset, ad nullam loci differentiam confugisset. Quare Dei nuntium Custodem beneficum agnoscentes, parumper abstinuerunt equitatione, Deo grates pro munere & tutela agentes. Plures hoc Patris Mironis sanctitudini tribueru nt, quæ mira erat, & qui semper consuluit vt per lacum iter facerent. Alij verò merito P. Balthasari, eiusque feruidis orationibus dederunt. Et certè rationi est congruum, vtrique Deum benefacere voluisse, quorum orationes (adeò erant iusti) in conspectu Dei intrabant, & ad spem accipiebantur, cùm ad id etiam iuuarent comitantiū preces.

8. Adducit inferiùs reuelationem à Deo P. Balthasari (nam certè optimo cuique in hoc inuidendus) anno 1571 Decembris 22 die, quæ vt continetur in secreto earum libello, quem in solatium sibi seruabat, sic se habet: Cùm essem in matutina oratione beneficium accepi à Deo meo, quod vt ingentem fauorem habui pluris, & ad Angelorum venerationem nimis particulariter me iuuerit, nempe eius, qui B. Virgini incarnationem annunciauit & Christo passionem: & eius qui Patri æterno offert quotidianum Missæ sacrum, tanquam medius circa cultum & honorem, quo altaris ministros venerari decet. Prætereà inductus fui in amorem aliarum trium Angelicarum cohortiū, nēpe eorum qui Christo oranti, prælianti, ter faciēti astiterūt, & eorū qui iustos in his tribus comitantur. Captus sum nimiâ veneratione Angelorum qui meis officiis & ministeriis præsunt, & Angeli Custodis mei, & denique omnium qui peculiariter subditos meos custodiunt

& tuētur. & ex hac hora sēsi me obligatū ad eos peculiariter colendos propter obedientiam Domini, putans eum me illis commendasse particulari iussu. Hucvsque reuelatio, seu illuminatio. Si ergo ea fuit huius Patris erga Angelos veneratio, quid mirum vnus eorum, & vt clariùs innotescit, custos de angustia tutum, & illæsum deduceret. Aliud tibi exemplum narrabo fratrum duorum, quibus in desperatione rei cibariæ Angelus adstitit.

9. Duobus fratribus Prædicatoribus gradientibus ieiuniorum tempore ante Pascha, cùm iam instaret tempus prādij hora nona, & secum quærerent, quis fidelium eos ad refectionem reciperet in terra rara hominibus & ignota, subitò affuit iuxta eos Angelus Domini, vt ait Cantipratensis lib. 2. cap. 54. num. 11. qui Angelus sub viri specie elegantis formæ atque habitus peregrini fuit, atque illis dicere incepit, quidnam inter se conferrent? Illis autem verecundantibus dicere quid dixissent, ait eis: Modicæ fidei de hoc inter vos dubij quærebatis, quis vos ad refectionem reciperet in terra rara hominibus, & ignota. Christo credite veritati, qui non hæsitantibus, & in se confidentibus repromisit, dicens: Primùm quærite regnum Dei, & hæc omnia adiicientur vobis. Credidistis in hoc Christo, vt temporalia ista pro illo dimitteretis, & paupertate regnum seduli quæreretis, & nunc Christo diffiditis, vt vos sine refectione dimittat, & non quasi filios pascat? absit, & hoc vobis signum. Transibitis campum istum, & in valle quadam villam paruulam inuenietis. Illic in tia-

tisEcclesiam, inuitabit vos presbyter magno affectu;sed superueniet miles,qui vos violenter auferet sacerdoti. & cum vos deducet, persona loci,qui aliter Patronus dicitur, maximis precibus à milite obtinebit vos,& ambos inuitatores vestros militem scilicet & Presbyterum vobiscum largissimis ferculis reparabit. Confidite ergo in Deum, & fratres ordinis vestri exemplo isto confidere faciatis. Hæc vt dixit repente disparuit. Illi autem per ordinem,vt eis prædixerat, omnia repererunt, & reuertentes Parisios dicto Fratri Henrico de Colonia,& fratribus quibusdam aliis, quæ sibi contigerat retulerunt;& notandum quod non solus Christus, sed & nobis in mensa eius Angeli ministrabunt. Vnde ipse Christus suos confortans dixit: Ecce ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, vt edatis, & bibatis super mensam meam in regno meo.

Angeli inuocandi & adorandi sedulò in nostris necessitatibus

CAPVT XVII.

1. IN primis S. Bernardus serm.1. de Angelis, ita ait: *Vt ampliorem de cetero erga beatos Angelos fiduciam habeatis, familiarium in omni necessitate vestra eorum inuocetis auxilium.* Hinc Auctor Testamenti 12 Patriarcharum, ait in testamento Leui scriptum esse: *Tunc duxit me Angelus in terram, & dedit mihi scutum, & gladium, & dixit: Fac vindictam in Sichem de*

Dina, & ego ero tecum, quoniam Deus misit me. Dicebam autem ei: Oro te Domine, dic mihi nomen tuum, vt inuocem te in die tribulationis, & dixit: Ego sum Angelus excusans genus Israël, vt non percutiatur in finem. Postea velut ex somno excitatus, benedixi Altissimum, & Angelum excusantem genus Israel, & omnes iustos. Inde in sacro eloquio Genes. 19. *Venerunt duo Angeli Sodomam vespere, sedente Loth in foribus ciuitatis. Qui cùm vidisset eos, surrexit, & iuit obuiam eis: adorauitque pronus in terram, & dixit, Obsecro, Domini, declinate in domũ pueri vestri.* & Num. 22. *Protinus aperuit Dominus oculos Balaam, & vidit Angelum stantem in via euaginato gladio, adorauitque eum pronus in terram.* & Iosue 5. *Cùm esset Iosue in agro vrbis Iericho, leuauit oculos, & vidit virum stantem contra se, euaginatum tenentem gladium, perrexitque ad Deum, & ait: Noster es, an aduersariorum? qui respondit, nequaquam, sed sum princeps exercituum Domini, & nunc venio. Cecidit Iosue pronus in terram, & adorans ait.* & 1. Paral. cap. 21. *Porro Angelus Domini stabat iuxta aream Ornan Iebusai. Leuansque Dauid oculos vidit Angelum Domini stantem inter cælum & terram, & euaginatum gladium in manu eius, & versum contra Hierusalem; & ceciderunt tam ipse, quàm maiores natu vestiti ciliciis proni in terram.*

2. Inde S. Ambrosius in lib. de viduis: *Obsecrandi sunt Angeli pro nobis, qui nobis ad præsidium dati sunt.* Alcimus Auitus lib. 4. de Diluuio ita canit:

Est ille in cælis, numeros qui præterit omnes,

Angelicus sine fine chorus, qui laude perenni
Conclamat, celebratq. Deum, famulantia factus
Ferrè ministeria, & iussis parere supernis.
Hi nunc quod rectum mortalia corda precantur,
Concipitur dignis sacro quod pectore votis,
Quicquid larga manus collectis spargit egenis
Excipiunt, sanctóque ferunt super astra volatu.

Cassiodorus in psal. 120. *Hoc spiritualiter inquiras omninò proficuum est, vt oculos cordis sui, siue ad sanctos viros, siue ad libros diuinos, siue ad sublimes Angelos credatur eleuasse; qui magnitudine & firmitate sua verè montes sunt, vnde etiam competens sustinebatur auxilium.* Alcuinus de vsu Psalm. *Rogo sanctissimam & beatissimam Mariam matrem, rogo viginti quatuor seniores, omnes sanctos Angelos deprecor, omnibus sanctis Prophetis supplico.* S. Bernardus serm. 12. Qui inhabitat. *Quoties grauissima cernitur vrgere tentatio, & tribulatio vehemens imminere, inuoca custodem tuum, ductorem tuum, adiutorem tuum in opportunitatibus, in tribulatione.* Hildefonsus Toletanus de virginitate Dei genitricis cap. 11. *Vnde oro te sancte Angele, per indissecabilem hæreditatem fidei nostræ, per tuæ æternitatis statum, vt des mihi hoc tantumdem nosse de Virgine Matre Domini mei, quod ipse nosti; hoc credere, quod ipse sapis; hoc diligere, quod ipse diligis.* S. Augustinus in Meditationib. cap. 40. *Sancte Michael, sancte Gabriel, sancte Raphael, sancti chori Angelorum, atque Archangelorum, per illum, qui vos elegit, & de cuius contemplatione gaudetis, vos rogare præsumo, vt pro me culpabili Deo supplicare dignemini.*

3. Dicet aliquis contra ea, quæ ex Patribus attuli, Ioannem Apocalyp. 19 dicere, Angelum volenti se adorare, & verè adoranti respondisse: *Vide ne feceris, conseruus tuus sum, Deum adora.* Respondeo, hoc testimonium pro me facere. Ioannes enim adorauit Angelum, ergo & nos possumus adorare; etenim Ioannes non est reprehensus ab Angelo, sed tantùm prohibitus. Causam tradunt hanc Patres: Quia post Christi aduentum, Angeli etiam Christum adorare cœperunt, & ideò noluerunt ipsi adorari. Non tamen sequitur, malè nos facere si illos adoremus; quia modestia illorum non debet nobis esse impedimento. Vnde ipse Ioannes, qui Apocal. 19 audierat illud, tamen Apocal. 22 iterum voluit eundem Angelum adorare.

4. Deinde obiicies canonem 35 Concilij Laodiceni: *Non oportet Christianos derelictâ Ecclesiâ abire, & ad Angelos idololatriæ abominandæ congregationes facere, quæ omnia interdicta sunt.* & statim dicit anathema adoranti Angelos. Sed certè Concilium in illo canone nõ damnat adorationem sanctorum Angelorum, sed malorum, quos aliqui magiæ causâ adorare solebant, vt Tertullianus etiam notat Apol. 23.

5. Ac propterea inde sequitur templa erigi posse, in quibus adorentur Angeli. Neque enim illud Augustini lib. 1. contra Maximum: *Nonne si alicui sancto Angelo excellentissimo de lignis & lapidibus faceremus templum, anathematizaremur à veritate Christi, & ab Ecclesia Dei, quoniam creaturæ exhiberemus eam seruitutem, quæ vni tantùm debetur Deo,* hoc, inquam, non im-

pedit. Etenim Deo fit primariò templum, in quo offertur sacrificium soli Deo, & hoc sensu procedunt verba Augustini: at præter hunc primarium finem, est alius secundarius, nempe veneratio & cultus Angelorum. Itaque inuocandi Angeli pleno ore, vt Iacob inuocauit Genes. 48. & idem Augustinus, quem iam adduxi. & Chrysost. in Liturgia: *Cælestis militis Princeps Michael, rogamus te nunc indigni, vt tuis intercessionibus munias nos.* Iustinianus Imperator in Authentico ita concipit iuramentum eorum, qui ministrationem accipiunt: *Iuro per Deum Omnipotentem, & Filium eius vnigenitum Dominum nostrum Iesum Christum, & Spiritum Sanctum, & per sanctam & gloriosam Dei genitricem semper Virginem Mariam, & per quatuor Euangelia quæ in manibus meis teneo, & per sanctos Archangelos Michaelem & Gabrielem, puram conscientiam, germanumque seruitium me seruiturum sacratissimo Imperatori.* Basilius Imperator in orat. ad Episcopos, qui cum Photio Cõstantinopolitanæ sedis inuasore schisma fecerunt: *Omnes benedictiones pariter Domino gloriæ nostræ, ac Principi pacis & auctori, dispersa congreganti & bene coaptanti; intercessionibus sanctissimæ Dominæ nostræ Dei genitricis, Deum videntium Angelorum, & omnium Sanctorum, Amen.*

6. Constantinus Imperator apud Constantinopolim in vtroque maris Euxini littore, illustrissima duo templa condidit Michaelis Archangeli honori. Iustinianus Imperator eidem Archangelo Michaeli, aliisque sanctis Angelis,

ex magnifica templa à fundamentis erexit, reſctè perſuaſus, ſi hūc alatarum legionum ducem, qui tot potentiſſimos perduelles in cælo vicerat, amicum haberet, bellum facile & fælix ſe cum Vandalis habiturum. Otho tertius Imperator Romanus, vt ait Petrus Damianus in vita S. Romualdi, Romæ in Apuliæ montem Garganum ad ædem S. Michaelis nudis pedibus contendit, idque ſuaſu S. Romualdi, vt crimen paulò antè cōmiſſum hac corporis afflictatione expiaret. Itaque 50 milliaria germanica ambulauit nudis pedibus. Quapropter, vt inquit Bernardus ſerm. 1. de Angelis: *Si tam neceſſariam habemus familiaritatem dignationis Angelicæ, cauenda nobis illorum offenſa, & in his maximè exercendum, quibus eos nouimus oblectari. Sunt enim plurima, quæ his placent, & quæ in nobis inuenire delectat, vt eſt ſobrietas, caſtitas.* Quam ad rèm, exemplum referam Ioannis Carreræ, qui in hiſt. Societatis habetur lib. 11. n. 66. vt videamus cultum, quo velit coli, & promptam voluntatem, qua perfici eius monita. Caſtiſſimus iuuenis inflammato ſemper ſtudio erga tutelarem Angelum ferebatur. Cum hoc tanto erat tamque familiari coniunctus vſu, vt velut intimo cum amico ſua conſilia ſermonesque conferret, ſępe ad eū de rebus ſuis dubiis arduiſq; referret, ſæpe interrogaret, exquireretque conſilium. Denique in eam S. Angeli familiatitatem venerat, vt ab eo quotidie horis antelucanis ad orationem excitaretur è ſomno. Quanquam hanc aliquando conſuetudinem Angelus intermiſit, quod excitatus à ſe, languore victus, non è cubili protinus ſurrexiſſet. Sed ſi hæc culpa fuit,

certe per dies plurimos, occultante se Angelo, pœnas dedit. Cuius præsentiæ desiderio, multis ad Deum placandum precibus ac ieiuniis adhibitis, tandem aliquando quod amiserat recuperauit. Receptum in pristinam familiaritatem Angelus monuit, idcirco suam se occultasse pręsentiam, quod ad orationem se suscitantem non protinus audisset: Deumque ab eo pœnas repetere, vt documentum ei esset in posterum, ne surgendo moras necteret.

7. Iam ad alios Patres, qui inuocandos esse Angelos censent. Rodulphus Ardens in festo Angelorum serm. de Apocalypsi: *Itaque armis fidei & charitatis nos armemus, in orationibus vigilemus, contra tentationes diaboli fortiter dimicemus, super nos eos in auxilium nostrum inuocemus, eorum memoriam veneremur & frequentemus, munditiâ mentis & operum sanctitate eos nobis propitios faciamus, quatenus auxiliis & precibus eorum adiuti, Diabolum superare, & cũ victoribus coronari mereamur.* & in serm. de Euangelio: *Quoniam S. Angeli tantam erga nos habent charitatem, quia sic sunt solliciti nos defendere, nobis bona suggerere, pro nobis orare, pro nostra salute lætari, & Dominum laudare: diligamus & nos, veneremur, deprecemur, & memoriam eorum frequentemus, quatenus precibus & auxiliis eorum mereamur diabolicas insidias deprehendere & eludere.* S. Franciscus præter quadragintadiale ieiunium Ecclesiæ, alios insuper quadraginta dies inediâ se macerauit pro honore & cultu S. Michaelis Archang. Beda in lib. 4. in Cantic. cap. 24. *Sanctorum vel Angelorum, vel hominum*

num crebras pro nobis intercessiones apud misericordiam pij Conditoris quæramus. Magnus Leo ferm. 5. de Epiphania: *Confirmate amicitias cum sanctis Angelis, intrate in ciuitatem Dei, cuius nobis spondetur habitatio, & Patriarchis, Prophetis, Apostolis, Martyribusque sociamini. Vnde illi gaudent, inde gaudete; horum diuitias concupiscite, & per bonam æmulationem ipsorum ambite suffragia.* Damascenus serm. de defunctis: *Ita contingat Domine vitæ dator, intercedente purissimâ matre tuâ, ac venerandis Angelis tuis, atque omnibus sanctis tuis, qui tibi ab orbe condito grati fuerunt.*

8. Absoluo hoc caput positis quibusdam regulis Drexelij, de cultu quo sancti Angeli à nobis colendi sint, ex Augustino, quæ illa dicit auro & cedro scribenda. Prima regula. Quicumque iram in alterum conceptam substrinxerit, & Dei timore oblatam iniuriam obliterarit, votum obtulit iste oleum purissimum. 2. Si quis luxuriæ cœno volutari consueuit, resipiscat tandem, & excutiat sordes suas, vt animo ad Deum secretius clamet: Benignissime Domine, misericordissime Deus, sufficiat hactenus lusisse tecum; hucvsque peccaui, te contempsi, legem tuam abieci, carnis meæ fœtoribus satisfeci: nunc, ô mi Deus, ad te redeo, & voueo nequitiam meam desiturum. Ex his obtulit candidissimam ceram, vtique charissimum munus Angelis. 3. Si quis inuidiâ laboret, ærumnis aliorum exhilaretur, fœlicitate alienâ tabescat, quod est peccatum, inquit Augustinus, vsque ad mortem; promittat & ipse animo actus amoris potiùs, quàm li-

uoris & inuidiæ ſe meditaturum. & iſte votum obtulit, calice aureo donauit Angelos. 4. Si quis iniuriam intulerit alteri, aut etiam cædem fecerit, animum veneno plenum abſtinētiâ cruciet & luctu; nec panem Angelorum tangat, donec ſe Deo læſor ſibi reconciliarit integrè: & hic votum offert, collapſam reſtaurat aram Angeli. 5. Si quis aliorum actiones carpere, ſuas non inſpicere, omnium honori detrahere, maledicos dentes nemini non infigere ſit ſolitus, Deo & Angelis ſic voueat: Hucvſque de aliis dixi, me non inſpexi; ego eram miſerior, & alios miſeros exiſtimabam. ſatis ô mea lingua, ſatis meque aliosque perdidiſti, arctioribus te poſthac vinculis conſtringam, ſeriò laſciuiam tuam emendabo: & hic obtulit votum, grandem ex optimo ære ſtatuam locauit Angelis. 6. Si quis ſe obſeruet eleemoſynæ parcum, in egenis aſperum, in domeſticos tenacem, in omnes iracundum; voueat hic Deo & Angelis manſuetam liberalitatem. Iſte quoque munificum ſoluit votum, ſacrificam ex auro veſtem dedit Angelis. 7. Si quis ſe humanæ laudis percupidum, arrogantem, iactabundum, inſolentem aduertat; voueat is ſubmiſſionem & modeſtiam: periſtromata hic offert & tapetia, Angelorum æſtimatione precioſiſſima. 8. Si quis vino plus æquo indulgeat, & caliculis epotandis ſtudeat; voueat is ſobriam & frugalem menſam: Grande votum obtulit & iſte, aliquot vini veteris vrnas ſacrauit Angelis. 9. Si quis languidum ſe, fractum, & ad exercitia pia eneruum & lentum ſentiat; alacritatem is voueat & ad diuina feruorem: Pre-

ciosum & hic votum obtulit, argénteam, balsamóque ardentem lampadem suspendit Angelis. Hæc sunt vota Augustini, quæ his verbis absoluit: *Et cùm hac omnia feceritis, charissimi, offertis Deo votum placitum, & quasi remuneratis Christum. Et post hac veniet vobis benedictio, & vota vestra offerentur ante tribunal Christi. Putamus, quàm dulce erit, quando vota nostra talia, qualia dixi, Angeli ante conspectum diuinæ Maiestatis obtulerint.*

Angeli orant pro nobis.

CAPVT XVIII.

1. IIdem Patres qui docent inuocandos Angelos, docent proinde ipsos flecti misericorditer, & anxiè pro nobis orare. Principe autem loco adducam Chrysostomum, qui vberrimus est. Is lib. 3. de incomprehensibili Dei natura: καὶ καθάπερ οἱ ἄνθρωποι κλάδους ἐλαιῶν ἀνασείοντες ἐπισείουσι τοῖς βασιλεῦσι, διὰ τοῦ φυτοῦ ἐλαίου αὐτοὺς καὶ φιλανθρωπίας ἀναμιμνήσκοντες· οὕτω δὴ καὶ οἱ ἄγγελοι τότε ἀντὶ κλάδων ἐλαιῶν αὐτὸ τὸ σῶμα τὸ δεσποτικὸν προτεινόμενοι τὸν δεσπότην, παρακαλοῦσιν ὑπὲρ τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως, μονονουχὶ λέγοντες, ὅτι ὑπὲρ τούτων δεόμεθα, οὓς αὐτὸς φθάσας οὕτως ἀγαπῆσαι κατηξίωσας, ὡς τὴν ψυχὴν ἐπιδοῦναι τὴν σαυτοῦ. ὑπὲρ ὧν τὸ αἷμα ἐξέχεας, ὑπὲρ τούτων παρακαλοῦμεν, ὑπὲρ ὧν τὸ σῶμα τοῦτο κατέθυσας: *Itaque vt homines ramos olearum gerentes mouere reges consueuerunt, eoque arboris genere misericordiam commemorant & humanitatem: sic Angeli tunc pro ramis oleaginis corpus Domini ipsum pro-*

tendentes, rogant pro genere humano, quasi dicant: Pro his Domine rogamus, quos tu adeò dilexisti, vt pro eorum salute mortem obires, animam in cruce efflares: pro his supplicamus, pro quibus ipse tuum largitus es sanguinem: pro his oramus, pro quibus corpus hoc immolasti. & orat. 1. de Deprecatione: ἀγγέλων γὰρ ἔργον ἡ προσευχὴ, ὑπεραίρουσα καὶ τὴν ἐκείνων ἀξίαν· ἐπείπερ κρεῖττόν ἐστι τῶν ἀγγέλων ἀξίας τῷ Θεῷ διαλέγεσθαι. ἀλλ' ὅμως ὅτι γε κρεῖττόν ἐστιν, αὐτοὶ διδάσκουσιν ἡμᾶς, σὺν πολλῷ μὲν φόβῳ τὰς εὐχὰς προσφέροντες: *Angelorum est enim precatio, quæ vel eorum superet dignitatem; siquidem cum Deo loqui præstantius quidem est: id tamen ipsi nos docent, qui magno timore preces offerunt.* Hactenus Chrysostomus, à quo priusquam discedam, notandum est in orat. altera de Deprecatione, quam venerabundos constituat Angelos, cùm Deum orãt: vt vel hinc discas reuerentiam diuinæ maiestati impendere. Lege principium alterius orationis in Chrysostomo. Hinc ad alios eo.

2. Anselmus Cantuariensis in Euangeliorum enarratione secundùm Lucam cap. 2. *Offerunt Angeli hostiam secundùm legem, id est, par turturum, aut duos pullos columbarum pro sanctorum populo, vel pro quolibet electo, quem exhibent Deo, cùm merita castitatis eius, quam corpora de corde seruauit; aut patientiæ, quam intus & foris custodiuit, repræsentant Domino.* S. August. in Soliloquiis cap. 27. *Magna cura & vigilanti studio adsunt nobis omnibus horis, & nobis succurrunt, & prouidentes necessitatibus nostris, sollicitè discurrentes inter nos, & te Domine, gemitus nostros & suspiria referentes ad te, vt impetrent nobis faci-*

lem tuæ benignitatis propitiationem, & referant ad nos desideratam tuæ gratiæ benedictionem. Idẽ cum Augustino asserit Richardus Victorinus cap. 5. in Cantica: *Quomodo putamus salutem nostram diligant, quantum nos consortes habere cupiant? Quis æstimat quanta charitate & cura circa commissos sibi vigilent? quomodo torpentes excitent? & sollicitos atque feruentes amplius accendant? quomodo hinc mala excusent, inde bona diuino conspectui repræsentent, quomodo defendant, & gratiam obtineant? Cumque animam magno desiderio feruentem perspexerint, & ad Deum purá intentione suspirantem, quomodo putamus hanc diligant, eique congaudeant, & ad illam diuertant? quomodo inter illam & Deum discurrant?* Anastasius Synaïta lib. 1. Exham. *Supernæ potestates valde & vehementer diligunt, ac protegunt humanum genus, & pro eo orant & intercedunt.* Bernardus serm. in Cant. *Credimus sanctos Angelos astare orantibus, offerre Deo preces & vota hominum, vbi tamen sine ira & disceptatione leuari puras manus perspexerint.* Probatque hoc ex Tobia Petrus Cellensis lib. 1. Mysticæ Explanat. in Tabern. Mosay c. *Cherubim tanquam fratres & amicos honoremus, quorum & patrocinio adiuti, laqueum scandali caueamus, & vehiculo subleuati patriam repetamus.* Carolus Caluus in orat. ante Litaniam: *Peto Domine, vt omnes sancti spiritus, Angeli, Archangeli, Virtutes, Potestates, Principatus, Dominationes, Throni, Cherubim, Seraphin orent pro nobis.* Hinc est vt nos ad orationem hortentur Angeli. S. Nilus de orat. cap. 35. *Scito sanctos Angelos ad oratio-*

nem hortari nos, & nobiscum pariter stare cum lætitia pro nobis orantes: Si igitur negligentes sumus, cogitationesque contrarias admittimus, magnopere eos irritamus, quod ipsi pro nobis tantopere certent, nos verò pro nobis supplicare Deo nolumus, quin potiùs neglecto eorum ministerio, & eorum Domino ac Deo derelicto, cum impuris dæmonibus congressum habeamus.

3. Hinc est vt sancti Angeli orantes Deum protegant. Hinc in vitis sanctorum Pat.lib.3.de duobus iuuenibus qui ad B. Macarium accesserunt, cùm orantes respiceret Macarius, vidisse dæmones plures instar muscarum euolasse in alterum illorum, vt ore atque oculis residerent: sed Angelus Domini romphæâ igneâ armatus, illos circumdabat, & defendebat; atque etiam repellebat eiiciebatque dæmones. Origenes lib. 5. contra Celsum explicat, quid sit Angelos ascendere: *Angelos dicimus ascendere, vt hominum vota precesque ad ea loca perferant, quæ cælestia sunt.* & alio loco hæc specialiùs explicat, sic inquiens: *Nec Angelorum ministeria ad huiusmodi officia desunt. Angeli enim ascendunt & descendunt ad filium hominis; perquirunt, & curiosè agunt, quid in vnoquoque nostrûm inueniat, quid offerant Deo: vident & perscrutantur vniuscuiusque nostrûm mentem, si habeat aliquid tale, si tam sanctum aliquid cogitet, quod Deo mereatur offerri.* S. Augustinus in Soliloq.de Angelis: *Gemitus nostros atque suspiria referunt ad te Domine (scilicet Angeli) vt impetrent nobis facilem tuæ benignitatis propitiationem.* & S. Bernardus serm. de Angelis: *Angeli nostros sudores, non*

suos; nostras lacrymas, non suas offerunt Deo; nobis quoque eius munera referunt.

4. Origenes lib. contra Celsum: *Vnus est nobis placandus Deus vniuersorum Dominus, vnius fauor ambiendus per pietatem virtutesque ceteras. Si vult præter hunc placari etiam alios, cogitet quod sicut moto corpore, vmbra ipsius quoque mouetur: ita cùm aliquis Deum habet* propitium, *sequitur, vt amicos habeat eius Angelos, animas, & spiritus sentiunt qui sunt digni fauore cælestis numinis, quibus non solùm ipsi bene volunt, verumetiã dant operam vt Deum ei seruire volentibus concilient, & vnà nobiscum precentur, vt quotquot eum colimus, audeamus dicere hominibus bonæ voluntatis precantibus vltrò se adiũgere innumera sanctorum Angelorum millia, & intercedere pro mortali nostro genere, & (vt ita loquar) laborare nobiscum in hoc certamine.* Nicolaus Cabasilas lib. de diuino altaris sacrificio, cap. 48. habeturque tom. 4. Biblioth. ait, Angelos totos seipsos nobis præbere ad ferendum auxilium. S. Bonauent. in Soliloquiis: *O anima, si videre posses quanto gaudio Angeli assistunt orantibus, intersunt meditationibus, quanto studio in bono conseruant.* Guilelmus Alcuinus: *Secundum officium Angelorum est interpellare & orare pro nobis. Cui officio quidam addiderunt officium præsentandi orationes nostras, & vota ante Creatorem.*

5. Vixit ætate Serionis Abbatis in monasterio Salinensi monachus quidam sanctæ conuersationis, qui cùm in Missa recitatur; *Supplices te rogamus Omnipotens Deus, iube hæc perferri per manus sancti Angeli tui in sublime altare tuum,*

videbat circum altare complures Angelos, quorum vnus ceteris altior sacram hostiam Deo, tanquam ibidem visibiliter præsenti offerebat; & mox eadem supra altare denuò collocata disparuit. Cum quo consentit S. Anselmus in Elucidar. cùm inquit: *Iusti orant pro his, quos in Domino amauerunt, vel pro his qui eos inuocant, vt à malo seruentur, & à mundi tentamentis liberentur, & si in errore sunt vt corrigantur, & eis celeriter associentur. Desiderium eorum est oratio eorum; quidquid enim desiderant, sine dilatione percipient. Illorum etiam orare est, cruciatus, vel bene gesta pro Christo Deo repræsentare, non tamen aliquid orant, nisi quod Deus disponit facere, alioquin incassum orarent.* Gennadius Scholarius in Exposit. Liturgiæ cap. 34. *Oramus pro bono Angelo non vt tunc nobis detur, sed vt operetur, & suo officio fungatur, nos custodiat, & nos ad vitam diuinam deducat.* Iacobus Vitriacus in Litania maiore: *Dicuntur Angeli Domino orationes nostras offerre, Dominum super orationibus nostris consulere, & nobis orantibus, vt bene agamus, & ad Dominum orationes nostras referamus, suggerere.* P. Guilielmus Aluernus in Thesauro Catholico, lib. 4. art. 4. *Orationibus nostris multùm addunt Angeli sancti*, &c. & explicat hoc, quia impensè nobis fauent orando & precando.

6. Hieremias Constantinopolitanus Responso 1. cap. 21. *Mediatores facimus cum sanctos omnes, tum eximiè Matrem Domini, & cum ea choros Angelorum quoque. Non in præsenti solùm, verùm in futuro dicimus, meditationem quandam fore Angelis & sanctis*, &c. *Ad sanctos Angelos*

exclamamus: Omnes cælestes Potestates sanctorum Angelorum & Archangelorum, orate pro nobis. Hinc illud Tobiæ hærere debet: *Quando orabas cum lachrymis, & sepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium, & mortuos abscondebas per diẽ in domo tua, & nocte sepeliebas, ego obtuli orationem tuam Domino.* & Hieronymus ad cap. 10 Danielis ita ait consentaneè ad Tobiam: *Quod ait Angelus, & ego ingressus sum ad verba tua, hunc habet sensum: Postquam tu cæpisti bonis operibus, & lachrymis, atque ieiunio Dei inuocare misericordiam, & ego accepi occasionem vt ingrederer in conspectu Dei, & orarem pro te.* &c. *Nemo est adiutor meus in hominibus, nisi Michael princeps vester. Ego sum, inquit, Angelus ille, qui offero Deo orationes tuas, & nullus est alius, qui adiutor meus sit rogandi pro vobis Deum, nisi Michael Archangelus, cui creditus est populus Iudæorum.* Vides, vt quod Angelus dixerat loquens cum Tobia, ille alter Angelus Danielis eadem dicat ex explicatione Hieronymi. Hinc Drepanius Florus hymno ad Michaelem Archangelum:

Hunc oculis mentis inter myrteta beatus
Zacharias roseo sidere vidit equo.
Tendentem niueas templa ad cælestia palmas,
Proque Dei affectu plebe rogare pio.

Iam ad alias virtutes pergam, quibus Angeli nostri Custodes insigniores sunt. Et incipio à doctrina, quam nobis instillant.

Angeli pædagogi nostri sunt.

Capvt XIX.

1. ID nominis aſcribo S. Bernardo, qui in Pſalm. *Qui habitat*, ita ait: *Apponis erga eum cor tuum, geris pro eo ſollicitudinem, curam illius habes. & mittis vnigenitum tuum, immittens Spiritum Sanctum, promittens etiam vultum tuum. & ne quid in cæleſtibus vacet ab opere ſollicitudinis noſtræ, beatos illos ſpiritus propter nos mittis in miniſterium, cuſtodiæ deputas noſtræ, noſtros iubes fieri pædagogos.* O ſi intelligeres quã-tum contineant ponderis verba iſta. Et Baſilius cap. 13. de Spiritu Sancto: καὶ ὁ Ἀπόστολος τοίνυν εἰς παιδαγωγοὺς τινὰς ἢ παιδονόμους ἐπιστάντας τοῖς ἀνθρώποις τοὺς ἀγγέλους εἰδὼς, εἰς μαρτυρίαν ἐπεκαλέσατο: *Apoſtolus itaque ſciens Angelos hominibus datos ceu pædagogos quoſpiam ac morum gubernatores, vocauit illos in teſtimonium.* & iterum lib. 3. contra Eunomium: τὸ δὲ συνεῖναι ἑκάστῳ τῶν πιστῶν ἄγγελον, οἷον παιδαγωγόν τινα. καὶ νομέα τὴν ζωὴν διευθύνοντα: *Quod verò ſingulis fidelium adſit Angelus vt pædagogus quidam & paſtor ad vitam dirigendam.* & Chryſoſtomus in epiſt. ad Coloſſenſ. *Angelum habet vnuſquiſque credentium. Si ergo Angelum habemus, ſobrij ſimus tanquam ſi pædagogi quidam nobis adeſſent.* Omitto Athanaſium, qui in lib. de cõmuni eſſentia vocat Angelos pædagogos noſtros: Non verò Gregorium Thaumaturgum, qui in orat. proſphonet. ita ait de Angelo Cuſtode: *Nos verò præter communem omniũ*

gubernatorem, hunc etiam (Angelum Custodem) quisquis est, priuatim pædagogus noster, qui re ipsâ pueri & infantes sumus, qui cùm in ceteris omnibus bonus semper nutritor & curator meus fuerit (nec enim mihi, aut cuiquam ex affinibus meis, qui cæci sumus, & nihil eorum, quæ ante pedes sunt, videmus, vt conueniens aliquid discernere poßimus, sed ipsi omnia ad animæ nostræ vtilitatem prospicienti, quod vtile & bonum est, statim apparet) vt olim me, ita nunc quoque alit, & erudit, ac manu ducit. Quibus non solùm pædagogum, sed etiam nominat nutritium, curatorem, eruditorem, manuductorem; quæ omnia coniuncta cum pædagogo sunt.

2. Et quidē ex Tobia seniore visum recipiēte, & iuniore è faucibus piscis erepto, id facilè probari potest. Quid quod Sara, & tota Raguelis domus ab infesto dæmone est liberata, Loth seruatus ab incendio: Agar & Ismael in solitudine, Dauid in lacu leonum, Elias sub iunipero, pasti sunt ab Angelis. Ad hæc tres pueri in fornace conseruati, Petrus & Ioannes è carceribus educti, Paulus è præsentissimo mortis periculo & naufragio ereptus, ægroti in piscina sanitatem consecuti sunt. Rectè itaque S. Maximus in cap. 5. Cælest. Hierarch. παιδαγωγικῶς χειραγωγοῦσι, *Pædagogi in morem instruunt.*

3. Quod si hæc omnia pædagogorum rationem non æquent, certè æquabunt quæ sequuntur. nam docent, instruunt, atque intellectum illuminant. Raphael docuit Tobiam, quam vim haberet fumus hepatis. Origenes homil. 11. Num. ait eos docuisse omnes linguas, exceptâ Hebraï-

câ. Vnus Angelus docuit Cornelium Centurionem viam ac rationem, qua baptiſmum reciperet; alius docuit tres Magos per quã viam deberent redire in patriam. Athanaſius q. ad Antiochum, ſiue quis alius, ait Angelorum certum eſſe τάξιν διδασκαλικὴν, *ordinem ad docendum comparatum*. & lib. de communi eſſent. vocat illos ἀνθρώπων διδασκάλους, *hominum praeceptores*. Quam ad rẽ ea quę dicta ſunt cõfirmabo exemplo quodam quod Auguſtinus Mannus refert Select. Hiſtor. libro, cap. 405. fuiſſe Romæ quemdam legis peritum, qui ope Angeli ſui ipſe, & tota familia ſua ex inſtanti ruina ereptus eſt. Habitabat hîc confidẽter in domo ſua. Cùm autẽ quadam nocte dormirent omnes, apparuit ei in ſomnis quidam, qui magno ei neceſſitudinis vinculo coniunctus erat. Qui intuens illum, dixit ei: Surge ſtatim ex ſtrato, & dic vxori tuæ, & filiis tuis, & toti familiæ, vt ſurgant, & fugite omnes ex domo iſta, nam breuì futurum eſt, vt ruat, & quotquot inuenerit opprimet, & ſepeliet ſub ruina; & his dictis diſparuit. Ille autem expergefactus, & hoc ſermone vehementiùs territus, ſurrexit dicto citiùs, iuſſitque vt tota familia illius ſurgeret, vt fugere poſſent à domo ruinam comminante. Cùm autem ſumpſiſſet quædam precioſa quæ in ſcrinio habebat, nullâ factâ morâ exiit ex domo cum cognatione ſua. Vix quinquaginta paſſus receſſerant, cùm domus illa à culmine ſoluta magno fragore dilabitur. Et ſic Angeli miniſterio ab imminenti diſcrimine euaſerunt incolumes. Ille enim amicus, qui in ſomnis aſtitit ei, alius quàm Angelus eius eſſe non

potuit, qui cognito periculo (quæ eſt in nos Angelorum cura, beneuolentia, & pædagogia) à certo illo interitu præſeruare voluit.

4. Sed eandem curam Angelorum confirmare volo ex Eccleſiaſtica hiſtoria adducto teſtimonio Euagrij in vitis Patrum in Apollon. cap. 7. Apollonius cùm audiſſet temporibus Iuliani Apoſtatæ fratrem quemdam comprehenſum detineri in carcere (cogebat nimirum impius Iulianus monachos & clericos militare) venit ad eum conſolandi gratiâ, vt moneret eum in neceſſitate tenere conſtantiam, atque imminentia contemnere, ac deridere pericula: tempus enim, ait, certaminis adeſt, in quo fidelium mentes tentationibus probandæ ſunt & noſcendæ. Cũque his & aliis verbis adhortaretur animum adoleſcentis, ſuperuenit Centurio & indignatus, cur introire auſus eſſet, claues intrinſecus carceri impoſuit; ipſum quoque, & omnes, qui cum eo venerant, pariter concluſit; quo ſcilicet etiam ipſi ſimiliter ad militiæ deti[illegible]erentur officium, conſtituens quoque cuſtodes quamplurimos, abſceſſit. Medio autem noctis aſtare viſus eſt Angelus ingenti luce reſplendens, &, obſtupefactis pariterque perterritis cuſtodibus, carceris clauſtra patefecit. Tunc verò ipſi cuſtodes aduoluti ad pedes ſanctorum, cogebant eos diſcedere, dicentes: Melius ſibi eſſe mori pro his, quàm diuinæ virtuti obſiſtere, quæ eorum curam gerebat. Manè etiam ipſe Centurio cum principalibus viris feſtinus ad carcerem venit, rogans, vt diſcederent omnes, qui in carcere erant. Dicebat enim, domum ſuam terræ motu

magno concidiſſe, & electos quoſque famulorum ſuorum interemiſſe. Sancti verò his auditis hymnum Deo laudesque cecinerunt, & egreſſi ad eremum, erant in vnum poſiti, ſecundùm Apoſtolorum exemplum, habentes cor vnum, & animam vnam.

Quæ eſſe maior cura potuit pædagogi ſanctiſſimi & piiſſimi, quàm incluſos in carcere pupillos educere, furente interim perſecutione, & Ægyptum omnem deuaſtante ſub imperatore infideliſſimo? Quid, ſi quis reputet ſecum quæ videt & experitur quotidie? ſæpiùs enim accidit, vt quidam æſtu furentium perturbationum fatigati, veluti fumo inuoluti, cæci væcordiâ, ruant in omne malum; ac tunc ſi Angelus facem extulit ac præmonuit, contineant ſe. Quoties iuuenis libidine inflammatus, repagulis verecundiæ perfractis, ad impudentiam exultat; cùm ſubitò Tutelaris Angeli voce admonitus; Quid agis miſer? quo ruis? ſtatim ſe continet, & eſt ſobrius.

5. Roges, qua ratione Angeli nos illuminent, atque inſtruant, vt verè dici pædagogi queant? Primò, per ſenſus exteriores formando externas voces, quibus nobiſcum loquantur. Hac ratione locuti ſunt cum Abrahamo, Loth, Moyſe, Ioſue, Gedeone, & S. Gabriel cum Virgine Maria, & ſæpe hac ratione in aſſumptis corporibus loquuntur. Deinde, per ſenſus interiores, quia poſſunt in phantaſia hominis excitare viſiones imaginarias, & per eas rem aliquam occultam reuelare, vt accidit cum Prophetis. Quapropter Dionyſius vocat cæleſtes Virtutes ἐκφαντορικὰς,

Diuinorum internuncias, atque *interpretes*. Hoc enim diuino lumine perfuſa hominum mens, videt ſuorum ſcelerum turpitudinem, ſi obſoleuit aliquando in vitiis. Itaque ſunt *μεσῖται καὶ διαιτηταὶ*, *mediatores & arbitri* (ſic enim vocantur à Philone lib. de ſomniis) inter Deum & homines. Quamobrem referam quod accidit in vrbe Caſtellani; quam rem narrat Mannus in Selectis hiſtoriis cap. 405. Quidam ciues ex primariis ciuitatis condixerant, vt ad vicinas ſyluas campeſtres proficiſcerentur per aliquos dies venationis gratiâ feras indagando. Cùm verò profecti venationi operam darent, contigit vt cœlum, quod ſerenum fuerat, inceperit ita nubibus obtegi, vt paulò poſt grandis pluuia ſuper terram caderet. Flabant venti, mugiebant tonitrua, ſcintillabant coruſcationes, ita vt venatores graui procellâ ſub dio agitarentur; & cùm pluuiæ cadentis impetum ferre non poſſent, cum equis & canibus in vicinum collatebroſum ſpecus, quod excauatum erat, ſe receperunt. Cùm autem ibi morarentur, donec tempeſtas miteſceret, vnus ex illis ſenſit cor ſuum formidine repleri, quaſi omnibus ibi commorantibus mors inſtaret. Quamobrem commotione illâ pulſatus proclamauit pluries altâ voce: Fugiamus hinc, recedamus ab hoc ſpecu, ſi mori nolumus. Et quamquã id, quod dicebat, videretur irrationabile, non enim apparebat cauſſa moriendi, tamen omnes trepidi ex ſpecu illo receſſerunt, quamquam imber magis quàm priùs increbeſceret. Vix pedes extra ſpeluncam dimouerant, quando à mugiente nube tremendum fulmen ſuper altum antri

foramen exploditur, ſpelunca fulmine tacta ſtatim corruit, omnes, niſi receſſiſſent, oppreſſura. Illi verò trementes domum reuerſi gratias egerunt Deo liberatori, diemque illum per ſingulos annos recurrentem perpetuo obſeruarunt ad Dei honorem.

6. Hæc ſalus vnde contigit? certè ab Angelo Cuſtode. ita inter omnes illos cõuenit. quìquidẽ Angelus illum hominem per ſenſus interiores excitauit imaginariâ viſione, & formido illa & metus iniectus ab Angelo, vt intelligeret mortem inſtare manentibus in ſpelũca. O quoties id nobis accidit, quoties pigritaris è ſomno ſurgere, cùm intus ſentias aliter fieri debere. Has voces Angelus dat, cui tu obſiſtis.

7. Tertio demum, ideò ſunt pædagogi; quia imbecillos excitant & promouent ad virtutem. Hortantur enim ad bona opera, vt ieiunium, eleemoſynam, & laudem Dei: confirmant, & animum addunt ad progrediendum, afflictos conſolantur: exprobrant peccata, quibus Deum offendimus, & conantur nos abducere ab illis. Magna ſunt hæc omnia. Poteſt enim duobus modis voluntas noſtra excitari & moueri ad appetendum. Primo propoſito obiecto ab intellectu, ad quod fertur voluntas ſub ratione boni appetibilis: ſecundo, quando ab appetitu ſenſitiuo quaſi trahitur & allicitur ad deſiderandum, quod appetitui delectabile & conueniens eſt. Et certè Angeli poſſunt vtroque modo nos permouere, quia poſſunt intellectum noſtrum illuminare, atque adeò proponere voluntati appetendam rem ſub ratione boni: &

excitare varias paſſiones in appetitu ſenſitiuo, quæ voluntatem alliciant ad appetendum. Poſſunt enim per motum localẽ comouere ſpiritus & humores, qui ſunt in appetitu ſenſitiuo, & ita eos temperare vt appetitus afficiatur. Quid ergo mirum, ſi peccatores puniamur à bonis Angelis iuſſu Dei, cùm pædagogus ſoleat pueros plectere? Etenim Sodomitæ, & exercitus Aſſyriorum puniti ſunt à bonis Angelis. Quin à malis quoque, Deo permittente, vt habes Pſalm. 77. *Miſit in eos iram indignationis ſuæ, iram & tribulationem, immiſsiones per Angelos malos.* vbi mali Angeli percuſſerunt malos Ægyptios. tametſi ſint aliqui, qui putent hos Angelos bonos fuiſſe, & non aliter vocari malos, niſi quia malum pœnæ inflixerunt.

Angeli ſunt adminiſtratores belli.

CAPVT XX.

1. ESSE Angelos præſides bellorum probat hiſtoria, quam refert Socrates lib. 7. Hiſt. Eccleſiaſt. cap. 18. ea eſt talis: Τῶν ἐν Κωνσταντινουπόλει ἐν ἀγωνίᾳ ὄντων, καὶ ἐν ἀμφιβολίᾳ τῆς ἐκ τοῦ πολέμου τύχης καθεστώτων, ἄγγελοι θεοῦ περὶ τὴν Βιθυνίαν, τοῖς ἐπὶ τὴν Κωνσταντίνου πόλιν κατ' οἰκείαν χρείαν πορευομένοις ὀφθέντες ἀπαγγέλλειν ἐκέλευον, θαρρεῖν τε καὶ εὔχεσθαι, καὶ πιστεύειν θεῷ, ὡς ῥωμαῖοι νικήσουσιν. αὐτοὶ γὰρ βραβευταὶ τοῦ πολέμου πεπέμφθαι παρὰ θεοῦ ἔφασκον. τοῦτο ἀκουσθὲν, οὐ μόνον τὴν πόλιν ἐπέῤῥωσεν, ἀλλὰ καὶ τοὺς στρατιώτας θαρσαλεωτέρους εἰργάσατο: *Cùm enim Conſtantinopolitani anxio & ſollicito animo eſſent, & propter incer-*

tam belli fortunam ancipiti cura distracti; Angeli Dei in Bithynia nonnullis, quos negotia necessaria Constantinopolim ire cogebant, apparentes, iubent renuntiari Constantinopolitanis vt bono animo sint, precibus se dedant, & firmam in Deo spem ponant, Romanos victores fore. se enim administratores belli à Deo missos dicebant. Quo audito, non solùm ciuitas confirmata fuit, verumetiam militum animi multo ad bellum facti alacriores. In quibus Angeli aiunt se esse τοῦ πολέμου βραβευτάς. Inde sæpe visi Angeli exercitus ducere. Socrates eodē libro cap. 23. ἄγγελος γὰρ θεοῦ ἐν σχήματι ποιμένος, ὁδηγεῖτο Ἄσπαρα, καὶ τοὺς σὺν αὐτῷ, καὶ ἄγει διὰ τῆς παρακειμένης τῇ Ῥαβέννῃ λίμνης. ἐν ταύτῃ γὰρ τῇ πόλει ὁ τύραννος διατρίβων εἶχε τὸν στρατηγὸν, ὅθεν οὐδεὶς οὐδὲ πώποτε διαβεβηκέναι ἱστόρητο. *Nam Angelus Dei in forma & habitu pastoris ducem itineris Aspari se præbuit, & per stagnum Rabennæ adiacens, in ea nāque ciuitate tyrannus commoratus tenuit ducem (Ardaburium) copias suas deduxit, qua via nemo vnquam iter fecisse commemoratur.* & de exercitu Balduini Regis ita Vuillelmus Tyrius lib. 16. *Cùm in alia ineuitabilia Christianorum exercitus incidisset discrimina, vt errarent omnes in inuio, & non in via; & angustiis locorum intercludendi, ab ingruentibus hostibus omnes cædendi essent: præuio ignoto duce, nempe cælesti nuntio, eodemque signifero per alias vias est securè deductus vsque Hierosolymam. Qui & admirabili perfunctus ministerio, ab omnium mox euanuit oculis. Sicque sacratissimæ crucis adminiculo in expeditione omnium periculosissima cum Rege omnis exercitus est diuinâ virtute liberatus.* Vnde

& sæpe militasse visi sunt sancti Angeli. De Cōstantini pugna apud Taurinum, inquit Baron. lib. 3. Annal. *Probauit planè euentus, quod dixerat, Angelorum acies in exercitu militasse.*

2. Sed quid opus est, cùm sciamus Angelos vidisse Abbatem Moysen innumerabiles aduētasse ad auxiliandum sibi contra cateruas dæmonum, sic enim de dæmonibus lib. 6. de vitis Sanctorum Patrum: *Vidit multitudinem dæmonum, & ij erant confusi, & turbantes se ad pugnandum.* & mox respiciens ad Orientem: *Attendit, & vidit innumerabilem multitudinem Angelorum in gloria.* & tunc Moysi sanctus Isidorus dixit: *Qui isti sunt qui missi sunt ad auxiliandum; qui verò ad occasum ascendunt, isti sunt qui impugnant nos; plures ergo qui nobiscum sunt, quàm qui aduersum nos sunt.* Itaque Angeli pugnant pro nobis in lucta spirituali, & terrori sunt hostibus. cuius figura est, Angelus qui processit eques, candidatus, armis aureis coruscus contra hostes, in auxilium Iudæ Machabæi, eumque militibus se sequentibus animum iniecit, vt in hostes leonum more irruerent, parati muros ferreos penetrare. Sub tali duce, quantumcumque paruæ sint copiæ, certissima est victoria. Etenim nos custodiunt, & iuuant in necessitatibus, quod consideranti eorum vires certum erit. Tanta nimirum est eorum potentia naturalis, vt strages populorum rebellium, destructiones vrbium, transportationes montium ab vno loco ad alterum, commotiones terræ, detentio sphærarum cælestium aut factæ legantur, aut fieri potuissent citra vllam fatigationem aut laborem ab Ange-

lis. Cuius rei teſtimonium præbet Senacheribus cuius ſtragem Conſtantinus Manaſſes ita refert, placet interim Scripturam omittere.

Ἄγγελος γὰρ ὑπὸ θεοῦ πεμφθεὶς κατὰ τὴν νύκτα,
Ὤλεσε πάντα τὸν στρατὸν ξίφους συγκόψας ἄνευ,
Εἰς ἑκατὸν τεσσάρων καὶ ἰνδείας ὅλας
Σὺν ἄλλοις ὀγδοήκοντα πρὸς πεντακισχιλίοις.
Ὁ τοίνυν πρὶν ἀγέρωχος, ὁ πρὶν ὑπερφρονούμενος,
Ὡς λαγωὸς ἐγένετο ταχύπους φυγαδίας.:
Angelus enim à Deo noctu miſſus,
Exercitũ omnẽ abſque gladio cõciſum perdidit,
Qui centum & octoginta quinque
Hominum millia continebat.
Itaque is qui prius ſuperbus & elatus erat,
Inſtar leporis pedibus celer & fugitiuus euaſit.

Hiſtoria nota eſt, quam etiam attingit Iuſtinus Martyr in Dialogo cum Tryphone, *καὶ ἄγγελος κυρίου ἀνεῖλεν ἐκ τῆς παρεμβολῆς τῶν Ἀσσυρίων εἰς ἑκατὸν ὀγδοήκοντα πέντε χιλιάδας: Angelus Domini in caſtris Aſſyriorum ad centum & octoginta quinque millia virorum cecidit.* & Cyrillus comment. in Oſeam: *τότε καὶ πεπτώκασιν ἐκ τῆς παρεμβολῆς τῶν Ἀσσυρίων ἑκατὸν ὀγδοήκοντα πέντε χιλιάδες, ἐν μιᾷ νυκτὶ ἀγγέλου χειρὶ δαπανώμεναι: Tunc quoque letho data ex caſtris Aſſyriorum centum octoginta quinque millia vna nocte manu Angeli confecta.* Quam hiſtoriam idem Cyrillus quater aut quinquies attingit.

3. Sed & Nazarius in paneg. de exercitu Angelorum miſſo in auxilium Conſtantino, ita diſertè: *In ore eſt omnium Galliarum exercitus viſos, qui ſe diuinitùs miſſos præferebant. Et quamuis cæleſtia ſub oculos hominum venire non ſoleant,*

quod crassam & caligantem aciem simplex & inconcreta natura tenui substantia eludat; illi tamen auxiliatores tui aspici, audiri patientes, vbi meritum tuum testificati sunt, mortalis visus contagium non refugerunt. Sed quaenam illa dicitur fuisse species, qui vigor corporum, quae amplitudo membrorum, quae alacritas voluntatum. Flagrabant verendum nescio quid vmbones corusci, & caelestium armorum lux terribilis ardebat; tales enim venerant, vt tui crederentur. Haec eorum sermocinatio, hoc inter audientes ferebant; Constantinum petimus, Constantino imus auxilio. Legatur lib. 4 Regum cap. 6, vbi est mira apparitio Angelorum. Recensebo hîc exemplum quod tetigi in superioribus, Antolini viri Hispani, qui quantum valeat pietas & religio in bello, ostendit. Cùm enim Antolinus pius generosusque Christi miles paulisper in Ecclesia prope Germatium posita moraretur, vt precibus suis victoriam de Arabibus hostibus, quam materialibus armis se consequi posse diffidebat, à diuina miseratione posset impetrare, ignominiæ illi ab æmulis tributum est, quod numerosi formidolosique exercitus hostilis aspectu perterritus, Ecclesiam seruandæ vitæ causa pro latibulo quæsiuisset. At Deus euidentibus signis ostendere dignatus est fide pietatéque ducum potiùs, quàm armatorum fortium multitudine parari victorias. Quoniam sub eius specie, visus est Angelus ante alios fortiter præliari, hostes sternere, in fugam vertere, adeò vt victoria ipsi tributa fuerit, cuius & arma diuino miraculo consperfa sanguine cernerentur; cùm tamen ipse non tam iacu-

lis, quàm precibus hostes in veritate superasse crederetur.

4. Bohemæ produnt historiæ, Vvenceslaum huius prouinciæ nationisque Regem, fide Christiana, pietate Catholica, vitæque sanctitate fulgentem, Corinensi Duci regni sui maximo cum exercitu, vt illud popularetur, ingresso, suis armatum stipatumque copiis occurrisse; atque quo vtriusque exercitus cædibus parceretur, hosti suo singulare certamen obtulisse: quod aggredienti, manusque cum hoste conferenti astitêre Angeli, illum protegentes, illíque arma ministrantes. Quo territus ostento atque visu Corinensis Dux ex equo promtè desiliens, concidit ad pedes Vvenceslai, sibi ignosci postulãs, erratíque veniam petens. Quam pius clemensque Princeps misericorditer indulsit, illum mãsuetè & Christianâ charitate exhortans, ne posteà terras alienas furente deprædatione inuaderet.

5. Robertus Monachus scribit in historia sua, Christianos in Oriente pugna sacra contra Saracenos, Arabes, Turcas, Persasque infideles pro terra sancta dimicantes, dum multitudine innumerabili, crudelitate ferocissimâ Corbonæ Persarum ducis exercitui resistere vix amplius possent, propitium, opportunumque ab Angelis auxilium in barbarorum ruinam pro salute sua suscepisse. Qui in formam bene ordinatorum agminum, sub specie albatorum equitum, barbaris contra Christianos furiosè dimicantibus apparentes, tantum illis incussere tremorem, vt trepidatione stuporéque semianimes, conturba-

tóque exercitus ordine, magnis gressibus fugam passibusque maturarent. Quos Christiani persequentes, ex illis equitum centum millia, peditum verò præ multitudine innumerabiles barbaros Christiani nominis hostes infestissimos, vltore diuinæ iustitiæ gladio victoreque necauerunt.

6. Non omittam Alphonsi Henriquez Regis Lusitaniæ pietatem, qui instituit Militantes sub instituto Cisterciensi. Eius verba sunt: *In Dei nomine, sancti Michaelis Archangeli, & S. Angeli Custodis, &c. Cùm in bello signum meum esset captum ab inimicis meis, ego desilij de curru, vt liberarem illud, & cùm in pressura pedibus pugnarem, mirabile visu euenit iuxta me peccatorem; brachium pugnantis & adiuuantis me, armatus quidem secundùm visum meum, & summitatem eius cooperiebat ala tanquam Angeli, corpus autem non videbam, nec aliquis vidit, quãquam multi Maurorum manum vidissent, sicut posteà dixerunt captiui. Cùm ego manum vidi, intra me confortatus insilij in hostes, & ecce cadebant à latere meo mille, & decem millia à dextris meis. Victus est inimicus meus, & collegimus spolia eorũ, & vidimus prostratam in campis Sãctarenæ manum magnam, quæ persecuta fuerat nos: & cantauimus laudem Deo nostro, quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia eius.* Et infrà ait: *Et ne obliuiscamur adiutorium sancti Michaelis, & Angeli mei, de consilio supra dictorum, decreui facere vnum Ordinem & Societatem Militum, qui deferant supra cor Alam purpureã, insignitam auro & fulgore; sicut visum oculis*

meis fuisse illam, quam videram in prælio Hucusque Rex Alphonsus, posteà adhibet conditiones, quas debent seruare Milites huius Societatis, & iurare dum acceperint Alam. Hoc confirmatum est *Era* 1205. *anno scil. Reparationis nostræ* 1167. Vides pietatem insignem Regis erga Archangelũ Michaëlem, & erga Angelũ Custodẽ administratores belli. Ea fuit singularis, & rara.

7. Hinc iam Sanctorum Patrum volumina lege, & videbis quàm anxiè & sollicitè pugnent pro nobis Angeli. Petrus Damianus serm. de S. Michaele Archangelo: *Et attendendum quanta benignitas gratiæ genus humanum in istis administratoriis spiritibus accumulet, quia pugnant pro nobis, vt illud; factũ est præliũ magnũ in cœlo. Vincunt pro nobis, sicut ibidem subiungitur, Nunc facta est victoria.* Chrysost. serm. in Ascensione Domini: *At iterum Iacob, vidi (inquit) castra Angelorum. Sed quorsum castra ac copias super terram vidit? Nam sicut Rex iubet per singulas ciuitates suas milites poni, ne graue aliquod bellum imminens, incursionibus eas infestẽt: ita & Deus, dæmonibus in aëre isto, barbaris atque immanibus semper bella suscitantibus, pacisque inimicis, Angelorum castra opponit, vt dum vel apparent, solùm ipsos reprimant, nobisque pacem perpetuam concilient.* Itaque tota pugna illorum in gratiam nostram fit secundùm Augustinum: *Adiuuant laborantes, protegunt quiescentes, hortantur pugnantes, coronant vincentes, compatiuntur patientibus.*

8. Qua verò ratione pro nobis pugnant Angeli? Primò moraliter, incitant enim ad bonum,

quando diabolus ad malum. Deinde per imperium & potestatem, quando potestate à Deo acceptâ dæmoni imperant, vt desistat ab incepto, aut è loco aliquo certo discedat, ita in Tobia dicitur, *Tunc Raphael Angelus apprehendit dæmonium, & religauit illud in deserto superioris Ægypti.* Tertiò, pugnant physicè per vim & potentiam naturalem, vt quando Angelus depellit dæmonem è suo loco, iniiciendo illi spiritualem impulsum, qui in substantia eius immediatè recipitur; & hoc modo illi Angeli soli possunt efficaciter pugnare, qui sunt naturâ perfectiores dæmone. igitur hoc adiutorio pugnare possumus nos aduersus dæmonem, iuxta Paulum, qui ait, non esse nobis colluctationem aduersus carnem & sanguinem; *sed aduersus principes & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ.* &, vt parati simus, hortatur nos accipere armaturam Dei, vt possimus resistere in die malo, & stare aduersus insidias diaboli. Quæ sanè armatura multiplex est, alia ab internis virtutibus, alia ab externa protectione & custodia Angelorum; nam Angeli instar militum nos in acie tuentur ac defendunt, vt patet ex Genes. 32. *Castra sunt hæc.* & ex 4 Reg. cap. 6. *Mons erat plenus equorum & curruum igneorum in circuitu Elisæi.* Hinc apud Zachariam cap. 3. Angeli vocantur *cornua*, quia pro hominum salute contra dæmonem præliantur. & apud Iobum cap. 25 appellantur *Dei milites*, quia pro honore Dei in Ecclesia militante propugnant validè pro nobis. Milites porrò Dei dicuntur Angeli siue boni, siue mali; nam

per vtroſque Deus, ſuas, ſuorumque vlciſcitur iniurias. per malos, inquam, tanquam per carnifices ſumit à ſontibus ſupplicium.

Angeli excubias agunt circa morituros.

CAPVT XXI.

1. ANGELOS porrò excubias agere circa morituros, & anxiè curare vt animæ ſaluæ fiant (inſtante tunc dæmone, vt abducat) docemur à Baſilio in cap. 8. Eſaiæ prophetæ: ὥσπερ τοῖς ἐπιμεληταῖς τὸ τῶν ἀνθρώπων γένος ἀγγέλοις δέδωκεν ὁ θεὸς εἰς φυλακὴν καὶ σωτηρίαν: *Angelis autem tanquã prouidis tutoribus humani generis eam curam demandauit Deus ad ſalutem & cuſtodiam hominum.* Iulianus Archiepiſcopus Toletanus in opere Prognoſticorum ante omnia orationem ponit, piam admodũ, quam voluiſſem tranſcribere integram, niſi timerem longitudinem. in ea ita ait: *Angelicis morientem me excubiis proteges; vocatum ad te extenſo pietatis gremio conſolare, vt ad te ſine confuſione veniens, videam quæ bona ſunt in Ieruſalem. Iam iam Domine ſatis eſt, quod huc vſque peccatorum tenebris fuſcatus non interij.* Vbi inter alia excubias narrat, quas Angeli faciẽt circa morituros. Tunc enim acerbior hoſtis inſtat, & abſoluitur lis, de qua certatum eſt. Iuſtinus Martyr dialogo cum Tryphone, de eo, qui eſt ad exitũ vitæ, ait, orare Deum, δυνάμενον ἀποστρέψαι πάντα ἀναιδῆ, πονηρὸν ἄγγελον, μὴ λαβέσθαι ἡμῶν τῆς ψυχῆς, *potentem auertere omnem impudentem & malignum Angelum, ne animã*

nostram capiat. O si scires, quàm diligenter prædo incumbat, quàm Angelus diligentior. stultus es, nisi demereri curas, quo tantopere indiges. Quamobrem Petrus Cellensis in exposit. myst. Mosaïci Tabernaculi lib. 1. *Cherubin tanquam fratres & amicos honoremus, quorum & patrocinio adiuti laqueum scandali caueamus, & vehiculo subleuati patriam repetamus.* Sanctus Nicolaus vicinus morti, vidit ad protectionem suã complures Angelos delabi de cælo. Iulianus Pomerius lib. 1. Prognost. cap. 15. *Cùm quidam de collegis & consacerdotibus nostris, infirmitate iam defessus, & de appropinquante morte sollicitus, commeatum sibi precaretur, astitit deprecanti & iam pene morienti iuuenis, honore & maiestate venerabilis, statu excelsus, & clarus aspectu.*

2. Quantum autem Angeli sudent hoc tempore, in quo de summa rerum agitur, fiet palam ex literis annuis Societatis nostræ 1587. Tunc enim contigit in prouincia Mexicana hoc, quod est memoriâ dignum. Cùm quidam ægrotus mortem vehementiùs formidaret, quadam die solus permanens, pulcherrimum iuuenem ante se astare conspexit, qui egregiâ luce circumfusus erat. Is accessit proximus, & vt illi extremum dolorem, quem mortis habebat, ægro mitigare posset, ostendit ei quosdam montes preciosis gemmis & margaritis coruscantes, & auro contectos; super autem montes istos ambulabant mille hominum myriades, lætum & iucundum præse ferentes vultum, & loci illius incredibili amœnitate fruentes. Cùm autem hac ostensâ rerum pulchritudine, ægrum ad pergendum ad

amœnum illum locum incitasset, dixit ei: Hic locus Paradisus est; illi autem, quos tantâ alacritate, atque animi securitate vides huc atque illuc iucundè ambulantes, sunt eorum animæ, qui fidem Christi amplexi sanctè & iustè vixerunt, & in pace mortui sunt: Qua visione recreatus æger, postquam astantibus eam ordinatè recensuit, accensus desiderio accedendi ad illud fœlicissimum regnum, libenter ex hac vita recessit. Quid Angelum mouit ad tam prouidam diligentiam, nisi mœror hominis, quem custodiebat?

3. In speculo exemplorum parte 5. cap. 3. refertur hoc exemplum à fratre Raymundo de Lausanna, quod in conuentu Aniciensi frater Gulielmus nomine & sacerdos, quod post extremam vnctionem fuisset super cineres positus, quasi de graui somno euigilans, manum dextram eleuans tersit oculos suos, & toto præsente conuentu, ait. Gaudete fratres, quia gaudium est in cælis, & vos omnes eritis in gaudio illo. Ecce totus chorus plenus est Angelis, qui vos exspectāt. & conuersus ad Priorem dixit: Numquid non vidisti Angelum, qui dedit mihi osculum pacis? Ecce Angelus osculum pacis dat morituro in signum æternæ beneuolentiæ, quam habiturus est cum viro, quem sibi Dominus commendauit.

4. Quantum exoptasses Angeli osculum in illa hora formidinis plena? Porro quàm formidolosa sit illa hora, docet te multorum, qui occubuerunt pleni timore, & anxij, quo irent nescij. Docet etiam Damianus, qui lib. 7. epist. in

epist 19. ad Blancam Comitissam, ita ait: *Adest prætereà hîc horrenda dæmonum turba, illinc virtus Angelica: in illo, qui medius est, liquido deprehenditur, cui parti iure possessio vindicetur. Nam si pietatis in eo videntur insignia, inuitationis Angelicæ blanditiis oblinitur, atque harmonicæ melodiæ dulcedine, vt exeat, prouocatur: quod si eum sinistræ parti meritorũ nigredo, & fœditatis squallor adiudicet, intolerabili mox terrore concutitur, repentini impetus violentia perturbatur, præcipitanter inuaditur; ac de miseræ carnis ergastulo violenter euellitur, vt ad æterna supplicia iam cum amaritudine pertrahatur. Iam verò post egreßionem è corpore quis explicare valeat, quot armatæ iniquorum spirituum acies in insidiis latent, quot frementes cunei feralibus telis instructi iter obsideant; & ne transire libera poßit animæ, velut militari more constipatæ legiones, oppugnant.* Hactenus ille. Quæ verba, timore plena, formidinem incutiunt cuiuis nescienti quam in partem inclinet.

5. Non est autem æquum prætermittere vnum è nostris sociis Guillelmum Elfinsthonium qui afflictatus ægritudine, opem omnem in Custode Angelo adinuenit, cuius rei tibi testem profero Hieronymum Plati Nostrum de bono status Religiosi lib. 5. cap. 31. vbi sic ait. Guillielmus Elfinsthonius, patria Scotus, sanguine, & ingenio, & virtute admodum nobilis, cùm pene adolescens nondum integro mense postquam in Societatem nostram admissus esset in lethalem febrim incidisset, incredibilem semper alacritatem, & verbis, & vultu, & factis ipsis præsetulit,

cum satiari non posset gratiis Deo agendis quod in Religione moreretur. Extremo autem ferme spiritu cùm fratres in cubiculum confertimq; introeuntes videret, in hanc ipsam vocem erupit. *O gloriosam inquit mortem tot Angelorum agminibus constipatam.* Quin etiam ingenti atque insolito elatus gaudio *Non videtis*, inquit, *non videtis Angelos*, simulque Angelum suum Custodem compellans, aliquandiu cum eo ita loquutus est, quasi eum oculis aspiceret, à quo sibi deinde denuntiatum narrauit, se per purgatorij quidem loca transiturum, sed celerrimè euolaturum. Quærente autem nescio quo, qua specie, & qua forma is Angelus esset, adolescentem quendam, qui tunc aderat indicauit, cui simillimum esse dixit. Mox etiam dulcedine quadam, mistoque feruore ita completa est eius anima, vt corpus ipsum licèt grauitate morbi, & mortis propinquitate fractum, aliquandiu tamen insolitis motibus super lectulum, quasi exiliens, & gestiens agitaretur cum omnium admiratione, qui numquam simile aliquid viderant. Simul etiam oculos retro post ceruical cum magna quadam exultatione reflectens, ac nescio quæ, quæ à nullo percipi potuere, submurmurans, indicabat se aliquid ibi spectare quo maiorem in modum oblectaretur. Inter quæ gaudia repente consistens tamquam placidissimo somno consopitus spiritum exhalauit. Quid tali morte felicius, vel optabilius, aut quis sit qui non multo hanc mortem malit, quàm eas, quæ in magnis palatiis sub auratis conopœis in purpura, & serico inter famulorum greges obiri à satrapis solent?

6. De puero quodam in ordinem Prædicatorum admiſſo ita ait Cantipratenſis lib. 2. cap. 57. num. 12. cui præceptum eſt à ſuperiore vt nihil ſine licentia ageret: Hoc quidem etſi in pluribus obſeruauit, contigit tamen vt lotrici ſuæ tunicam veterem ſine licentia daret. Poſt hoc autem cæpit grauiter infirmari, & acuta febri laborans, ſine confeſſione, ſine viatico, vt ei videbatur, ad extrema perductus eſt. Nec mora, vbi dæmones eum rapere voluerunt, affuit Angelus cum miro nitore pēnarum, dicens: Fili, ne timeas, Michaël Archangelus ego ſum, te contra dæmones defenſabo. Secedentibus ergo ceteris, vnus dæmonum cauillatior aliis, tridente animam rapere conabatur, quem Michael graui animaduerſione corripiens effugauit. Nec mora. Michael animam ad Paradiſi ianuam introducere voluit. Sed vir grandæuus, & magnæ authoritatis reſiſtere viſus eſt, dicens: Animam Michael reduces ad corpus, vt cum aliis peccatis, præcipuè inobedientiam corrigat. Statim igitur anima reducta ad corpus, adoleſcens ſe critico ſudore perfuſum inuenit, & oculos aperiens Priorem ante ſe ſedentem vidit, cui mox confeſſus quid vidiſſet, expoſuit. Hunc poſt ſtudia literarum oportunè fratrem indutum, & in ſacerdotem promotum vidimus, qui ſuæ poſteà genti fidem exponens Comanorum populum non modicum baptizauit.

7. Aliud verò exemplum de cura quam Angeli habent circa morientem narrat Cantipratenſ. lib. 2. cap. 4. num. 8. quod ſubiungo. Camera B. Mariæ monaſterium eſt Monialium

[illegible] morte [illegible] de [illegible] 1 Mo- [illegible] cef- [illegible] est, [illegible] cæle- [illegible] Manc ergo inuento [illegible] quod in exitu sancti vi- [illegible] exercitus tantis tripudiis exulta- [illegible]

8. Quapropter Angelus Custos tibi in pretio [illegible], qui in hora mortis non te derelinquit, quia [illegible] diabolus acerrimè in animam nostram sæ- [illegible], & nititur validè, vt victoriam vel ex vltimo hoc conflictu reportet, iuxta illud Ioan. in Apo- cal. 12. *Descendit ad nos diabolus habens* [illegible] *magnam, sciens quia modicum tempus* [illegible] Angelus autem (inquit Albertinus) [illegible] [illegible] tartareo hosti pro nobis [illegible] [illegible] forsassis animam [illegible] [illegible] sedulo ad [illegible]

mortis, acerbiſſimè contriſtatur, vt odium peccati ab ea perpetrati explicet, pro conuerſione ipſius orando, donec apprehenſa pœnitentiæ diſciplina Diuinæ Maieſtatis iracundiam mitigarit. Atque hoc inſinuare videtur Eccleſiaſticus 18. *Ibit homo in domum æternitatis ſuæ, & circumibunt in platea plangentes*: quem locum Lorinus exponit de Angelis, maximè fauente lectione Chaldaicâ, in qua habetur, *Circundabunt Angeli inquiſitores iudicij tui lamentantes.* Petrus Cluniacenſ. lib. de miraculis cap. 19. de Eppone iam morituro narrat Angelum Domini manus in ſublime porrigentem locum ſignaſſe ſanctiſſima cruce, vbi mortuus iacebat, qui locus erat vnius corporis capax, ad hoc aptatus, vt fratres ibidem in cinere & cilicio compoſiti, extremum Deo inde ſpiritum reddant. Et cùm iam Eppo eſſet moriturus, incredibilis turba dæmonum bacchabatur, quos beatus Petrus Apoſtolus veluti latrunculos quoſdam effugauit, vnàq. cum illo coniunctus eſt Angelus, qui locum poſteà ſignauit. At verò ſi Angeli in tempeſtate illa propinquæ mortis animam bene diſpoſitam & quietam inuenerint, vtique lætan[illegible]
inuicem ſibi congratulantur [illegible] ſcrip[illegible]
ſtat de S. Ioanne Canon[illegible] ari[illegible]
duo [illegible] mortem incr[illegible]
acc[illegible] b Angelis, [illegible]
ct[illegible] pite ama[illegible]
[illegible] Tolent[illegible]
[illegible] audiui[illegible]
[illegible] ptate[illegible]
[illegible] Syru[illegible]

li inducit Deum inuitantem hos ad se: *Venite filij mei dilectissimi, venite ad me. Dilatetur numerus vester. in me, & in thalamo immortalis sponsi magnificentur chori vestri cum Angelis sanctis.* Quæ inuitatio plena amoris & beneuolētiæ nos trahere debet exultantes & alacres.

Ab Angelis mos psallendi.

CAPVT XXII.

1. IN primis notanda versio Arabica. vbi enim in Isaïa cap. 6 legitur, *Et clamabant alter ad alterum, & dicebant: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum*; Arabes habent in versione sua disagion, non trisagion, *clamabant Sanctus, Sanctus*, vt significent eos alternis cantasse per modum chori, non quòd negent trisagion. Nam hæc verba *alter ad alterū*, significant eos ἀντιφώνως, id est, alternis vocibus cantasse, vt fit in choro psallentium. Hinc Nazianzenus in Iambicis dixit, ἀντίφωνον ἀγγέλων στάσιν: *Angelorum alternis canentium.* Vnde Damascenus tract. de Trisagio docet, ab his Seraphinis Ecclesiam didicisse chorum, id est, modum alternis cantandi & psallendi. Sic & S. Ignatius Martyr teste Socrate lib. 6. cap. 8. λεκτέον δὲ καὶ ὅθεν τὴν ἀρχὴν ἔλαβεν ἡ κατὰ τοὺς ἀντιφώνους ὕμνους ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ συνήθεια. Ἰγνάτιος Ἀντιοχείας τῆς Συρίας τρίτος ἀπὸ τοῦ ἀποστόλου Πέτρου ἐπίσκοπος, ὃς καὶ τοῖς ἀποστόλοις αὐτοῖς συνδιέτριψεν, ὀπτασίαν εἶδεν ἀγγέλων, διὰ τῶν ἀντιφώνων ὕμνων τὴν ἁγίαν τριάδα ὑμνούντων. καὶ τὸν τρόπον τοῦ ὁράματος, τῇ ἐν Ἀντιοχείᾳ ἐκκλησίᾳ παρέ-

δωκεν. ὅθεν καὶ ἐν πάσαις ταῖς ἐκκλησίαις αὕτη παράδοσις ἐδόθη: *Iam verò dicamus, vnde consuetudo hymnorum, qui in Ecclesia alternis decantantur, initium cœperit. Ignatius Antiochiæ, quæ est in Syria, tertius à Petro Apostolo Episcopus, qui cum Apostolis ipsis multùm versatus est, visionem vidit Angelorum Sanctam Trinitatem hymnis alterna vice decantatis collaudantium: & formam canendi in ea visione expressam Ecclesiæ Antiochenæ tradidit. Vnde illa traditio in omnibus Ecclesiis recepta est.* Et Nicephorus lib. 13. cap. 8. eandem historiam scripsit, atque inde vt omittam Græca, Latina sic habent: *Morem autem antiphonorum, hoc est, alternis per responsionem carminum concinendorum, Ecclesia iam inde ab Apostolis accepit. Diuinum namque Ignatium, qui tertius in Ecclesia Antiochena à Petro Apostolo Hierarcha fuit, & cum Apostolis omnibus plurimo tempore vixit, cùm per ectasim animi consternatus esset, visionem nouam vidisse ferunt: sanctos scilicet Angelos alternis, & sibi inuicem respondentibus carminibus Sanctam Trinitatem hymnis & laudibus modulantes. & ipse primus hanc concinendi formam Antiochenorum Ecclesiæ dedit. vnde quasi à fonte in alias ecclesias Dei omnes eiusmodi consuetudo est propagata.* Chrysostomus Henriquez in vita S. Bernardi cap. 32. sic ait: *Celebrabantur aliquando solemnes vigiliæ, & Vir Domini cum ceteris fratribus aderat: cumque hymnus* Te Deum laudamus *cantaretur, vidit sanctos Angelos multâ claritate fulgentes, mirâ etiam vultus alacritate deuotos, qui vtrumque chorum percurrentes, modò hunc, modò illum excitabant, cantantibus*

aderant, & quasi congratulantes adstabant, & vt diuinus ille hymnus cum deuotione percantaretur, modis omnibus elaborare satagebant. In Chronica Franciscana legitur de S. Francisco: *Nocte quadam vigilante ipso, & meditante de Domino repentè sonuit cytharæ quædam harmonia mirabilis, & suauissimæ melodiæ, & tantâ fuit in illo dulcissimo carmine voluptate perfusus, vt aliud se putaret seculum cõmutasse.* Laurent. Iustinianus de monast. disciplina cap. 17. *Discurrunt inter illos* (orantes & psallentes) *comprimũt etiam immundorum spirituum impetus, nec eos sæuire patiuntur tanquam fideles custodes, nunc ascendunt, nunc descendunt, semper ad illorum profectus vbique verò alacres sunt, vbique festiui, vbique solliciti, ne diuina interrumpatur laus, ne cælesti a cantica maculentur.*

2. Itaque psalmodia est opus cæleste & angelicum, vt meritò Dauid dixerit, *In conspectu Angelorum psallam tibi,* quasi diceret, Sumam officium Angelorum, coram Angelis, & cum Angelis psallam tibi. Procopius sanè in Isaiã cap. 6. προηγουμένη γὰρ αὐταῖς (δυνάμεσι) καὶ κατὰ φύσιν ἐστὶ ζωὴ τῷ τοῦ θεοῦ κάλλει ἐνατενίζειν ἀεὶ. καὶ διηνεκῶς δοξάζειν αὐτόν: *Primaria enim illis* (virtutibus) *& naturalis vita est, in Dei pulchritudinem semper aciem intendere, eumque perpetuò celebrare.* Vnde notat Cyrillus, Seraphinos alternis accinuisse *Sanctus,* non quòd canendo defatigarentur, sed quia sibiipsis mutuum hunc honorem tribuunt; omnia enim cælestia ordinata sunt & cõcinna. Maximè verò id fecerunt, vt homines docerent in choro alternis psallere, itáque continuò & con-

cinnè laudare Deum, ac se mutuo omnesque homines ad Dei laudem excitare. Vnde Laurent. Iustinian. de instit. & regimine prælatorũ: *O chara beatorum societas, nunquam fatigaris in laude, sed semper alacris, semper suspensa, semper in laudandi desiderio perseuerans.* Et S. August in psalm. 83. *Hoc erit totum negotium nostrum sine defectu, Alleluya: non vobis, fratres, videatur quasi fastidium ibi futurum, quia si modo hoc diu dicatis, non duratis, ab illo gaudio necessitas vos auertit. Securi ergo sumus fratres, non cor saturabit nisi laus Dei, amor Dei; si deficias ab amore, deficies à laude: sin autem amor sempiternus erit, quia illa incessabilis pulchritudo erit, noli timere, ne non possis semper laudare, quẽ poteris semper amare.* Loquitur de gaudio illo, quod cum Angelis sumus habituri in cælo, quod quia interminabile est, gaudium quoque erit interminabile. Vnde Origenes in ea verba Iob, *Venerunt filij Dei vt starent ante Dominum*, sic ait: *Opus & studium sanctorum Angelorum est, vt assiduè cælestem Dominum laudent, æterno Deo gratias agant, Sancto Deo indesinenter gloriam pro beneficiis eius deferant, pro gratia eius, pro misericordia eius, quæ impertit generi humano in omni hora, in omni tempore plurima, & magna, & diuersa.* & S. Thomas in Opusc. 63. *Ibi anima gratulatur Diuinæ Sapientiæ, quæ singulis creaturis conuenientissimè singula dona reddidit, & distribuit; quod pro singulis donis Angelorum & Sanctorum vberiores gratias reddit, quàm si ipsa sola accepisset, & potiùs singula dona esse vult in singulis, quàm in se sola: sicut nemo in aliqua parte*

corporis membrorum, aliud eſſe vellet, quàm Diuina Sapientia ordinauit; quamuis ex ea parte, quæ bonum proprium naturaliter magis appetit, quàm aliorum, potiùs vellet omnia ſe habere, quam alios; ſed vbi gratia ſuperat naturam, fidelis anima diuinam ordinationem magis quàm propriam vtilitatem amplectitur. Et in eodem Opuſculo de Angelis dicit: *Omnes Sancti & Angeli concorditer Deum laudant, & tamen diſsimiliter; ſicut etiam differunt in cognitione, & amore, ita etiam in laude.* & Baſilius de Pœnitent. ἀγγέλοις ἔργον δοξολογεῖν τὸν Θεόν: *Angelorum munus eſt Deum ornare laudibus.*

3. Et quidem pſallentes Angelos multi viderunt, multi audiuerunt harmoniam i lam cæleſtem, concinnam, & diuinam, & in variis tractatus huius locis animaduertes, de his qui in cælum rapti ſunt, qui mortui, & cum tripudio illorum aſcenderunt ad beatas illas ſedes, diuináque domicilia, de quibus vide ſuis locis. Nunc autem placet de cantu illo, quem inſtituerunt nato Chriſto, paucis diſſerere ex Gillibert. ſerm.12.in Cant. *Natum paſtoribus Angelus nuntiat, imò & ipſis Angelis non tantùm paſtoribus videtur Angelus nuntiare. vnus prædicat, alij applaudunt. Facta eſt cum Angelo multitudo cæleſtis exercitus laudantium, & dicentium; Gloria in altiſſimis Deo. Vnus annuntiat, quod alii æquè notant, & tamen quaſi nouum & recens audiunt, quod illis ignotum eſſe non poterat.* Lucæ omninò inſtitit. Quale autem gaudium & tripudium, choreas & cantus ducant ſingulis annis in nocte Natiuitatis, dixi alio loco. Hîc aduerte hiſtoriã

Casinensem lib. 3. cap. 37. *Nocte quadam cùm frater Georgius Mansionarius in stratu suo vigilaret, audiuit duos in Ecclesia pueros mira suauitate, dulcique modulatione referre laudes Deo. Sciens itaque pro certo neminem esse monachorum intra monasterium, qui puerilem haberet vocem, confestim surgens Ecclesiam ingreditur: nullumque reperiens, manè facto, quid audisset fratribus per ordinem pandit. Illi Angelorum frequentiam ad B. Benedicti corpus laudes Deo cecinisse dixerunt.*

4. Nunc placitum dare ex Cassiano li. 2. Instit. cap. 5. cantum cælestem, qui ab Angelo cantatus est in insigni illa controuersia quam habuerunt monachi, vbi cùm quis diceret quod sentiebat, ad extremum, ait: *Vnus in medium psalmos Domino cantaturus exsurgit. Cumque sedentibus cunctis (vt est moris nunc vsque in Ægypti partibus) & in psallentis verba omni cordis intentione defixis, vndecim psalmos orationum interiectione defixos contiguis versibus parili pronuntiatione cantasset, duodecimum sub Alleluya responsione consummans, ab vniuersorum oculis repentè subtractus quæstioni pariter & cæremoniis finem imposuit. Exhinc venerabilis Patrum Senatus intelligens Angeli magisterio congregationibus fratrum generalem canonem non sine dispensatione Domini constitutum, decreuit hunc numerum tam in vespertinis quàm nocturnis conuenticulis custodiri.* Ex his intelligimus (inquit Gazæus) Angelum illum duo documenta hoc suo facto Patribus reliquisse; primum, vt duodecim psalmos tam in vesperis, quàm in nocturnis officiis decantarent; Secundum, vt stantes, & erecti psal-

amœnum illum locum incitasset, dixit ei: Hic locus Paradisus est; illi autem, quos tantâ alacritate, atque animi securitate vides huc atque illuc iucundè ambulantes, sunt eorum animæ, qui fidem Christi amplexi sanctè & iustè vixerunt, & in pace mortui sunt: Qua visione recreatus æger, postquam astantibus eam ordinatè recensuit, accensus desiderio accedendi ad illud fœlicissimum regnum, libenter ex hac vita recessit. Quid Angelum mouit ad tam prouidam diligentiam, nisi mœror hominis, quem custodiebat?

3. In speculo exemplorum parte 5. cap. 3. refertur hoc exemplum à fratre Raymundo de Lausanna, quod in conuentu Aniciensi frater Gulielmus nomine & sacerdos, quod post extremam vnctionem fuisset super cineres positus, quasi de graui somno euigilans, manum dextram eleuans tersit oculos suos, & toto præsente conuentu, ait. Gaudete fratres, quia gaudium est in cælis, & vos omnes eritis in gaudio illo. Ecce totus chorus plenus est Angelis, qui vos exspectãt. & conuersus ad Priorem dixit: Numquid non vidisti Angelum, qui dedit mihi osculum pacis? Ecce Angelus osculum pacis dat morituro in signum æternæ beneuolentiæ, quam habiturus est cum viro, quem sibi Dominus commendauit.

4. Quantum exoptasses Angeli osculum in illa hora formidinis plena? Porro quàm formidolosa sit illa hora, docet te multorum, qui occubuerunt pleni timore, & anxij, quo irent nescij. Docet etiam Damianus, qui lib. 7. epist. in

epist. 19. ad Blancam Comitissam, ita ait: *Adest praetereà hîc horrenda dæmonum turba, illinc virtus Angelica: in illo, qui medius est, liquido deprehenditur, cui parti iure possessio vindicetur. Nam si pietatis in eo videntur insignia, inuitationis Angelicæ blanditiis oblinitur, atque harmonicæ melodiæ dulcedine, vt exeat, prouocatur: quod si eum sinistræ parti meritorū nigredo, & fœditatis squallor adiudicet, intolerabili mox terrore concutitur, repentini impetus violentia perturbatur, præcipitanter inuaditur; ac de miseræ carnis ergastulo violenter euellitur, vt ad æterna supplicia iam cum amaritudine pertrahatur. Iam verò post egreßionem è corpore quis explicare valeat, quot armatæ iniquorum spirituum acies in insidiis latent, quot frementes cunei feralibus telis instructi iter obsideant; & ne transire libera poßit animæ, velut militari more constipatæ legiones, oppugnant.* Hactenus ille. Quæ verba, timore plena, formidinem incutiunt cuiuis nescienti quam in partem inclinet.

5. Non est autem æquum prætermittere vnum è nostris sociis Guillelmum Elfinsthonium qui afflictatus ægritudine, opem omnem in Custode Angelo adinuenit, cuius rei tibi testem profero Hieronymum Plati Nostrum de bono status Religiosi lib. 5. cap. 31. vbi sic ait. Guillielmus Elfinsthonius, patria Scotus, sanguine, & ingenio, & virtute admodum nobilis, cùm pene adolescens nondum integro mense postquam in Societatem nostram admissus esset in lethalem febrim incidisset, incredibilem semper alacritatem, & verbis, & vultu, & factis ipsis præsetulit,

cum satiari non posset gratiis Deo agendis quod in Religione moreretur. Extremo autem ferme spiritu cùm fratres in cubiculum confertim introeuntes videret, in hanc ipsam vocem erupit. *O gloriosam inquit mortem tot Angelorum agminibus constipatam*. Quin etiam ingenti atque insolito elatus gaudio *Non videtis*, inquit, *non videtis Angelos*, simulque Angelum suum Custodem compellans, aliquandiu cum eo ita loquutus est, quasi eum oculis aspiceret, à quo sibi deinde denuntiatum narrauit, se per purgatorij quidem loca transiturum, sed celerrimè euolaturum. Quærente autem nescio quo, qua specie, & qua forma is Angelus esset, adolescentem quendam, qui tunc aderat indicauit, cui simillimum esse dixit. Mox etiam dulcedine quadam, mistoque feruore ita completa est eius anima, vt corpus ipsum licèt grauitate morbi, & mortis propinquitate fractum, aliquandiu tamen insolitis motibus super lectulum, quasi exiliens, & gestiens agitaretur cum omnium admiratione, qui numquam simile aliquid viderant. Simul etiam oculos retro post ceruical cum magna quadam exultatione reflectens, ac nescio quæ, quæ à nullo percipi potuere, submurmurans, indicabat se aliquid ibi spectare quo maiorem in modum oblectaretur. Inter quæ gaudia repente consistens tamquam placidissimo somno consopitus spiritum exhalauit. Quid tali morte felicius, vel optabilius, aut quis sit qui non multo hanc mortem malit, quàm eas, quæ in magnis palatiis sub auratis conopœis in purpura, & serico inter famulorum greges obiri à satrapis solent?

6. De puero quodam in ordinem Prædicatorum admiſſo ita ait Cantipratenſis lib. 2. cap. 57. num. 12. cui præceptum eſt à ſuperiore vt nihil ſine licentia ageret: Hoc quidem etſi in pluribus obſeruauit, contigit tamen vt lotrici ſuæ tunicam veterem ſine licentia daret. Poſt hoc autem cæpit grauiter infirmari, & acuta febri laborans, ſine confeſſione, ſine viatico, vt ei videbatur, ad extrema perductus eſt. Nec mora, vbi dæmones cum rapere voluerunt, affuit Angelus cum miro nitore pẽnarum, dicens: Fili, ne timeas, Michaël Archangelus ego ſum, te contra dæmones defenſabo. Secedentibus ergo ceteris, vnus dæmonum cauillatior aliis, tridente animam rapere conabatur, quem Michael graui animaduerſione corripiens effugauit. Nec mora. Michael animam ad Paradiſi ianuam introducere voluit. Sed vir grandæuus, & magnæ authoritatis reſiſtere viſus eſt, dicens: Animam Michael reduces ad corpus, vt cum aliis peccatis, præcipuè inobedientiam corrigat. Statim igitur anima reducta ad corpus, adoleſcens ſe critico ſudore perfuſum inuenit, & oculos aperiens Priorem ante ſe ſedentem vidit, cui mox confeſſus quid vidiſſet, expoſuit. Hunc poſt ſtudia literarum oportunè fratrem indutum, & in ſacerdotem promotum vidimus, qui ſuæ poſteà genti fidem exponens Comanorum populum non modicum baptizauit.

7. Aliud verò exemplum de cura quam Angeli habent circa morientem narrat Cantipratenſ. lib. 2. cap. 4. num. 8. quod ſubiungo. Camera B. Mariæ monaſterium eſt Monialium

Cisterciensis Ordinis in Brabantia iuxta Bruxellam. In hoc loco Capellanus erat Godefridus nomine deuotus, nimium dilectissimus mihi, & notus valdè. Hic diro rupturæ & viscerum cruciatu annis ferè quatuordecim tribulatus, nunquam tamen à prædicatione, & hominum salute quiescebat. Contigit ergo, vt ipso morte subitâ ante noctem mediam intercepto, melodia, & cantus mirabilis Angelorum, quasi de loco prope Ecclesiam audiretur. Quo cantu attonitus vigil mirabatur, quòd conuentus tempestiuius solito surrexisset, & cuius esset solemnitas sancti, quam feriata nocte tam insolitis vocibus & concentibus efferebat? Non enim suspicari poterat aliunde esse cantum, nisi à Monialibus intra chorum. Vbi ergo cantus ille cessauit, horologium cecidit, campana pulsata est, & sic vigil primo cognouit, quia cantus cælestium, non monialium fuit. Manè ergo inuento mortuo omnibus patuit, quod in exitu sancti viri Angelorum exercitus tantis tripudiis exultauit.

8. Quapropter Angelus Custos tibi in pretio sit, qui in hora mortis non te derelinquit, quia tunc diabolus acerrimè in animam nostram sæuit, & nititur validè, vt victoriam vel ex vltimo hoc conflictu reportet, iuxta illud Ioan. in Apocal. 12. *Descendit ad nos diabolus habens iram magnam, sciens quia modicum tempus habet.* Angelus autem (inquit Albertinus) generosissimo pectore tartareo hosti pro nobis contra stat, etsi aduertat fortassis animam curæ suæ commissam peccato seduci ad tenebras & vmbram

mortis,

mortis, acerbiſſimè contriſtatur, vt odium peccati ab ea perpetrati explicet, pro conuerſione ipſius orando, donec apprehenſa pœnitentiæ diſciplina Diuinæ Maieſtatis iracundiam mitigarit. Atque hoc inſinuare videtur Eccleſiaſticus 18. *Ibit homo in domum æternitatis ſuæ, & circumibunt in plateis plangentes*: quem locum Lorinus exponit de Angelis, maximè fauente lectione Chaldaicâ, in qua habetur, *Circundabunt Angeli inquiſitores iudicij tui lamentantes*. Petrus Cluniacenſ. lib. de miraculis cap. 19. de Eppone iam morituro narrat Angelum Domini manus in ſublime porrigentem locum ſignaſſe ſanctiſſima cruce, vbi mortuus iacebat, qui locus erat vnius corporis capax, ad hoc aptatus, vt fratres ibidem in cinere & cilicio compoſiti, extremum Deo inde ſpiritum reddant. Et cùm iam Eppo eſſet moriturus, incredibilis turba dæmonum bacchabatur, quos beatus Petrus Apoſtolus veluti latrunculos quoſdam effugauit, vnàq. cum illo coniunctus eſt Angelus, qui locum poſteà ſignauit. At verò ſi Angeli in tempeſtate illa propinquæ mortis animam bene diſpoſitam & quietam inuenerint, vtique lætantur, & inuicem ſibi congratulantur. Vnde ſcriptum exſtat de S. Ioanne Canonico Regulari eum triduo ante mortem incredibilem conſolationem accepiſſe ab Angelis, quos ſublatis oculis, detectóque capite amabiliter ſalutabat. Et ſanctus Nicolaus Tolentinus ſex menſibus ante mortem ſuam audiuit concentum Angelorum, ex eóque voluptatem hauſit longè maximam. Vnde Ephrem Syrus de agone ſeu luctamine ſpiritua-

li inducit Deum inuitantem hos ad se: *Venite filij mei dilectissimi, venite ad me. Dilatetur numerus vester. in me, & in thalamo immortalis sponsi magnificentur chori vestri cum Angelis sanctis.* Quæ inuitatio plena amoris & beneuolētiæ nos trahere debet exultantes & alacres.

Ab Angelis mos psallendi.

CAPVT XXII.

1. IN primis notanda versio Arabica. vbi enim in Isaïa cap. 6 legitur, *Et clamabant alter ad alterum, & dicebant: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum*; Arabes habent in versione sua disagion, non trisagion, *clamabant Sanctus, Sanctus*, vt significent eos alternis cantasse per modum chori, non quòd negent trisagion. Nam hæc verba *alter. ad alterũ*, significant eos ἀντιφώνους, id est, alternis vocibus cantasse, vt fit in choro psallentium. Hinc Nazianzenus in Iambicis dixit, ἀντίφωνον ἀγγέλων στάσιν: *Angelorum alternis canentium.* Vnde Damascenus tract. de Trisagio docet, ab his Seraphinis Ecclesiam didicisse chorum, id est, modum alternis cantandi & psallendi. Sic & S. Ignatius Martyr teste Socrate lib. 6. cap. 8. λεκτέον δὲ καὶ ὅθεν τὴν ἀρχὴν ἔλαβεν ἡ κατὰ τοὺς ἀντιφώνους ὕμνους ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ συνήθεια. Ἰγνάτιος Ἀντιοχείας τῆς Συρίας τρίτος ἀπὸ τοῦ ἀποστόλου Πέτρου ἐπίσκοπος, ὃς καὶ τοῖς ἀποστόλοις αὐτοῖς συνδιέτριψεν, ὀπτασίαν εἶδεν ἀγγέλων, διὰ τῶν ἀντιφώνων ὕμνων τὴν ἁγίαν τριάδα ὑμνούντων. καὶ τὸν τρόπον τοῦ ὁράματος, τῇ ἐν Ἀντιοχείᾳ ἐκκλησίᾳ παρέ-

δώκεν. ὅθεν καὶ ἐν πάσαις ταῖς ἐκκλησίαις αὕτη παράδοσις ἐδόθη: *Iam verò dicamus, vnde consuetudo hymnorum, qui in Ecclesia alternis decantantur, initium ceperit. Ignatius Antiochiæ, quæ est in Syria, tertius à Petro Apostolo Episcopus, qui cum Apostolis ipsis multùm versatus est, visionem vidit Angelorum Sanctam Trinitatem hymnis alterna vice decantatis collaudantium: & formam canendi in ea visione expressam Ecclesiæ Antiochenæ tradidit. Vnde illa traditio in omnibus Ecclesiis recepta est.* Et Nicephorus lib. 13. cap. 8. eandem historiam scripsit, atque inde vt omittam Græca, Latina sic habent: *Morem autem antiphonorum, hoc est, alternis per responsionem carminum concinendorum, Ecclesia iam inde ab Apostolis accepit. Diuinum namque Ignatium, qui tertius in Ecclesia Antiochena à Petro Apostolo Hierarcha fuit, & cum Apostolis omnibus plurimo tempore vixit, cùm per ecstasim animi consternatus esset, visionem nouam vidisse ferunt: sanctos scilicet Angelos alternis, & sibi inuicem respondentibus carminibus Sanctam Trinitatem hymnis & laudibus modulantes. & ipse primus hanc concinendi formam Antiochenorum Ecclesiæ dedit. vnde quasi à fonte in alias ecclesias Dei omnes eiusmodi consuetudo est propagata.* Chrysostomus Henriquez in vita S. Bernardi cap. 32. sic ait: *Celebrabantur aliquando solemnes vigiliæ, & Vir Domini cum ceteris fratribus aderat: cumque hymnus* Te Deum laudamus *cantaretur, vidit sanctos Angelos multâ claritate fulgentes, mirâ etiam vultus alacritate deuotos, qui vtrumque chorum percurrentes, modò hunc, modò illum excitabant, cantantibus*

aderant, & quaſi congratulantes adſtabant, & vt diuinus ille hymnus cum deuotione percantaretur, modis omnibus elaborare ſatagebant. In Chronica Franciſcana legitur de S. Franciſco: *Nocte quadam vigilante ipſo, & meditante de Domino repentè ſonuit cythara quædam harmonia mirabilis, & ſuauiſsimæ melodiæ, & tantâ fuit in illo dulciſsimo carmine voluptate perfuſus, vt aliud ſe putaret ſeculum cõmutaſſe* Laurent. Iuſtinianus de monaſt. diſciplina cap. 17. *Diſcurrunt inter illos* (orantes & pſallentes) *comprimũt etiam immundorum ſpirituum impetus, nec eos ſæuire patiuntur tanquam fideles cuſtodes, nunc aſcendunt, nunc deſcendunt, ſemper ad illorum profectus vbique verò alacres ſunt, vbique feſtiui, vbique ſolliciti, ne diuina interrumpatur laus, ne cæleſti a cantica maculentur.*

2. Itaque pſalmodia eſt opus cæleſte & angelicum, vt meritò Dauid dixerit, *In conſpectu Angelorum pſallam tibi,* quaſi diceret, Sumam officium Angelorum, coram Angelis, & cum Angelis pſallam tibi. Procopius ſanè in Iſaiã cap. 6. προηγουμένη γὰρ αὐταῖς (δυνάμεσι) καὶ κατὰ φύσιν ἐστὶ ζωὴ τῷ τοῦ Θεοῦ κάλλει ἐνατενίζειν ἀεί, καὶ διηνεκῶς δοξάζειν αὐτόν: *Primaria enim illis* (virtutibus) *& naturalis vita eſt, in Dei pulchritudinem ſemper aciem intendere, eumque perpetuò celebrare.* Vnde notat Cyrillus, Seraphinos alternis accinuiſſe *Sanctus,* non quòd canendo defatigarentur, ſed quia ſibiipſis mutuum hunc honorem tribuunt; omnia enim cæleſtia ordinata ſunt & cõcinna. Maximè verò id fecerunt, vt homines docerent in choro alternis pſallere, itáque continuò & con-

cinnè laudare Deum, ac ſe mutuo omnesque homines ad Dei laudem excitare. Vnde Laurent. Iuſtinian. de inſtit. & regimine prælatorũ: *O chara beatorum ſocietas, nunquam fatigaris in laude, ſed ſemper alacris, ſemper ſuſpenſa, ſemper in laudandi deſiderio perſeuerans.* Et S. Auguſt in pſalm. 83. *Hoc erit totum negotium noſtrum ſine defectu, Alleluya : non vobis, fratres, videatur quaſi faſtidium ibi futurum, quia ſi modo hoc diu dicatis, non duratis, ab illo gaudio neceſſitas vos auertit. Securi ergo ſumus fratres, non cor ſaturabit niſi laus Dei, amor Dei; ſi deficias ab amore, deficies à laude: ſin autem amor ſempiternus erit, quia illa inceſſabilis pulchritudo erit, noli timere, ne non poſſis ſemper laudare, quẽ poteris ſemper amare.* Loquitur de gaudio illo, quod cum Angelis ſumus habituri in cælo, quod quia interminabile eſt, gaudium quoque erit interminabile. Vnde Origenes in ea verba Iob, *Venerunt filij Dei vt ſtarent ante Dominum*, ſic ait: *Opus & ſtudium ſanctorum Angelorum eſt, vt aſsiduè cæleſtem Dominum laudent, æterno Deo gratias agant, Sancto Deo indeſinenter gloriam pro beneficiis eius deferant, pro gratia eius, pro miſericordia eius, quæ impertit generi humano in omni hora, in omni tempore plurima, & magna, & diuerſa.* & S. Thomas in Opuſc. 63. *Ibi anima gratulatur Diuinæ Sapientiæ, quæ ſingulis creaturis conuenientiſsimè ſingula dona reddidit, & diſtribuit; quod pro ſingulis donis Angelorum & Sanctorum vberiores gratias reddit, quàm ſi ipſa ſola accepiſſet, & potiùs ſingula dona eſſe vult in ſingulis, quàm in ſe ſola: ſicut nemo in aliqua parte*

corporis membrorum, aliud esse vellet, quàm Diuina Sapientia ordinauit; quamuis ex ea parte, quæ bonum proprium naturaliter magis appetit, quàm aliorum, potiùs vellet omnia se habere, quàm alios; sed vbi gratia superat naturam, fidelis anima diuinam ordinationem magis quàm propriam vtilitatem amplectitur. Et in eodem Opusculo de Angelis dicit: *Omnes Sancti & Angeli concorditer Deum laudant, & tamen dissimiliter; sicut etiam differunt in cognitione, & amore, ita etiam in laude.* & Basilius de Pœnitent. ἀγγέλοις ἔργον δοξολογεῖν τὸν θεόν: *Angelorum munus est Deum ornare laudibus.*

3. Et quidem psallentes Angelos multi viderunt, multi audiuerunt harmoniam i lam cælestem, concinnam, & diuinam, & in variis tractatus huius locis animaduertes, de his qui in cælum rapti sunt, qui mortui, & cum tripudio illorum ascenderunt ad beatas illas sedes, diuináque domicilia, de quibus vide suis locis. Nunc autem placet de cantu illo, quem instituerunt nato Christo, paucis disserere ex Gillibert. serm.12. in Cant. *Natum pastoribus Angelus nuntiat, imò & ipsis Angelis non tantùm pastoribus videtur Angelus nuntiare. vnus prædicat, alij applaudunt. Facta est cum Angelo multitudo cælestis exercitus laudantium, & dicentium; Gloria in altissimis Deo. Vnus annuntiat, quod alii æquè notant, & tamen quasi nouum & recens audiunt, quod illis ignotum esse non poterat.* Lucæ omninò nstitit. Quale autem gaudium & tripudium, choreas & cantus ducant singulis annis in nocte Natiuitatis, dixi alio loco. Hîc aduerte historiã

Casinensem lib. 3. cap. 37. *Nocte quadam cùm frater Georgius Mansionarius in stratu suo vigilaret, audiuit duos in Ecclesia pueros mira suauitate, dulcique modulatione referre laudes Deo. Sciens itaque pro certo neminem esse monachorum intra monasterium, qui puerilem haberet vocem, confestim surgens Ecclesiam ingreditur: nullumque reperiens, manè facto, quid audisset fratribus per ordinem pandit. Illi Angelorum frequentiam ad B. Benedicti corpus laudes Deo cecinisse dixerunt.*

4. Nunc placitum dare ex Cassiano li. 2. I stit. cap. 5. cantum cælestem, qui ab Angelo cantatus est in insigni illa controuersia quam habuerunt monachi, vbi cùm quis diceret quod sentiebat, ad extremum, ait: *Vnus in medium psalmos Domino cantaturus exsurgit Cumque sedētibus cunctis (vt est moris nunc vsque in Ægypti partibus) & in psallentis verba omni cordis intentione defixis, vndecim psalmos orationum interiectione desixos contiguis versibus parili pronuntiatione cantasset, duodecimum sub Alleluya respōsione consummans, ab vniuersorum oculis repentè subtractus quæstioni pariter & cæremoniis finem imposuit. Exhinc venerabilis Patrum Senatus intelligens Angeli magisterio congregationibus fratrum generalem canonem non sine dispensatione Domini constitutum, decreuit hunc numerum tam in vespertinis quàm nocturnis conuenticulis custodiri.* Ex his intelligimus (inquit Gazæus) Angelum illum duo documenta hoc suo facto Patribus reliquisse; primum, vt duodecim psalmos tam in vesperis, quàm in nocturnis officiis decantarent; Secundum, vt stantes, & erecti psal-

ſerent, & pſallentes ſtarent; quem morem & ritum monachi deinceps retinendum & obſeruãdum decreuerunt. Vide prædictum Gazeum in eum locum Caſſiani, vbi angelicos ritus firmat ex Philone, Baſilio, Athanaſio, Chryſoſtomo.

De Angelorum miniſterio circa Euchariſtiam

CAPVT XXIII.

1. ANGELI venerabundi ſunt ante diuiniſſimam Euchariſtiam, quos, quoties ingrederis in templum, æſtimare debes aſtare ſupplices & precabũdos pro te, pro vniuerſis. Chryſoſtomus homil. 35 de Aſcenſione Domini: εἰ γὰρ πᾶς ὁ ἀὴρ ἀγγέλων ἐμπέπλησται, πολλῷ μᾶλλον ἡ ἐκκλησία, εἰ δὲ ἐκκλησία πολλῷ μᾶλλον ἡ παροῦσα ἡμέρα, ὅτι ὁ δεσπότης αὐτῶν ἀναλαμβάνεται: *Nam ſi omnis aër Angelis repletus ſit, quanto amplius Eccleſia: ſi verò Eccleſia, quanto magis dies iam præſens, quando eorum aſſumtus eſt Dominus?* quid mirum hæc Chryſoſtomus, qui oculatus teſtis fuit Angelorum. S. Nilus diſcipulus Chryſoſtomi contigiſſe hoc Chryſoſtomo, non ſemel, ſed ſæpiùs, narrat ipſe in epiſtola quam ſcripſit ad Anaſtaſium, ſic inquiens: *Ioannes ſacerdos admirandus Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, & totius orbis ſplendor, vir animi perſpicacis, omni fere tempore videbat domum Domini refertam Angelorum cœtu; & tunc imprimis cùm diuinum officium, & incruentum ſacrificium offerebatur; quo quidem tẽpore ſtupore & lætitiâ plenus, rem præcipuis amicis enarrauit. Cùm cœpiſſet* (inquit) *ſacerdos ſan-*

ctum sacrificium, plurimæ statim ex illis virtutibus descendentes, stolis indutæ splendidissimis, nudis pedibus, intentis oculis, pronæ altari magno cum silentio & reuerentia, quoad reuerendum illud mysterium expletum fuit, circumsteterunt. Deinde huc illuc singulæ diffusæ, per totam domũ Episcopis, Presbyteris, Diaconibus distributionem corporis & preciosi sanguinis ministrantibus adhæserunt, satagentes & seduli adiuuantes. Hæc Nilus de sanctissimo Chrysost., cuius mira fuit & singularis pietas in hoc sacrameto, adeò vt ser. 31. in hæc verba eruperit, καὶ βασιλέως μὲν εἰς εὐωχίαν καλοῦντος ὑμᾶς μετὰ φόβου ἀνακλίνεσθε, καὶ τῶν προκειμένων μετ᾽ αἰδοῦς καὶ ἡσυχίας μεταλαμβάνετε ἐδεσμάτων. τοῦ θεοῦ δὲ καλοῦντος ἐπὶ τὴν ἑαυτοῦ τράπεζαν, καὶ τὸν ἑαυτοῦ προτιθέντος υἱὸν ἀγγελικῶν δυνάμεων παρισαμένων μετὰ φόβου καὶ τρόμου καὶ τῶν χερουβὶμ κατακαλυπτόντων τὰ πρόσωπα, τῶν σεραφὶμ κρατόντων τρόμῳ, ἅγιος, ἅγιος, ἅγιος κύριος: σὺ κράζεις, εἰπέ μοι, καὶ θορυβῇ πρὸς τὴν πνευματικὴν ταύτην ἑστίασιν; οὐκ οἶδας, ὅτι γαλήνης δεῖ γέμειν τὴν ψυχὴν κατ᾽ ἐκεῖνον τὸν καιρόν; εἰρήνης πολλῆς καὶ ἡσυχίας χρεῖα, οὐχὶ θορύβου καὶ θυμοῦ καὶ ταραχῆς. ταῦτα γὰρ ἀκάθαρτον ποιεῖ τὴν προσιοῦσαν ψυχήν: *Etsi vos Rex quidem ad conuiuiũ vocet, cum timore accumbitis, cibosque appositos cum reuerentia & silentio sumitis; Deo autem te ad suam mensam vocante, filiumque suum ibi apponente, vbi Angelicæ Potestates adsunt cum timore & tremore: vbi Cherubim velant facies suas, atque Seraphim cum tremore clamant Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus: tu mihi audes vociferando ac tumultuando ad spirituale illud conuiuium accedere? An te fugit eo tempore multa trãquillitate mentem esse plenam oportere; multâqu*

pace, & quiete opus esse ei, non autem tumultu, iracundiâ, strepitúque immodesto? Hæc enim mūdam animam accedentem efficiunt.

2. Ad alios iam transeo. In vitis Patrum legitur de quodam sene simplici, qui cùm sacramentum offerret, Angelos videbat Signata verba sunt lib. 10. *Narrauit quidam Patrum, quod senex quidam mundus & sanctus existens, cùm offerret sacramentum, videbat Angelos sibi dextrâ læuâque assistentes.* Amphilochius de magno Basilio diuidente hostiam in tres partes, ait: *Eubulus, & Cleri princeps simul præ foribus templi stantes, videbant lumen intelligibile in templo, & homines clarissimè candidatos, & vocem populi glorificantis Dominum, & Basilium altari astantem: & consternati super visione, ceciderunt in faciem, cum lacrymis glorificantes Dominum.* Porrò illi homines clarissimè candidati, Angeli sunt, qui Deo reuerentiam summam exhibebāt. Quid verò ipse Basilius ore proprio dicat audiamus. In Isaiam prophetam ait, vnis sanctis Angelis cōmendatam præfecturam Ecclesiarum, *οἱ γὰρ ἅγιοι ἄγγελοι, οἱ τῶν ἐκκλησιῶν τὰς προστασίας πεπιστευμένοι.* Mirabile verò est illud, quod Abbas Leontius vidit lib. 10. de vitis Patrum, qui fugatis infidelibus, à quibus monachi persecutionem passi fuerant, in Ecclesiam iuit die Dominico, ingressúsque vidit Angelum stantem ad dextrum cornu altaris, & magno pauore correptus, in cellam suam reuersus; vocem autem de cælo audiuit dicentem sibi: *Ex quo sanctificatum est altare istud, ego iugiter illi astare iussus sum.* vbi Angelus astare iubetur altari, tanquam præfecturam

capiens illius, quod dixit Basilius.

3. Quòd si expendas, Christum visum in Sacramento sæpe, nihil mirum videri debet sanctos Angelos illic etiam adstare, Regi suo præsentiam exhibentes cum veneratione & reuerẽtia. Infinita autẽ sunt, quæ dici possent de Christo apparente in Eucharistia, pauca tamen accipe. Cum vna dierum (ait Dorlandus in Chron. Carthus. lib. 3 cap. 8.) Præsul Christi Hugo missam celebraret, quidam è Clericis qui tum aderat, cui cordis oculos aperuit Deus, vidit inter castissimos eius digitos speciosum formâ præ filiis hominum in specie paruuli infantis, & suo Pontifici arridentis, contineri. Erat verò idem puer permodicus, sed diuino quodam splendore atque candore super solem longè serenissimus; is autem qui hæc vidit, mira deuotione succensus, & plurimùm compunctus, tempus illud consummauit in lacrymis: rursum autem vbi hostiam Præsul super calicem leuauit vt frangeret, sub eadem qua priùs imagine natum de Virgine Iesum Dei Filium felicibus oculis meruit contueri.

4. Legitur in Scala cæli, quod Frater quidam familiaris cuidam nobili viro domum eius frequentabat, & filium eius vnicum plurimùm diligebat; & quia ei iocalia puerilia adferebat, puer sequebatur eum vbique, & cùm ad Ecclesiam fuisset eum secutus, vbi Frater continuè celebrabat, stans puer iuxta Fratrem vidit manifestè in eleuatione corporis puerum in manibus dicti Fratris; vidit etiam posteà fractionem, & sumptionem, & his visis fugit, & abscondit se in ter-

ra; quæsitus autem & tandem inuentus, nullatenus venire volebat: cumque Frater iste iuisset, & eum adducere vellet, puer clamauit: Saluate me, saluate me, quia iste vult me comedere, sicut hodie comedit vnum pulcherrimum puerum. Inquirentes verò causam dicti, inuenerunt quod de Sacramento altaris hoc vidisset.

5. Rursum in eodem libro legitur, quod fuit quidam sacerdos, qui deuotus B. Virgini multùm dubitabat de sacramento Altaris, & immò rogabat assiduè B. Virginem, vt eum dignaretur iuuare: cùm autem in sabbatho celebraret Missam, ante Pater noster disparuit hostia quam sacrificauerat; & dum respiceret stupefactus, vidit Matrem gloriæ ante se, suum Filium in vlnis tenentem, & dicentem: Ecce quem sancta puerpera portauit: ecce quem consecras: ecce quem manibus tractasti, quem leuasti: & ecce trado tibi Filium meum: accipe, & perfice Missæ officium. Accepit ergo sacerdos puerum, & posuit super corporale: & cùm eo peruenisset, vt iam hostiam deberet frangere, non amplius in forma pueri, sed in forma panis, monstratus est ei. Et sic ille in fide est roboratus.

6. Presbiter quidam (ait Paschasius Corbiensis lib. de corpore & sanguine Domini cap. 4.) Plegilus nomine à puero diuinis legibus imbutus, & propter amorem superni Regis omnia relinquens, petiit aliquando à Deo sibi corpus, & sanguinem in Eucharistiæ Sacramento demonstrari. Voti fit compos, viditque super aram Patris filium, puerum quem Simeon infantem portare sub vlnis promeruerat: visum contrectat,

amplectitur, pectus pectori iungit, oscula figit. His exactis, Christi membra restituit altari, & post orationem, qua ille cupiuit restitui formæ priori panis, vidit eadem rursus restituta.

7. Ait Crantzius lib.1.cap.9. Historiæ Ecclesiasticæ de Vindechindo duce Saxoniæ, quod illum incessit cupido lustrandi Caroli Magni castra; vt verò lateret, & id secreto faceret, habitum regium in mendici mutat, sed agnitus inter mendicos, (cum quibus eleemosynam petebat) producitur ad Carolum: rogatur quid vidisset; post alia, sic inquit; vidi hodierno die (erat is sanctissimus Paschæ,) te primum solicitum, & ad rem attentissimum. Posteaquam verò mensam adieras, templo mediam, ita hilari mihi conspectus es vultu, vt repentinæ in te mutationis me caperet miraculum. Stupor autem erat videre quod de manu purpurati Sacerdotis singuli pulchellum puerum in os susciperent; quem quibusdam ludibundum arridere, vltro properare, aliis verò abhorrentem auertisse vultum, & tamen in ora demissum nec redeuntem aspexi. Hoc quid sit, necdum capio. Tum. Rex, Bene, inquit, profecisti, plus tibi aliquid, quàm cunctis sacerdotibus, & omnibus nobis ostensum est. Hoc miraculo dux commotus, Christianam religionem amplectitur, Micdensis Episcopatus prima iaciens fundamenta.

8. Rustico cuidā in Aruernico territorio à Maga persuasum fuit, vt si apes, quas in alueariis fouebat, vellet conseruatas, hostiam consecratam in aluearia mitteret: verùm in terram illa lapsa, mox ab apibus in aluearium infertur. Non ita diu

post sceleris patrati conscientia compunctus rusticus, & de se ipso quasi vindictam sumẽs, apes super iniecta aqua enecauit. Dum verò his extinctis intima fauorum rimatur, conspicit Corpus Dominicum in formam speciosissimi pueri mutatum inter fauos & mella iacere. Quid faceret attonitus? hoc capit consilij, vt acceptum puerulum ad ecclesiam deferat, & occultè sepeliat. sed ex manibus ferentis ille disparuit.

9. In speculo exemplorum est de quadam Moniali, quæ de templi munditia curabat diligenter, vt Presbyteri manus decenter abluerentur, ipsa mundissimè desiccabat ad solem pannum illum quo Presbyter id efficiebat, ne puluere aut volatu volucrum contingeret maculari. Quadam hora, ipsa stante iuxta pannos, & Aue Maria deuotè ruminante, adfuit Domina nostra in forma pulcherrimæ Dominæ, puerum vlnis gestans supra modum amicabilem, & sedit prope ipsam. Hæc verò Monialis silentium tenebat, sed à puero & Domino faciem non auertebat, & admirando stupebat. Tunc Domina filium super pallas ponebat, & illa innuebat manu quod deponeret. Sed Domina nostra dulciter illi arridens, super nudum corporale puerulum collocauit. Illâ autem clamante, quomodo hoc facere auderet, respondit humiliter, Ne mireris, quia filium meum super sua pono linteamina, nam frequenter residet super ea in altari. Et sic vnà cum filio euanuit, relinquens tantam suauitatem, & dulcorem suæ deuotæ, quod enarrari ab homine non valeret.

10. Ipso Pentecostes festo, Idam virginem,

Euchariſtia ſumpta, tanto diuinæ conſolationis rore ebriam fuiſſe ferunt, vt nonniſi ægrè admodum ad horas canonicas in choro decantandas conferre ſe poſſet. Sacro demum perfecto, ſextâque abſolutâ, triclinium ingreſsâ, menſæ iam accubuerat, & ecce tantus inuſitatæ lucis fulgor in virginem iaci cæptus, vt oppoſitu manicæ vultum obtegere cogeretur; quanquam fruſtrà; radij veſtem quoque peruadebant. Hic tum ſpecioſus ille formâ præ filiis hominum, mira totius oris corporisque dignitate conſpicuus viſendum virgini ſeſe præbet Hinc per cænaculũ ambulans ante diuerſas ſubinde Moniales conſiſtit, vt plurimùm tamen feruidis Idæ deſideriis prouocatus, in amantiſſimam ſponſam oculis ferebatur, à qua neque priùs receſſit, quàm lectione ad menſam abſolutâ, in auras ſeſe extulit, caputque inter nubila condidit. Porro autem ſuauiſſimi ſponſi conſpectu mirandum in modum recreata virgo, adeò vires corporis debilitatas ſenſit, atque imminutas, vt ad gratias pro more in templo agendas cœtum virginum ſequi non poſſet, diceres tantum virium corpori deceſſiſſe, quantum animo diuinæ conſolationis acceſſerat.

11. Pergo ad Amphilochium, & Guitmundum, qui in vita Baſilij Magni referunt de quodam Hebræo, qui ſe Chriſtiano populo immiſcuit volens myſterium explorare, vidiſſe infantem in manibus Sancti Baſilij, & communicantibus omnibus veniſſe & Hebræum, datamque eſſe illi hoſtiã, quę, cùm ſumeretur, caro facta eſt. Inde acceſſit ad calicem ſanguine repletum, &

ipſius eſt particeps factus:atque de vtriuſque ſeruans reliquiis, abienſque in domum ſuam,oſtendit vxori ſuæ, adconfirmationem dictorum, & narrauit quæ propriis oculis viderat. Credens ergo verè,quia horribile & admirabile eſt Chriſtianorum myſterium, in craſtino venit ad Baſilium,poſtulans ſe ſine dilatione accipere, quod in Chriſto eſt ſignaculum: Baſilius autem non differens, baptizauit eum,cum omni domo ſua.

12. Senior quidam apud Surium qui Abbas erat, non credebat præſentem in Euchariſtia eſſe Chriſtum; vrgent hunc duo alij, vt cùm vniuerſa Eccleſia ſentiat, Chriſtumque vere in Euchariſtia præſentem eſſe credere velit:vbi nihil aliud efficiunt, ad orationem ſe conuertunt omnes. Poſt octo dies,dum ſacrificanti adſtant,panis ſuper altari poſitus, videbatur his tribus tantùm tanquam paruulus puer. Cumque ſacerdos vt panem frangeret, manus extendiſſet; videbatur ipſis Angelus de cælo deſcendere, cultrum manu tenens, qui paruulum puerum ſacrificaret,& ſanguinem calice exciperet. Sed & quando in fruſta panem ſacerdos ducebat, etiam Angelus membra pueri in modicas partes ſcindebat.Acceſſit deinde ſenior,vt acciperet communionẽm, & data eſt ipſi hoſtia ſanguine cruenta, vt ipſi ſoli viſa eſt: quare exclamans: Credo, inquit, Domine, quia panis qui in altari ponitur, corpus tuum eſt; & ſtatim caro,quam manibus tenebat, in priorem panis formam rediit. Accidit hæc res circa annum Domini 392.

13. Refertur in vita S. Mariæ Ocgniacenſis, quod viderit Chriſtum ſub forma pueri immen-

ſo

so lumine coruscantem, circa ædiculam, in qua sacrosanctum Sacramentum asseruabatur. Hugoni Lincoiniensi non rarò Christus in forma pueri apparuit, quando sacris tremendis operabatur, sub qua forma eundem, Hugone celebrāte, etiam adstantes obseruarunt. Cæsarius aliquot refert apparitiones, lib. 9. vnam, qua religioso viro Godeschalchode castro Vvolmesten oriundo apparuit, sub specie pulcherrimi infantis, dum Missarum solennia peragit die Natalis Domini. Alteram cap. 3. qua Adolpho de Dieferne; leuiculo sacerdoti, & de veritate corporis Christi in Sacramento dubitanti apparuit, in eodem Missæ officio, nunc in specie pueri, quem mater sinu foueret, nunc in specie agni, nunc in specie crucifixi. Rolandus de monte ad Chronica Sigeberti refert duas apparitiones, in quibus species pueri visa est, prima contigit soli puero in Andegauensi ciuitate; altera, pio Presbytero iuxta Fiscanum, in die dedicationis Ecclesiæ, S. Trinitatis. Apud Surium etiam de S. Catharina Senensi habetur, quod sæpe Christū in specie infantis viderit in Sacramento. Petrus Tolosanus idem se vidisse affirmauit, non semel tantùm, sed etiam toto quatuor aut quinque mensium spatio.

14. Mulier nobilis, opibusque præclara, & pietate excellens imprimis, sanctè testata est, se ex quo tempore nostris ad rem diuinam operam daret, semel atque iterum Christum Dominum infantis pulcherrimi specie in consecrata hostia conspexisse, radiorum splendore coruscantem, toto tempore quo piaculare sacrificium sacerdo-

tis manibus tenebatur. Idem ſibi accidiſſe bis, vir ſummâ fide & religione ſacerdoti noſtro cõfeſſus eſt, ac ſemel quidem paulò antequam ab impuriſſima fœmina petulantiſſimè ad flagitium inuitaretur: qua in pugna ex recenti viſione ſibi videbatur Chriſtum opportunè habere præſentem. Quid ergo mirum Angelorum legiones & militiam cæleſtem adeſſe huic ſacrificio, cùm Redemptor noſter oculis mortalibus ſpectandum ſe præbuit: Credo equidem omnes Cherubinos & Seraphinos, omnesque Principatus & Poteſtates attonitas adfuiſſe ad diuinum myſterium cum veneratione & religione. Narrat Thomas Cantipratanus lib. 2. cap. 40. num.3. quod ſacerdos quidam de Dacia Ioannes nomine terram ſanctam peregrinus adiuit cum quibuſdam amicis. Tranſito ergo mari in vigilia Paſchæ venerunt in Hieruſalem, & ſummo mane recedere voluerunt: quibus ſacerdos dixit, Sanctiſſimus dies eſt Paſchæ, & locus eſt hic Reſurrectionis Domini, audiatis priùs Miſſam, & Euchariſtiam ſumite: poſteà recedemus. Abnuentibus omnibus, & recedentibus manè, ſacerdos in vrbe remanſit, & dictâ Miſsâ, factóque prandio ſolus cœpit inſequi præcedentes: Quem vt attigit quidam in equo ſedẽs: quid eſt, ait, quod ſolus properas peregrinus? & ille factum narrans: hac inquit de cauſa ſolus à ſociis ſum relictus. Tunc ille: Aſcende, inquit, retro me, & videbimus ſi poteris aſſequi præcedentes. Agit gratias Presbyter, aſcendit, & poſt horam ſic reſidens obdormiuit. Circa veſperam verò cùm euigilaret, & circumſpiceret vbi eſſet, di-

xit illi ductor suus: Potes ne cognoscere locum istum? & ille præ timore maximo vix respondere valẽs: Videtur, inquit, mihi, domine mi, quod ecclesia hæc, quæ ante nos est, ecclesia mea sit, & domus hæc proxima in qua mansi. Cui ductor eius ait: Rectè tibi videtur, Christum glorifica, cuius sacramenta veneratus es, & quorum causa in peregrinas terras solitudinem non horruisti. Hæc dicens subitò disparuit. Hic qui disparuit Angelus Dei est, qui officiosus erga Eucharistiam & Missam tale miraculum perpetrauit virtute Dei.

15. Iam verò quæ in Ecclesia Angeli operantur à Pelagio, discimus in vita Pauli Simplicis, vbi scriptum est, quod ingredientibus ad Ecclesiam, hominem vnum vidit obscuro corpore & nigro, & dæmones alacres ipsum trahentes, & capistrum in naribus iniicientes; Angelum verò à longè insequentem, tristem & lugubrem. Paulus verò lacrymans, & manu frequenter pectus tundens sedebat ante Ecclesiam, plorans valdè eum, qui ei talis apparebat. Qui autem videbant quod faciebat, & tam celerem eius mutationem, & lacrymas, & luctum, interrogabant rogantes, vt diceret quod videret; timentes ne quid in reprehensione omnium vidisset, pro quo hæc faceret. Postulabant etiam, vt ad Missas intraret cum eis. Paulus autem eos repellens, & negans se ingressurum, sedebat foris iacens, & plorans nimis illum qui taliter apparuerat. Post Paulum autem dimisso Ecclesiæ conuentu, iterum Paulus attendebat singulos exeuntes; vt quorum introitum aperuerat, sciret quales exirent, & vidit

illum virum nigrum & obſcurum toto corpore prius, exeuntem ab eccleſia, claro quidem vultu, candidóque corpore; dæmones autem, qui tenebant eum, poſt eum à longè ſequentes; ſanctum verò Angelum iuxta ipſum ambulantem, lætum & promptum, & gaudentem ſupra eum valdè. Paulus verò exſiliens cum gaudio clamabat: O ineffabilis miſericordia Dei & bonitas, &c. Poſteà Paulus hominem vocauit, & didicit ab eo, vti fornicationi & luxuriæ deditus, audito Iſaïa propheta in Miſſa reſipuerit, & veniam à Deo petierit, & credibile eſt S. Angelis intercedentibus, qui in tẽplis curant noſtra negotia, vt ibi ſupplicabundi accedunt pro nobis, cuſtodiã tuentes ſuam. Habetur hæc hiſtoria in vitis Sanctorum Patrum, & bis in lib. 5. cap.7. in vita S. Bonifacij Epiſcopi Lauſanenſis, qui poſteà Ordinem Ciſtercienſium ingreſſus eſt, cap. 7. legitur hunc in modum: *Celebrabat ſanctiſſimus Præſul ſacrificium Miſſæ, offerens æterno conditori hoſtiam pacificam, dilectum filium Dominum noſtrum: & ecce ſanctimonialis quædam ſatis religioſa, ac redolentis famæ vidit duos Angelos iuxta illum, quorum vnus ſtetit ad dexteram eius, & alius ad ſiniſtram, & manus ſancti ſacerdotis quas ipſe pro nimiâ corporis fragilitate & debilitate extendere aut eleuare non valebat, ſuis ipſi manibus eleuabant, deponebantque, miniſtrantes omnia neceſſaria, & valdè amicabiliter atque humiliter capita ſua inclinabant ad eum.* Diſce ex religione ſanctorum Angelorum piam reuerentiam Seruatori tuo præſtare. Cùm aliquando die Paſchæ S. Gregorius celebrans dixiſſet, *Pax Do-*

mini sit semper vobiscum, Angelus altâ voce respondit, *& cum spiritu tuo*, propter quod Papæ celebranti quodie hoc contigit, & in ecclesia S.Mariæ Maioris,ad ea verba nihil respondetur. Cùm Proculus Episcopus & Martyr è Syria Romam veniret, & faceret rem sacram, præsente Valentino Episcopo Interamnensi, Angelus Domini acceptum de altari calicem in aëra, videntibus omnibus, subleuauit; ac deinde in altari reposuit sanguine consecrato : sanctus autem presbyter de mandato Angeli sanguinem consecratum libauit. Ita refert Petrus Episcopus Aquilinus lib.1. Catal. Sanctorum cap. 15. in vita S. Osualdi Episcopi Vigorniensis narratur, qui vixit anno 1170. quod Angelus ipsi sacrificanti ministrarit religiosè, & officiosè ad singula responderit.

16. Petrus Damianus lib. 3. epist. 5. ad Cunibertum Episcopum Rauennatem multis inuehitur in eos, qui irreuerenter in Ecclesia assistunt, sumto argumento à reuerentia Angelorum: *Cùm ergo virtutes Angelicæ trementes assistunt, terreni & corruptibiles homines astare despiciunt?* & cum ecclesiasticis illis officiis ritè credatur Angelorum semper adesse præsentia, quãto putamus aduersus nos zelo moueri, dum in conspectu illius diuinæ Maiestatis nos irreuerenter sedere conspiciunt, cui scilicet ipsi trementes assistunt. Nam & Zacharias sacerdos cùm incensum poneret, stantem, non sedentem Angelum vidit iuxta altare. Et Euangelista Ioannes ait vidisse infinitam & innumerabilem multitudinem Angelorum, qui ait *stantes*, non

sedentes. Demum de illis ait: *Vbi credenda est frequentius Angelica beatitudo discurrere, quàm in Ecclesia, vbi nouit Dei populum, propter quem scilicet mittitur, conuenire? & qui potentiori cuilibet personæ festinanter assurgimus, qua præsumptionis audacia sedere coram Virtutibus Angelicis non timemus?* Elias Cretensis comment. in orat. 1. Nazianzeni, ait, non aliter astare Angelos in Ecclesia, quàm cùm seruabant Dominum in sepulchro; vt vel hinc intelligamus, quâ reuerentiâ nobis assistendum sit diuino sacrificio. Ad hanc rem pertinent verba Bernardi ser. 3. in Cant. *Doleo proinde aliquos vestrûm graui in sacris vigiliis somno deprimi, nec cæli ciues reuereri, sed in præsentia Principum tanquam mortuos apparere, cum vestra alacritate permoti vestris interesse sollemniis delectentur; vereor ne vestram desidiam quandoque abominantes cum indignatione recedant, & vnusquisque vestrûm serò cum gemitu dicere Deo, Longè fecisti notos meos à me, posuerunt me abominationem sibi*, &c.& infrà: *Pro certo enim si se à nobis boni spiritus elongauerint, impetus malignorum quis sustinebit? Dico ergo iis, qui eiusmodi sunt, Maledictus qui facit opus Dei negligenter*, &c. & iterum infrà: *Quapropter attendite principes vestros cùm statis ad orandum vel psallendum, stare cum reuerentia & disciplina; & gloriamini, quia Angeli vestri quotidie vident faciem Patris, nimirum missi in ministerium propter nos, qui hæreditatem capimus salutis, deuotionem nostram in superna ferunt, & referunt gratiam. Vsurpemus officium, quorum sortimur consortium, vt in ore infantium & ta-*

ſtantium perficiatur laus. Dicamus eis, pſallite Deo noſtro, pſallite, laudem ergo cum cæli cantoribus in commune dicentes, vtpote ciues ſanctorum, & domeſtici Dei pſallite ſapienter.

17. Redeo ad Chryſoſtomum, cuius labores in Eccleſia notiſſimi ſunt. In eius vita legimus milites ab Eudoxia in templum miſſos, ab Angelo pro foribus veſtibuli ſtante, & romphæam vibrante repulſos, & re infecta rediiſſe. Quis hic Angelus, niſi Eccleſiæ cuſtos, qui præfecturam eius eccleſiæ adminiſtrabat. Ado in Chronic. ætat. 6. ſub anno 774 narrat, Saxones volentes inuadere eccleſiam à S. Bonifacio conſecratam, à duobus iuuenibus (Angelis vtique) miræ claritatis & ſplendoris eam defendentibus, in fugam actos. Nihil ergo mirum ſi Angelus in Apocalypſis 8 *incenſa multa* offerat Deo, vt qui velit agere ſacerdotem. Inde Sophronius Hieroſolymitanus Angelos vocat *Myſtas*, & *Sacrorum Antiſtites* & *miniſtros*. Eoſdem Cyrillus Alexandrinus μονονουχὶ συνιερατεύειν, *propemodum cum Hierophantis ſacrificare.* Hinc in improbos Chryſoſtomus homiliâ quadam: *Non cogitas quod Angeli huic ſtupendæ aſſiſtunt menſæ, & cum reuerentia circumuallant?*

18. Audi iam, quod extremo loco mihi proponendum iudicaui, ſcilicet Chriſtum ipſum cũ Angelorum cœtu diuinum celebraſſe myſteriũ; vt intelligas, quo cultu Angeli ſint; quod Nauclerus narrat ad ann. 1011. Fertur de Henrico hoc, quod ſemper poſt primam noctem ingrediens vrbem, ſolitus fuerit in eccleſia S. Mariæ Maioris manere. Contigit autem ſemel, quod

dum solitarius oraret, visus sit sibi Christus pontificalibus indutus procedere Missam celebraturus, quem sequebatur S. Laurentius, & loco Subdiaconi S. Vincentius: post hos Virgo Deigenitrix cum multitudine virginum & angelorum. Dehinc Ioannes Baptista cum Patriarchis & Prophetis. post hos Petrus, & Ioannes cum ceteris Apostolis & Euangelistis: S. Stephanus cum Martyribus, S. Martinus cum Confessoribus. Angeli incipiunt Introitum, Suscepimus Deus misericordiam, & dum cantaretur, Dextera tua plena est iustitiâ, omnes Christum & Virginem imitantes, extenderunt digitos ad Henricum. Post Euangelium, indicibili iubilo Angelus librum deosculatum à Christo, præsentauit B. Mariæ, & post eam omnibus per ordinem deosculandum. Demum innuit B. Virgo Angelo, vt porrigeret librum etiam Henrico ad deosculandum, dicens: Præbe ei pacis osculum, cuius mihi virginitas placet; & cùm præ nimio gaudio raptus nesciret ad plenum intendere, Angelus ipsum in neruo tangens, dixit: Hoc tibi erit signum dilectionis Dei propter tuam castitatem & iustitiam: & exinde vsque ad mortem claudicabat, ex quo euentu vocatus est Henricus Claudus. His vides, quo cultu Eucharistia & diuina mysteria tractentur ab Angelis, quod initio proposui, quod ipse pariter imitari enixè debes.

Angeli circa Crucem Domini officiosi.

Caput XXIV.

1. Cum Angeli diuina mysteria omnia coluerint, nescio qua religione & cultu impensiùs ferantur in Crucem Domini, id quod hoc capite declarandum proposui. vnus enim illorum in candida veste mulieribus apparuit, quæ in sepulchro Dominum quærebant, & dixit eis: *Nolite timere vos, scio enim quod Iesum qui crucifixus est, quæritis.* Ad quod signatè Cyrillus Hierosolymitanus catech. 13. *μὴ ἐπαισχυνθῇς τὸν σταυρὸν ὁμολογεῖν, ἄγγελοι γὰρ ἐγκαυχῶνται λέγοντες· οἴδαμεν τίνα ζητεῖτε, Ἰησοῦν τὸν ἐσταυρωμένον, ἆρ' οὐ δυνάσαι εἰπεῖν, ὦ ἄγγελε, οἶδα ὃν ζητεῖτε, τὸν ἐμὸν δεσπότην, ἀλλὰ ἐγώ φασι, μετὰ παῤῥησίας οἶδα τὸν ἐσταυρωμένον: Non pudeat crucem Christi confiteri, Angeli enim gloriantur, dicentes, Iesum crucifixum quæritis, Non potuisti dicere, ô Angele, scio, quem quæritis, meum Dominum; sed confidenter dicit, scio quod crucifixum.* Inde signatè Alexander Monachus de Crucis inuentione, imprimis à Gretsero positus. *σταυρὸς ἀγγέλων χαρὰ καὶ δαιμόνων πένθος. σταυρὸς ὁλ. τῆς δαιμόνων: Crux Angelorum voluptas, dæmonum dolor Crux diaboli pernicies.* Et Ioannes Chrysostomus in orat. in appellationem cœmeterij, quę est etiam apud Gretserum 2. t. Tomo de Cruce, vbi Crux vocatur *ὁ τῶν ἀγγέλων κόσμος, τῆς ἐκκλησίας ἡ ἀσφάλεια: Angelorum decus, Ecclesiæ securitas.* De sancto Bartholomęo Apostolo legitur, quod Crucis signum non tantùm adhibere solitus es-

ſet, ſed temporibus eius memoriæ proditum eſt, Angelum Dei hominibus præcepiſſe, vt Crucis ſignum frontibus ſuis imprimerent. Cùm enim Apoſtolus Aſtarothis ſimulacrum confringeret, & templum ipſius vero Deo dedicaſſe cuperet, Angelus Domini viſibiliter apparuit, qui per templum illud circumuolans, in quatuor angulis eius digito ſuo Crucis ſignum lapidibus eius inſculpſit; populumque allocutus, Dei nomine præcepit, vt idem ſignum frontibus imprimerent, quod ipſe lapidibus inſculpſerat. Quæ quidem hiſtoria in Abdiæ Babyloniorum Epiſcopi libro luculenter admodum his verbis ſcribitur: *Cumque omnes dixiſſent, Amen, apparuit Angelus Domini ſplendidus ſicut ſol, habens alas; & per quatuor angulos templi circumuolans digito ſuo quadratis ſaxis ſculpſit ſignum crucis, & dixit: Hæc dicit Dominus, qui miſit me; ſicut omnes vos ab infirmitate veſtra mundamini, ita mundaui templum hoc ab omni ſorde & habitatore eius, quem iuſſit Apoſtolus Dei ire in deſertum ab hominibus. Præterea me iuſſit Dominus (quem videntes nolite expaueſcere) vt prius oſtendam vobis, vt quale ſignum ego ſculpſi in his ſaxis, tale vos digito faciatis in frontibus veſtris, & omnia mala fugient à vobis.* Eandem hiſtoriam referunt Epiſcopus Petrus de Natalibus in Sanctorum catalogo: & Vincentius Bellouacenſis in Hiſtoriali Speculo. Quin anno circiter ab Incarnat. Dom. M. C C X I I I. cùm crux tranſmarina vbique ferè terrarum prædicaretur, erat vir in Brabantia inæſtimabilis ſanctitatis, qui deſiderium quidem longum habuerat terram, in qua ſtet erant Chriſti pedes peregrinus inuiſere, ſed retardari à con-

templatione diuina in corporali exercitio verebatur. In oratione autem existenti in vigilia S. Petri ad vinculæ, clauso cubiculo, astitit illi cum ingenti lumine (erat enim nox) Angelus Dei dicens: Vidit Dominus ingens desiderium tuũ, te scilicet velle inuisere terram sanctam, & nunc ad hoc missus sum ad te, vt desiderium tuum compleatur. Hæc dicens Angelus, hominem apprehendit, & in vna nocte ad omnia loca spectabilia terræ sanctæ transtulit, & eadem nocte retulit. Hanc historiam narrat Thomas Cantipratens. lib.2. cap. 40. num. 4

2. Robertus Soldani matris obitum describẽs, quemadmodum illa confessa quod esset Christiana, filio apponendam crucem imperarit, quã cùm apposuisset, ita subdit: *In crastino autem cùm Agareni vidissent signum illud, indignati sunt contra Principem, & volebant eum occidere. Tunc quidam ex ipsis subleuatus super machinas, conabatur eam deponere crucem. Qui voluntate Dei corruit, & mortuus est. Similiter & alius interemptus est alia vice. Tertia die cùm conuenissent multa millia hominum ad deponendum ædificium illud, venerunt fulgura & coruscationes, & illo primitus perempto qui aduersabatur, multa millia perierunt igne diuino. Tunc apparuit Angelus Domini, & clarissimum signum Crucis posuit super pyramidem illam. Ex quo multi crediderũt in Christum, & adhuc Crucem illam precantur & adorant.* Ecce quemadmodum ad crucis huius collocationem post multorum cædem, post tonitrua & fulgura, Angelus apparuerit collocaturus illam. Huius historiæ meminit Baron. t.2. Annal.

3. Ad Constantini Magni Cruces vocemur, in quarum mentione angelicum studium magnum fuit,& singulare, vt apparebit ex istis Nicephori lib. 8. cap. 32. Ad imitationem igitur triplicis istius visionis, tres ex ære fieri curauit cruces, eisque sacra hæc imposuit nomina, ἸΗΣΟΥΣ ΧΡΙΣΤΟΣ ΝΙΚΑΙ: IESVS CHRISTVS VINCIT. Ex his, cui nomen Iesus inditum, auro per omnes partes diffuso ornata, collocata est super fornicem seu arcum triumphalem in foro, vt obscuriore significatione ardorem pietatis ipsius indicaret: potentia namque roboris eius Græcam superstitionem debellauit. Alteram verò venerandam sacramque Crucem, Christi nomen præferentem in Porphyretica Romana statuit columna, in loco qui φιλαδέλφιον, hoc est, Fraternus Amor,dicitur. Tertiam verò,quā Constantini Νίκην, id est Victoriam vocauit; Heraclius autem ἀνίκητον, hoc est inuictam, in alta columna marmorea posuit, in loco, cui nomen ἀρτοπώλιον, id est, forum Panarium. Ad quam multæ etiam supra opinionem virtutes sunt editæ: atque imprimis, si qui rigore inflammationis vexarentur, & oculorum doloribus & suffusionibus premerentur, sanati sunt. De qua factum quoddam,quod admodum in admiratione fuit, exponam. Ne verò quisquā narranti mihi fidem non habeat; nihil enim tam præter opinionē & præter fidem est, quod Deus non perficiat, neque etiam quicquam, quod Deus velit, impossibile est. Dicitur namque, & verè dicitur, cùm ad eam Angelus Domini ter quotannis per altissimum intempestæ noctis si-

lentiũ, perinde atque micans quoddã cælitùs fulgur, cũ splẽdore insustentabili venit, Crucẽ eum circumire, suffitum facientem, suauíque voce, quasi cuiusdam tenuis indicis, præsentiam suam illis, qui puritate vitæ à vitiis abhorrentes, talia & videre & audire idonei sunt, insinuare: atque vbi cantu ineffabili diuinum carmen ter sancti hymni psallens concinuerit, rursum illum veluti stellam magnificè micantem ad munia redire sua. Hæc omnia Nicephori sunt. ex quibus apparet, quàm obsequiosus Angelus sit erga Crucem apparitione, splendore, hymno, suffitu. Hanc historiam etiam narrat Eusebius Cæsariẽsis in vita Constantini lib. 1. hunc in modum: *Cùm sol ad medium cælum ascendisset die in pomeridianum tempus paululum inclinante, dixit se crucis signum ex lucis splendore figuratum in ipso cælo, soli imminens manifesto oculis aspexisse, in eóque inscriptionem consignatam, quæ hæc verba complectebatur: In hoc vinces. Admiratio ingens ipsum, & totum exercitum, qui eum quopiam iter faciente comitabatur, atque adeò huius prodigij spectator factus erat, incessit Se dubitatione admodum intra se distrahi, quid tandem illud ostentum sibi vellet, asseruit. Atque eum diu, multumque de eo cogitantem oppressit nox. Ibi ei dormiẽti Christum Dei cum signo in cælo monstrato visum esse, praecepisseque vt exemplari ad imitationem illius signi, quod in cælo apparuerat, fabricato, eo tamquam præsidio in præliis cum hostibus committendis vteretur.*

4. Vocor iam ad Carauacensem Crucem, quam sæpe vidi hisce oculis, quæ Angelorum

ministerio facta est, & ad Carauacam oppidum delata; historia vero eius admirabilis narratore Alphonso Ciaconio, huiusmodi est, hæc enim verba illius sunt. Est Carauaca ciuitas mediterranea, aspero & montoso iugo incumbens, quæ Militibus Sancti Iacobi Ensigeri subest. arcem habens munitissimam, præsidio & armis satis instructam; & subtus multas specus & latibula continens, saxo ipso excauata. Quæ olim cum Agarenorum imperio pareret, ergastula erant tuta continēdis Christianis captiuis, quos in prædam continuè abducebant. Hanc Agarenus Rex aliquando ingressus arcem inuisit, & captiuos Christianos proferri iussit, qui inter ergastula tenebantur. Quos vt macie confectos, & pallido eos vultu esse conspexit, sortem hominum & seruilem conditionem miseratus, ne deinceps ergastulis restringerentur, edixit, ac singulos benignè patriam, parentes, & artem, quam nossent, percunctatus, in eadem eos exercendos instituit; vt reipublicæ frugi, & liberiùs atque hilariùs suo quisque muneri vacaret. Oblatus est inter alios Presbyter: hunc Rex, quam artem profiteretur, sciscitatus, sacerdotem se esse Christianorum respondit: & omnes artes, & omnium Regum quamcumque potentiam suũ ministerium superare. Rex se intueri velle istiusmodi ministerium, & vt istud in suo conspectu celebraret, mandauit: Sacerdos contrà respondit, destitui se vestibus sacris, & ceteris necessariis ad sacram rem péragendam, quæ apud Christianos in promptu esse solerent. Rex continuò iubet, vt è proximo Christianorum oppido om-

nia peterentur, quæ ad hoc ministerium celebrandum opportuna esse videbantur. Ara intra arcem erigitur, lapis sacratus illi superponitur, vestibus sacris presbyter amicitur; calix aderat, panis & vinum consecranda: & quintus tunc Nonarum Maij illuxerat, quo sollemnis Sanctæ Crucis inuentione festiuitas agebatur. Orsurus Missam sacerdos constitit, caussam Rex sciscitatus, Crucem deesse dixit, quæ consuesset huiusmodi ministerio & ritibus, illo die præsertim adhiberi: vix hæc effatus fuerat, cum fornice, qui altari imminebat, dehiscente, magnus splẽdor effulsit, & per illum hiatum duo Angeli de cælo illapsi, Crucem ligneam bipalmarem deferentes, super altare paratum deposuerunt. Stupet Rex Agarenus cum suis aulicis, tanto miraculo conspecto; & Christianis, qui aderant, lacrymæ obortæ, & singultus imo pectore eruperunt, & gemitus: pectus tundunt, clamorem attollunt, & gratias de tanto beneficio vix poterant Deo præ gaudio admirabũdi intonare. Rex cum aulicis Christianã fidem complexus, Christianos libertate donauit, & sacello intra arcem constructo & dicato Angelicam illam Crucem intra pretiosam arcam asseruandam reponunt; tribus hodie seris & totidem clauibus obsignatam: quarum vnam arcis præfectus, secundam templi maximi primarius sacerdos, tertiam Senatus Carauacensis habent. Singulis quibusque annis die tertio Maij, quo Crucis inuentio recolitur, & illa Crux ab Angelis fuit deportata, insigni pompâ, publicis supplicationibus, ex arce ad fontem copiosissimum lacum suis fluentis

efficientem, ferreis clathris obſeptum deducitur; & ter intra illas vndas ſubmergitur, eiuſque ſacro contactu illæ ſanctificantur; ita vt multis morbis & ægritudinibus deguſtantium ſubueniant. Ad hoc ſpectaculum innumeræ gentes & populi ex omni vndique Hiſpania confluunt, ſanctæ Crucis lignum illud adoraturi. Typum Crucis hîc adiicimus, qui talis eſt:



Quoniam autem in rebus Hiſpaniæ ſum, indignum fecero & genere Hiſpano indecorum, niſi Alphonſi Caſti, cui cognomentum ob cælibem & caſtam vitam inditum eſt, mentionem fecero. Hic Rex, cùm Oueti, vbi tunc Regia erat, inſigne ac ſumptuoſum templum in Sancti Saluatoris honorem ædificaſſet, cuperetque id multis & exquiſitis ornamentis, prout loci dignitas & maieſtas poſtulabat, inſignire; inter cetera, magnam quandam auream Crucem conſtruere, illamque plurimis ac precioſis gemmis, quas habebat, illuminare cogitauit. Quapropter peritiſſimos vndequaque exquiri & accerſiri aurifices iuſſit, qui operi huic conficiendo egregiam operam nauarent. Dumque hæc agitaret animo, ecce manè quodam egrediente è templo, quod conſtruxerat, poſtquam ſacris interfuiſſet, Regiamque repetenti, duo eleganti formâ iuuenes, qui ſub humana ſpecie Angeli erant, illi occurrerunt, & ſeſe primarios eſſe aurifices, deſideriumque eius percepiſſe aſſerentes, Crucem illam ad voti ipſius integram ſatisfactionem con-

ſtruere

ſtruere ſpondebant. Rex, qui id vehementer exoptabat, pergrato animo illos excepit. Re igitur cum iuuenibus communicata, tantum auri illis tribui mandauit, quantum ipſi neceſſarium eſſe dixerunt, & multitudinem gemmarum omnis generis ad crucem illam conficiendam, & regio ornatu illuſtrandam. Habitacula, officinam, inſtrumenta, & omnia quæ opus eſſe videbantur, intra palatium aſſignauit. Die verò ſequenti familiares nobiles aliquot miſit exploraturos, an manus operi admouere cepiſſent. Hi confeſtim reuerſi Regi nuntiant, domum reperiſſe deſertam, aurificesque nuſquam comperiſſe; verùm crucem iam abſolutam & perfectam inueniſſe, tanto ſplendore fulgentem, lucidosque adeò radios iaculantem, vt eam fixis oculis intueri nequirent. Rex nouitate rei permotus, ingenti admiratione obſtupeſcens, protinus magnâ nobilium aulicorum manu comitatus, aurificum cubicula feſtinanter adiit, vbi eos re verâ abſceſſiſſe comperit, crucem verò ibi relictam, & miro fulgore micantem cõſpexit, admirabilíque adeò & excellenti artificio elaboratam, quanto per manus hominum multis annis abſolui nequiſſet; neque verò eam venuſtatem & pulchritudinem citra diuinum miraculum humana induſtria attingere potuiſſet. Quamobrem pius Rex Dei erga ſe benignitatem & fauorem apertè agnoſcens, in gratias & preces ſe totum effudit; cruxque angelica magnâ veneratione adorata, loci Epiſcopum acceſſiuit, cleróque & populo conuocato, ſollemni pompâ è palatio regio crucem in templum Sancti Saluatoris deduxit; ipſe

quoque propriis manibus in ara ſacræ illius ædis maximâ reuerenter collocauit. Hæc eſt hiſtoria Crucis Ouetenſis, quam Angeli fabricarunt, quamque grauiſſimi ſcriptores, qui de rebus Hiſpanicis ſcripsêre, proſecuti ſunt, & inter eos Rodericus Ximenius Toletanus Archiepiſcopus lib. 4. c. 9. Lucas Tudenſis Epiſcopus in Chronicis Hiſpaniarum; Ambroſius Morales in vita Alphonſi Caſti, Alphonſus de Carthagena Epiſcopus Burgenſis in Anacephalæoſi, Hiſpan. Vaſquez in Chronicis Hiſpaniæ, Alphonſus Ciacon. de ſignis S. Crucis cap. 35. Cardinalis Baronius tom. 9. anno 791. ac demũ Iacobus Boſius lib. 6. de triumphanti Cruce, cuius ſtilo nos hæſimus, quòd ceteris placidior & elegantior.

6. Auguſtinus Mannus Congregationis Preſbyter in ſelectis Hiſt. multa memorat de Cruce & Angelis: imprimis cap. 187. hæc narrat, memorabile in primis quod Alphonſo Congorum Regi (quæ regio longè patet in Æthiopia) recẽs ad Chriſtum conuerſo accidit, qui deſtitutus à ſuis, & à fratre bello petitus, ad Chriſti ſolius opem confugiens, glorioſam victoriam retulit, cùm ipſe non tam pugnando, quàm Chriſtum, & Iacobum Hiſpaniæ patronum appellando, fratrem in fugam coniecerit; qui in fuga cum præcipuo quodam ex Ducibus captus eſt. Dux ille faſſus eſt, ſe nihil mirari Alphonſum tam egregiè viciſſe; ſe enim & ſuos non tam illius armis, quàm alio quodam fortiſſimo equitum exercitu, quẽ ſignũ illud, quod Chriſtiani adorant, præire videbant, in fugam præcipitatos. Alphõ-

ſus in memoriam tam celebris victoriæ, in qua aduerſarij ſignum crucis, & cæleſtem Angelorum militiam videntes fugati ſunt, Cruce deinceps pro inſigni vſus eſt, cuiuſmodi quidem narrationibus omnis antiquitas plena eſt.

7. Lubet intexere quidpiam ex Actis Procopij martyris citatum, & in Concilio Nicæno ſecundo recitatum, quod ad eandem Crucis & Angelorum hiſtoriam pertinet, quodque Card. Baronius tom. 3. Annal. narrat his verbis, quæ ex Actis deſumuntur Procopij: *Neanias, id eſt Procopius, gaudio magno perfuſus, & fide audens, rem bene geſsit, ſimiliter illius comites omnes. Ea autem nocte cum militibus reuerſus eſt. Venit autem Scythopolim, & omne ſodalitium aurifabrorum & argentifuſorum conuocans, interrogauit eos, dicens: Poteſtis mihi facere vas aliquod, quod ego tradam vobis? Illi verò hominis auſteritate deterriti, communi conſilio ſtatuerunt apud illum vnum ex omnibus, quem optimum artificem exiſtimabant, nomen illi Marcus erat, dicentes: Si quis eſt, qui voluntati tuæ, Domine, ſatisfaciat, hic erit.* & paulò poſt: *Marcus autem nequaquam obedire volebat iuueni: perſuaſit tamen tandem is dicens. Hoc myſterium Regi vſque ad vitam nunquam reuelabis.* Agebat enim cum eo, vt crucem, quam ferret ad collum ſuſpenſam, ex argento auróque conficeret. Itaque Acta: *Perſuaſus itaque Marcus, in abſcondito ex auro & argento noctu Crucem fabricauit. Cùm autem opus conſummatum erigeretur, tres in eo imagines apparuerunt. Scriptum autem erat Hebraico Dialecto in ſuperiore parte, Emmanuel, & vtrimque in*

summitate alarum Michael, & Gabriel. Voluit autem Marcus, sibi timens, expungere imagines: verùm non potuit: confestim enim manus illius sicca permansit. Sub gallicinium autem Dux, qui dicebatur Neanias, ad ædes Marci, quo Crucem auferret, properat. Videns autem illam, protinus adorauit. Ait autem ad Marcum, quæ sunt hæ personæ? quæque hæc inscriptio? Domine, in qua hora Crux à me erigebatur, imagines istæ per se enatæ sunt, neque ego cognosco, quænam, aut cuius sit inscriptio. Neanias verò cognoscens virtutem quandam in his esse, adoratâ Cruce, Marco artifici copiosam mercedem soluit, profectusque est in ciuitatem suam. Recitata hæc sunt in Concilio ab Stephano Diacono, & Referendario. Hic Neanias posteà dictus est Procopius, passusque sub Diocletiano. In hac narratione vides, quantum Angeli obsequiosi sint Cruci, cum eâ fabricatâ, Angeli quoque diuinitùs in ea impressi sint Michael & Gabriel.

8. Hinc est, quod in extremo iudicio Crucem Angeli portaturi sunt, quod Petrus Damianus (vt alios prætercam) sermone 2. de cruce his verbis notat: *Nolo autem vos lateat, fratres mei, quia in tremendi examinis die, beata Crux vlnis aduehitur Angelorum, & ante omnia ponitur ora mortalium. Non auro iam, vel gemmis ornata, sed radiantior erit Sole, vel stellis ex virtute diuina. Proposita certè tunc erit in eorum gloriam, qui eam diligenter ex charitate complexi sunt: & è diuerso in eorum opprobrium, qui eam post Redemptorem suum portare noluerunt.* Inde Ioannes Apocal.7. *Nolite nocere terræ & mari, &c. quoad vsque si-*

signemus seruos Dei nostri in frontibus eorum. Itaque sancti Angeli signabunt iustos signo sanctissimæ Crucis. Quare Andræas Cæsar. de extremo iudicio loquens: *Tunc enim fideles intrepidè citraque ruborem signaculum Crucis Christi in conspectu impiorum deferent.* Græcum enim σφραγὶς (quo vtitur) significat signaculum visibile. S. Ambrosius in lib. de Isaac cap. 8. *Signaculum Christus in fronte est, signaculum in corde, signaculum in brachio: in fronte, vt semper confiteamur; in corde, vt semper diligamus; in brachio, vt semper operemur.* Quapropter Origen. hom. 8. in Diuersos: *Gaudentes hoc signum leuemus in frontes, quod dæmones cùm viderint, contremiscant: nam qui aurea capitolia non timent, Crucem timent.* Hoc itaque signum Angeli ferent, de quo Chrysostomus orat. in Parasceue: *Quemadmodum enim Rege ingrediente, exercitus praeuntes signa humeris ferunt, Regisque ingressum annuntiant,* οὕτω τοῦ τῆς κτίσεως δεσπότου καταβαίνοντος ἐκ τῶν οὐρανῶν περιλαμβάνει τὰ στρατόπεδα τῶν Ἀγγέλων, καὶ τῶν Ἀρχαγγέλων, τὸ σημεῖον ἐκεῖνο βαστάζοντα, καὶ τὴν βασιλικὴν εἴσοδον ἡμῖν ἀπαγγέλλοντα: *Sic & Domino omnis creaturæ de cælo descendenti, exercitus Angelorum & Archangelorum signum illud ferunt, & regium ingressum nobis annuntiant* Et Theophanes Cerameus orat. in exaltationem S. Crucis: Καθ' ἣν ὁ σταυρὸς ὁρασθήσεται ὑπ' ἀγγέλων δορυφορούμενος. τότε γὰρ φανήσεται τὸ σημεῖον τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου, ὡς προσαναφωνεῖ τὸ ἅγιον εὐαγγέλιον: *Quo tempore Crux Angelicis choris comitata & circundata conspicietur, tunc enim parebit signum filij hominis, vt sacra Euangeliorum historia testatur.* Et Ezechiel

cap.9.de eadem Cruce loquitur: *Et dixit Dominus ad eum: Transi per mediam ciuitatem in medio Hierusalem, & signa Thau super frontes virorum gementium, & dolentium super cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio eius.*

9. Quin videre eſt cruces, in quibus Angelica opera elaborauit, dignas ſanè ingenti pretio. Sunt autem multæ admirandæ & ſupra capacitatem humanam prædicandæ cruces, de quibus mentionem aliquam facere non piguerit. Inter quas iſtas refert Nicephorus lib 10. cap. 2: *Vbi* (Iulianus) *in eius regionis* (Thraciæ) *montes peruenit, quum post vindemiam Vergiliæ occiderent, vites gemmis & vuis recentibus germinarunt, & ros ex aëre in ipſum comitesque eius ita diffuſus eſt, vt gutta qualibet in ſagis illorum crucis formam repræſentaret.*

10. Hector Boethius hiſt. Scotorum lib. 10. Soluto Hungo Pictorum regi intempeſtâ nocte in ſoporem, extemplò adſtans Apoſtolus Andræas iuſſit alacriori eſſe animo, nec hoſtium multitudine terreretur, plurimamque ſpem in diuina locaret ope: fore, vt glorioſiſſimam de Anglis poſtera die aſſequeretur victoriam. Mirum ſcribunt tunc accidiſſe ſupra Pictorum caſtra lucidã cælo apparuiſſe crucem illius inſtar, qua Apoſtolus Andræas pro Chriſti nomine ſupplicio olim erat affectus. Hancque Apoſtolum ipſi Hungo oſtendiſſe, addidiſſéque id oſtẽſum ante partam victoriam haud cælo defuturum. Experrectus Rex, milites iam tunc lucentem crucem intempeſta nocte admirantes edocet: quam fortunam D. Andræas ſibi, ſuóque

exercitui fuisset pollicitus: per quietem hortatus, prima luce alacres hostes pugnâ adorirentur numine sibi propitio, & aduerso hostibus, eoque eorum multitudinem minimè timendam. Sequuta Regis verba grata omnium vociferatio, quam hostes audientes, lucidam simul conspicati Crucem, quippiam mali portento tali sibi præsagientes ingenti pauore sunt perculsi. Picti, Scotique tanta vi in Anglos sunt inuecti, vt illi cùm impetum non possent sustinere, primum Nortumbri, mox tota acies impulsa terga dederit, & vix quingenti viri euaserint.

11. Matthæus Parisius in Chronicis ita refert: In villa de Bebon Frisiæ apparuit in aëre triplex forma Crucis, vna coloris candidi versus Aquilonem, altera versus meridiem eiusdem schemmatis & coloris. Tertia medio colore colorata, habens crucis patibulum & formam hominis in eo suspensi brachiis eleuatis, & extensis, cum infixione clauorum in manibus & pedibus, & capite inclinato. Et hæc media fuit inter alias, in quibus corporis humani effigies non apparebat. Alia quoque vice, & alio loco, in villa scilicet Frisiæ, quæ Fugerhuse appellatur, crux apparuit iuxta solem cærulei coloris, & hanc plures quàm priorem viderunt. Tertia apparuit in villa Docham, in qua B. Bonifacius martyrio coronatus est: vbi in festo eiusdem martyris cùm multa hominum millia conuenissent, visa est crux magna, & alba, ac si lignum trabis ex transuerso alterius trabis artificialiter construeretur. Mouebatur autem paulatim ab Aquilone ad Orientē, & hanc plurimi homines conspexerunt.

12. Thomas Cantipratensis lib. 2. Miraculorum cap. 9. discoloratas cruces, & ex omnibus mundi partibus quædam sanctissima Reclusa (vt ipsa mihi retulit) in Brabantiæ partibus vidit, cùm secunda expeditio ad purgandam Albigensium terram per Legatos Curiæ Romanæ missa fuit. Sed & Crux à multis populis, cùm in diuersis partibus prædicaretur, visa fuit manifestè. Necnon & ego fidelium nouissimus, antequam piissimus Ludouicus Francorum Rex anno ab Incarnatione Domini 1246 crucem transmarinam susciperet, crucem in cælo ex clarissimo & sidereo lumine vidi. Nec recolo me decentiùs & operosiùs formatam crucem vnquam sub aliqua materia vel figura vidisse. Octenos habere cubitos crucem ipsam in longitudine mihi planissimè visum est.

13. Alanus Copus dialogo 4. Decimo tertio Calendas Aprilis annosa quædam fraxinus in ea regione insulæ, quam veteres Cambiam, nos hodie Vvalliam appellamus, violento ventorum impetu ita est deiecta, & truncus arboris licèt mediâ parte sui totus vi tempestatis diffissus, & dissectus, radicibus tamen suis adhuc inhærescens ad septem vsque pedes è terra extaret: ecce verò cùm ita arbor vasta hiatu distenderetur, in parte arboris interiore crux humano pede longior apparuit, & quod magis mirere, eius pars quæ humi strata est, eandem per omnia crucis figuram referebat. Vt autem res hæc omnibus pene nostratibus innotesceret, inde factum est, quod cùm crux illa non subito euanuerit, sed aliquot annos, in eodem arboris trunco, non sine

ingenti intuentium ſtupore permanſerit, magnus foret, ac frequens populi, tam raræ, & celebris rei viſendæ gratia ad eum locum concurſus. Qui verò commode ſe non potuerũt eò recipere, ij ab aliis impetrarunt, vt eius crucis vera ex omni parte forma pictoris penicillo expreſſa ipſis exhiberetur cum his carminibus.

Hanc Crucis effigiem, pie lector, fraxinus ipſo
Quem legis hic anno, menſe, diéque dedit.
Arbor apud Vvallos Stradlingi creuit in aruis:
Hic torquatus Eques (ſi modò quæris) erat.
Tempeſtas oritur, fortis conſtringitur arbos,
Exhibet hanc mollis deinde medulla crucem.
Formam charta docet, nux auellana colorem,
Menſura, expreſſit quam tibi pictor erat.

14. Alphonſus Ciacon. tractatu de ſignis crucis hæc maximè exempla commemorat: Anno 1591 die 25 & 28 Maij in diuerſis Galliæ locis multæ paruæ cruces celitus illapſæ apparuerũt, quæ non ſolùm in templis conſpectæ in ornamentis altarium, & ſacerdotum veſtibus, ſed in priuatorum etiam conſuetis, quibus amiciebantur indumentis. Priores viſæ ſunt Corbeiæ vrbe Galliæ ita appellatę: poſteriores in multis Picardiæ vrbibus, veluti Ambianis, & Montdidier. Simile ſpectaculum oblatum in ſacris corporalibus, & mappis altarium ſuperpelliciis ſacerdotum, & veſtibus multorũ ciuium. Eadem Crucis ſimulachra poſt vigiliam Paſchæ die 14. Aprilis oſtenſa fuiſſe pariſiis in pleriſque templis, & aliis multis locis ſuper corporalia, & multas alias mappas, Eccleſiaſticorum, & laicorum veſtes. Vt nemo autem hæſitare de hoc miraculo poſſet, &

naturæ vires excedere hoc ostentum omnes clarè cognoſcerent, denuo Burgis nouæ Cruces exortæ, quæ priorum fidem confirmarent, ſicut ex doctoribus illius Academię conſtitit. Coloris autem fuerãt ligni alicuius vulgaris. Eſt vero *Bourges*, quæ latinè appellatur Bituris.

15. Nono Calend. Maij, hoc eſt die 23 Aprilis, inter horam 21 & 22 in Anglia, comitatu Nordfolciæ, circulus magnus in cælo apparuit cum aliis duobus minoribus, & tres ſoles, quorũ medius lucidior & ſplendidior erat, alij duo obtuſioris lucis, ſed talis quæ poſſet mediæ noctis tenebras illuminare. Solem medium circulus minor verſus Occidentem ambiebat maiorẽm ſecans. Maior alium circulum continebat, in cuius medio crux ſimilis illi apparebat, in qua S. Andreas Apoſtolus fixus mortem pro Chriſto ſubiit, hinc Septentrionem, illinc meridiem proſpectans. Ex aduerſo ſolis medij oppoſita circuli maioris proportione Orientem verſus crux alia Sancti Andreæ ingentior priori ſe oſtendebat, brachia duodecim vt videbatur longa, medium circulum veluti diuidens. Circulus maior hemiſpherium cingebat latitudine qua ſolet apparere arcus cæleſtis. Duo alij circuli, & duæ Cruces ſancti Andreæ albæ erant in pallorem quendam deſinentes. Hæc ſigna diuinitus in cælo oſtenſa clare viſa ab eis, qui Norduici vrbe comitatus Nordfolciæ, vel finitimis locis adfuerunt. Quidam tamen intentiùs contemplantes tres ſoles, & circulum maiorem, crucem mediam non aduerterunt, nec circulum minorem. Sed alij multi qui omnia viderunt hæc ad

Lõdonienſes ſcripſerunt.& ex epiſtolis multorũ Londino datis 23. Iunij, receptis Romæ 10 Auguſti, ſeries,& ordo rei geſt.r, & narratio nunciata. Hãc hiſtoriam refert Ciaconius, quam ſibi narrauit Ioſephus Creſquillus ex Societate Ieſu vir magni candoris.

16. De Albalatenſi Cruce dicam, quod rarum eſt. Inuitat me ſingularis deuotio, etiam ſi extra Angelos res acciderit, vnius canis venatici opera. Albalate oppidum eſt in extremis prope finibus Caracinorum, & extremum in ea parte Toletanæ diœceſeos, quæ ad ſolem Orientem ſpectat; ex eo duo adoleſcẽtes agri colẽdi gratia, ad Tagi vſq; ripas, qui fines alluit Albalatẽſes progreſſi sũt; & vt mos eſt illis qui regiones aut habitãt, aut obeunt ſylueſtres & venationibus opportunas, canem ſecum adduxere venaticum. Agebatur tunc annus milleſimus quingenteſimus decimus quartus, dies verò Septembris vigeſimus ſeptimus. Cumque noctem illam in agro ad Tagi ripam ponere ſtatuiſſent, canem apud ſe, de more, retinent, qui ſub mediæ noctis ſilentium, exoluit ſe, erupitque ad eam partem quam alluit proximè fluuius, & quaſi odoratus ibi aliquid, fodit terrã vnguibus, latratuq; ſignificat latere ibi precioſam aliquam, & opportunã prædam. Accurrunt adoleſcentes, cumque ſe deceptos eſſe putaſſent, reducunt canem, illumque multo quàm anteà accuratiùs aſtringunt. Erumpit autem rurſus, ac eodem ſe, vnde abductus fuerat, quàm ocyſſimè refert, latratuque iterum excitat, aduocatque dormientes; qui rurſus, vt ſibi videbãtur deluſi; cùm nihil deprehendiſſent

eorum, quorum causa accersiri se crediderant, fustibus canem male acceptum ad sua sibi cubilia reducunt, alligantque multo quàm anteà diligentius. Sed omnino frustra, rupit etenim iterum vincula sub lucem,& latratu iterum acuto magis atque frequenti dominos ad prædam aduocat, ac instigat. Accurrũt illi,& indefosso loco crucem inueniũt,donum planè cæleste, quo nulla aut gratior, aut magis optata venatio posset accidere. Nihil à longo illo situ,nihil è loco humenti,vt pote littorali rubiginis, nihil sordium contraxerat, recens diceres opus, & tunc primùm conflatum ab artifice;ex aurichalco, vt apparet inaurato, quod quatuor prægrandes gemmæ ornabant è crystallo, totidem ex eadem materia, à quibusdam catenulis ab vtroque brachio dependentibus: Quarum vnam Imperator Carolus V. cùm illac transiret, & sacrum illud atque celeste donum religionis ergo supplex inuiseret,secum abstulit, quæ adhuc in sacrario regio inter sacras gazas religiosè seruatur. Ex eo tempore dies ille, quo inuenta crux est, quotannis singulari celebritate colitur, in quam omnes eo studio, auiditatéque conspirant, vt nihil faciant reliqui aut operæ, aut sumptus. Referunt oppidani, cæpisse aliquando vicinam oppido syluam conflagrare, & increbrescente vento, qui flammam in oppidum versus inuehebat, eas vires incendium assumpsisse, vt non syluæ tantùm, sed sibi etiam, ac domibus oppidani timuerint, quos iam ab incendio calor, & fumus afflabat. Consurgunt ergo ad illud perfugium, quod in eo rerum articulo putabatur extremum: op-

ponunt flammæ ſalutare ſignum, quod è ſuo ſacrario religioſè produxerant, cuius virtutē ignis ſtatim ac ventus agnouêre; repente enim repreſſus eſt ignis, & ventus, qui ab aduerſa regione vehementer ſpirabat, ſubitò conſedit. Hoc trāſtuli ex Sanctio in Ezechielem.

17. Abſoluo rem hanc ingenti enarrato miraculo, quod accidit Pariſiis in Eccleſia Societatis noſtræ 24 Maij, in hunc modum. Itaque in Eccleſia S. Mariæ, quæ eſt Collegij Ieſuitarum magno numero cruces comparuerunt ſuper linteamenta altarium, & mantilia, quæ ſupponuntur ſacræ Communioni percipiendæ, & ſuperpellicium Concionatoris. Quæ res cùm diuulgaretur, totus populus conſerto agmine vndique confluxit vt cruces ſpectaret. Cùm autem turba per duas horas magnâ contentione concurreret, ecce nouus rumor ad eorū aures peruenit, ſimiles alias cruces in aliis templis denuò comparuiſſe. In ædibus Deiparæ Virginis à Furſcio, S. Vrſini, S. Petri, S. Hypoliti, S. Oſtrilli, & ſacratis pluribus aliis locis. Deſerta igitur Eccleſia Ieſuitarum, ad alias feſtini conuolant ciues ſeſe præ multitudine conculcantes, & prementes, maiori contentione quàm priùs: præſertim ad illam Deiparæ Virginis à Furſcio.

Angelorum pulchritudo & sapientia, qua nos defendunt.

CAPVT XXV.

1. DVo proposui, & probabo Pulchritudo Angelorũ talis est, vt nequeat verbis cõprehendi, nec mente concipi. Bernardinus Senensis de ea loquens, sic ait: *Minimus Angelorum existens in vita æterna est decies pulchrior quàm est pulcherrima anima quam fecerit Deus, exceptâ animâ Christi & Virginis gloriosæ.* De sancta Francisca Romana miræ sanctitatis femina scribit Auctor eius vitæ, formositatem Angelorum duorum, quæ Virginem Mariam comitabantur, adeò excellentem esse, vt obstupescere quis posset, quæ formositas ipsi sanctæ Franciscæ visa est aliquando. Auctor itaque eius vitæ ita ait: *Vestes erant candore plerumque niueo, aliquando cæruleo, rariùs purpureo colore; alter impressa semper in crucis modum brachia pectori opprimebat; alter ex auro tres palmæ ramulos dextera præferebat; vterque quamuis vicini essent virgini (& prior ille latus claudebat semper) in cælum defixos habebat oculos. Vtrique prolixa, & aurea cæsaries; vtrique ea claritas vultus, vt præ altero Sol ipse minùs aliquando luceret; præ altero, nubeculæ instar obscuræ esse videretur.* Age iam si scias, explica mihi qualis sit ista pulchritudo? cuius in conspectu sol ipse lucentissimus instar nubeculæ obscuræ appareret. Verè Brigitta dixit cap. 8 Reuelat. *Si videres spiritualem pulchri-*

tudinem Angelorum, & animarum sanctarum, corpus tuum non sufficeret videre, sed corrumperetur, quasi vas corruptum & putridum propter gaudium animæ ex visione. & Cæsarius lib. 8.c.7 dicit: *Staturas Angeli habēt humanas facies virginibus simillimas, genas ad instar rosarum rubentes, & reliquis membris intectis niue candidiores.* Vnde S. Dionysius in Cælesti Hierarch. ita definit Angeli pulchritudinem: *Angelus est imago Dei, manifestatio occulti luminis, speculum clarum, clarissimum, immaculatum, incoinquinatum totum (si conueniens est dicere) suscipiens in se pulchritudinem omniformis Dei formositatis mundæ, resplendere faciens in se bonitatem silentij.* Inde Lucas in Actis, vt formosissimum fuisse Stephanum indicaret, ait: *Intuentes in eum omnes, qui sedebant in concilio, viderunt faciem eius tanquam faciem Angeli.* Et sancta Ludouina dicere solita erat: *Nullus dolor est, nulla tanta animi angustia & ægritudo, quæ non facillimè euanescat, si mihi vultum Angelicum liceat contemplari.* Ambrosius floribus comparabat super Luc.12. *Angeli verè istius mundi flores sunt, quorum claritatibus ornatur mundus, & bonum odorem sanctificationis spirant.* Christianus Monachus interrogatus de Angelorum pulchritudine, respondit se vidisse eos in specie pulcherrima auium. Narrat Cæsarius lib. 7. cap. 16. Dionysius Exiguus in vita S. Pachomij: *Assiter vnt super eum* (Pachomium) *Angeli lucis, & iuuenis in medio eorum ineffabili pulchritudine atque claritate resplendens, qui instar solis ex se fulgoris radios emittebat,* &c. & Nazianzenus orat. de

Natiuitate Christi, loquens de Angelis, ita ait, καὶ οὕτως ὑπέστησαν λαμπρότητας δευτέρας, λειτουργοὺς τῆς πρώτης λαμπρότητος: *Atque ita secundi splendores procreati sunt, primi splendoris administri.* & infrà de iis intelligentiis, καὶ τὰ πρῶτα ἐκ Θεοῦ λαμπομένας: *Primario Dei fulgore collucentes.* & orat. de S. Baptismo: δεύτερον δὲ φῶς ἄγγελος τοῦ πρώτου φωτὸς ἀπόῤῥοή τις ἢ μετουσία, τῇ πρὸς αὐτὸ νεύσει καὶ ὑπουργίᾳ τὸν φωτισμὸν ἔχουσα: *Secundum lumen est Angelus primi illius velut riuulus quidam aut participatio per propensionem ad illud ac ministerium illuminationem habens.* & suprà dixerat: τοῦτο δοξάζουσιν οἱ ἄγγελοι, διὰ τὸ συγγενὲς τῆς λαμπρότητος: *Hũc Angeli celebrant (baptismum) propter cognationis splendorem.* & orat. in laudem Hieronis philosophi Alexandrini ob fidem in exilium missi, ac post triennium reuersi: εἴπερ ἀγγελικὸν ἡ λαμπροφορία καὶ ἡ φαιδρότης, ὅταν τυπῶνται σωματικῶς, σύμβολον οἶμαι τοῦτο τῆς κατὰ τὴν φύσιν αὐτῶν καθαρότητος: *Siquidem Angelicum est vestitus candor & splendor, cum corporea forma pinguntur, ad signandã, ni fallor, naturalem ipsorum puritatem.* Dixi iam de pulchritudine & formositate, dicturus plura cùm agam de indutu vestium, & de ratione qua assumit humanam formam, in quibus locis sese offeret occasio loquendi de Angeli pulchritudine.

2. Ad sapientiam pergo, qua imbuti Angeli ab initio, sciunt esse boni consiliarij nostri, quam mihi exhibet Albertinus; nam si Angelos consideremus quoad scientiam suam, quæ est eorum perfectio, naturaliter dotati sunt intellectu tam perspicaci, & cognitione tam profundâ vniuersę

naturæ

naturæ, & creaturarum omnium; nihil vt in mundo cum materia coniunctum, vel ab ea separatum; incorruptibile, aut caducum; tempore finitum, aut sempiternum sit, quin intimè ac secundùm omnem suam partem illud intelligant. Vnde non sine causa propter incredibilem cognoscendi perfectionem communiter nominãtur puræ mentes, & simplices intelligentiæ. Cognoscunt certissimè & euidentissimè omnia obiecta necessaria, eorumque essentias ac proprietates, neque originem vniuscuiusque per effectus suos diuturna sollicitudine venari necesse habent, sed quamcumque in rem mentem dirigunt, mox totam eodem instanti perfectissime tuentur. Nec tãtùm perspicuè Angelus obiecta necessaria, verumetiam omnes actiones nostras, quæ imperio voluntatis extrorsum prodeunt, & in intellectu ipsius apparent tanquam in lucidissimo speculo; idcirco enim crediderim Angelos assimilari speculis illis quæ in tabernaculo affixa erant, non tantùm ad sacerdotum vsum, sed etiã vt quicquid in templo rerum ageretur repræsentarent.

3. Nihilominus tamen, licèt hucvsque dicta cum veritate consonent, non fuissent Angeli per naturam suam sufficientes ad custodiam hominum, nisi diuina bonitas, quo certiores redderemur de salute nostra, abundantiùs in illis suppleuisset, quod deerat. Enimuerò carebant notitiâ humanarum cogitationum, quæ tamẽ cùm indies machinentur nobis ruinam spiritualem, ipsis tanquam ducibus ac custodibus nostris, vt securiùs per eos ab omni periculo eripi & dirigi

possemus in viam salutis reuelari debuerunt, & modo quidem prorsus supernaturali ac diuino: quia profectò alias neque ex ipsorum, neque ex nostra parte illis manifestæ fuissent. Non ex conditione ipsorum, cùm enim Angeli sint creaturæ conuersabiles, non conuenisset illis clara cognitio cogitationum cordis nostri, aliquando sublatus fuisset conuictus politicus, qui subinde exigit hæc vel illa conseruari secreta. idcirco Deus sibi soli secreta, tanquam Gubernatori & vniuersorum Domino notitiam hanc cogitationum hominum retinuit. Et hæc est doctrina Doctorum Ecclesiæ, & consona cũ sacris literis Hierem.17. *Prauum est cor hominis, & inscrutabile, quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans corda, & probans renes, qui do vnicuique secundùm opera sua.* Quibus verbis reprobatur opinio quorumdam, qui dixerunt, quod dæmones cognoscunt cogitationes hominum, quia Augustinus dixit 12 super Genes. ad literam: *Mali Angeli cogitationes nouerunt, quia multa prædicunt, quæ non prædicerent, si cogitationes non nouissent.* Etenim duplex est cognitio, altera certa, & illam non dæmones assequuntur, nec possunt rimari: altera cõiecturalis, quæ per aliquos motus & signa exteriora habetur, ex quibus cõiecturaliter cognoscuntur interiora; & hanc dæmones habent. & de hac intelligendus Augustinus, vnde de cognitione certitudinis idem Augustinus loquens in lib. de Ecclesiast. dogmatib. inquit: *internas cogitationes animæ diabolum non videre certi sumus, multo autem minus potest vnus homo scire secreta cordis alterius.* Vnde idem Au-

gustinus in quodam sermone ait: *Nemo scit quid agatur in homine, nisi spiritus hominis, qui in ipso est.* & Scriptura Sacra in Paralip. dicit lib. 1. cap. 18. *Omnia enim corda scrutatur Dominus, & vniuersas mẽtium cogitationes intelligit.* & Salomon Paralip. 2. cap. 6. *Redde vnicuique secundùm vias suas, quas nosti, eum habere in corde suo, tu enim solus nosti corda filiorum hominum.* & psalmo 7. *Scrutans corda & renes eius, ipse enim nouit abscondita cordis.* & Salomon Sapient. 1. *Quoniam renum illius testis est Deus, & cordis illius scrutator est verus.* Seneca epist. ad Lucillium: *Quid prodest aliquid ab homine esse secretum? Nihil Deo clausum est, ipse cogitationibus nostris interuenit, vt nunquam inde discedat.* Sed neque Angeli boni cognoscunt secreta cordis, licèt Hermes in libro quem fecit de quatuor materiis dixerit, quod sic cognoscunt, tamen in cõtrarium est S. Thomas lib. Summæ, & omnes Theologi in 4. Sent. distinct. 8. vbi concludũt, quod cogitationes intrinsecæ cognoscantur à solo Deo, propriâ virtute. Ipsi enim nihil est absconditum, vt habetur ad Hebr. 4. *Omnia nuda & aperta sunt oculis Dei.* & 1. Ioann. cap. 3. *Maior est Deus corde nostro, & omnia nouit.* Iobus cap. 42. *Scio quia omnia potes, & nulla te latet cogitatio.* Ecclesiastici 7. *Non te iustifices ante Deum, quia cognitor cordis ipse est.* Inde fatuitas illorum deprehendenda est, qui delinquentes gaudent ab hominibus non videri; nec cogitant Deũ omniũ secretorum, omniumque cordiũ esse inspectorem. vnde Ouidius 4. Metamorphos.

Aspiciunt oculis Superi mortalia iustis.

Vnde ergo placere debemus illi Deo, qui ſtudia noſtra diſquirit, examinat, nouit. Sed neque ex parte noſtra cogitationes noſtræ apertæ ſunt Angelis naturaliter, id eſt, nos durante hac vitâ non habemus modum aliquem manifeſtandi Angelis id quod mente tractamus. Nam ſublatis ab homine vſu vocis articulatæ, aliisque geſtibus corporeis ſignificantibus determinatum conceptum, anima noſtra nuda ac ſola remanebit in explicandis conceptibus ſuis.

4. Si itaque Angeli naturaliter tam ex ſua, quàm noſtra parte non ſunt ſufficientes ad comprehendendum cogitationes noſtras; conueniēs ergo fuit diuinam ſapientiam inuenire medium aliquod, quo clara & euidens earum cognitio illis communicaretur, nempe reuelando diuinū verbum, in quo quaſi in ſpeculo omnia cogitationum noſtrarum momenta conſiderant. Atque adeò quemadmodum ſancti in cælo (iuxta D. Thomam 1. p. quæſt. 12) vident in Deo ſine vlla obſcuritatis nebula aut incertitudinis, quicquid in præſenti mundo efficitur aut cogitatur, pertinens ad ſtatum ſuum. Pater enim intuetur è cælo omnes actiones & cogitationes filij, & aliorum, qui titulo aliquo ſibi coniuncti ſunt. Inſtitutor religionis cuiuſpiam eodem modo omnes actiones & cogitationes illorum, qui ordinem ſuum colunt, & ceterorum qui progreſſui & conſeruationi eius cooperantur. Sic Angeli fixâ in Deum mente vident in Verbo quidquid perſonas ſibi ſpecialiter commendatas cōcernit.

5. Quæ cùm ita ſint, nihil fuit conuenienti u

quàm custodiam hanc & gubernationem hominum committi Angelis, qui vt sapientissimi intelligunt omnes defectus & necessitates nostras, vt eis subueniant in tempore.

Angeli portant animas nostras in cælum.

CAPVT XXVI.

1. QVID non sibi iustus faustum auspicetur, cùm Angeli animas in cælum portaturi sint? Audi Chrysostomum serm. de S. Droside martyre. Κἂν ἐν ἐρημίᾳ, κἂν μηδενὸς περιστέλλοντος, κἂν μηδενὸς παρόντος καταλύσῃ τὴν ζωὴν ἱκανὸν ἐντάφιον λαβὼν ἄπεισι, τὴν πρὸς τὸν Θεὸν παῤῥησίαν, θαυμαστὴν ἔχει τὴν ἐκφορὰν ἀγγέλων παρόντων, καὶ ψυχὴν ὁδηγούντων, καθάπερ ἦν ἐστιν ἀποδεῖξαι ἐπὶ τοῦ Λαζάρου: *Licèt in deserto, licèt nemine obuoluente, licèt nemine præsente vitam finiat (iustus) sufficientes exsequias ex hac vita discedens habet, fiduciam apud Deum, & admodum honorificè præsentibus Angelis, eiusque animam deducentibus effertur, quemadmodum priùs ex Lazaro demonstrabit.*

2. Quot huiusce rei exempla sunt in vitis Sāct. Patrū! Simeon Stilita sic asserit ad hāc rē: *In die sui exitus stipant animā boni Angeli, nec ab illo aduersario eorum dæmone eam sinunt contingi: etenim in gaudio & exultatione cum sanctis proficiscitur, & Angelis victoriæ hymnos concinentibus Deo, necnon eam Seruatori Christo, & gloriæ Regi offerentibus, ipsumque cum ea simul adorantibus, cum vniuerso cælesti exercitu in quietis locum perducitur ineffabilem, in lumen perpetuum.* Af-

fert Antonius Vascõcellus. In vita Antonij magni ab Athanasio conscripta, cap. 32 dicitur, quod sedente eo in monte, & oculos tendente in cælum, vidit animam lætantibus in eius occursum Angelis, ad cælum pergere. Cuius spectaculi nouitate stupefactus, orauit vt sibi cognitio huius rei panderetur. & statim audiuit, istam esse animam Ammonis monachi, qui in Nitrio morabatur, & propter eam Angeli lætantes ibãt comitaturi illam vsque ad thronum Dei.

3. In vita S. Pachomii dicitur, illum dum pergeret inuisurus fratrem ægrotum, in ipso itinere vidisse animam veloci cursu ab Angelis ad beatam vitam perennemque sustolli. Hæc habentur cap. 40 Dionysii Exigui, qui vitam Pachomii vertit ex incerto scriptore Græco. Onufrio animam agente, eam ab Angelis susceptam, vnáque cum Angelis Deum laudantem, comites, qui aderant, viderunt. In vita S. Onufrii ita legitur: *Repentè vocem Angelorum multorum audiui laudantium Deum, & in discessu sanctißimæ animæ S. Onufrij, æthera scilicet Angelicis cãtibus resonãtem, gaudium ineffabile astris intulerunt, per quæ cælestes exercitus animam militis inclyti innexerunt.* In vita Pauli Eremitæ: *Cumque iam dies illuxisset alia, & trium horarum spatio viam remeauisset* (Antonius) *vidit inter Angelorum cateruas, & inter Prophetarum & Apostolorum choros niueo candore* (Paulum) *fulgentem in sublime conscendere.* Et alio loco: *De cuius* (Syluani) *exitu testatus est beatus pachomius, quòd multitudo Sanctorum Angelorum cum magna lætitia sumentes animam eius, velut electam hostiam*

Christi conspectibus obtulerunt. Et de anima S. Antonii ter maximi ita Athanasius cap. 59. *Verba finierat, & osculantibus se discipulis, extendẽs paululum pedes, mortem lætus aspexit: ita vt ex hilaritate vultus eius, Angelorum sanctorum, qui ad perferendam animam eius descenderant, præsentia nosceretur. in hos intuens, tanquam amicos videret, animam exhalauit, & additus est patribus secundùm ordinem scripturarum.* Et Pachomius cum signaculo Christi se muniret, atque Angelum lucis, qui fuerat ad se directus, adspectu intueretur hilari, sanctã reddidit animã. In vita sancti Stephani viri Dei narrat S. Gregorius lib. Dialog. omnes vidisse ingredientes Angelos, cùm moreretur.

4. B. Isaias Abbas in oratione de animæ gaudio Deo seruientis, sic ait: *Quonam gaudio affici debet animus illius, qui Dei se addixit seruituti, & in eo studio se grauiter gerit, cùm considerat Angelos sibi ex hac vita discedenti obuiam venturos, gratulaturosque, quod ex tenebrarum potestatibus fuerit liberatus. Cùm enim anima è corpore egreditur, Angeli cum ipsa proficiscuntur: tunc autem occurrunt illi omnes tenebrarum potestates, exquirentesque si quid in ea proprium inueniant, vt eam sibi vendicent; contrà verò tunc Angeli pugnant*, &c. & infrà: *Quod si opera bona vicerint, tunc ei præconium canunt Angeli, donec cum lætitia Deo occurrat.* Anselmus in Elucidario: *Cùm iustus in extremis agit, Angelus sui custos cum multitudine Angelorum venit, & animam sponsam Christi de carcere corporis tollit, & cum maximo dulcissima melodia cantu, & im-*

mensolumine, ac suauissimo odore ad cæleste perducit palatium, in spiritualem paradisum. Iulianus Archiepiscopus Toletanus de origine humanæ mortis, cap. 10. *Cùm imminente morte, anima à corpore separantur, Angelos ibi adesse fatendum est, qui exeuntes à corporibus animas iustorũ accipiant, & piorum receptaculis introducant.* Quod probat ex eo, quod in Euangelio legitur de Lazaro mendico, quem Angeli ad sinum Abrahæ portauerunt. Cùm aliquando Eremita, vt legitur in vitis Patrum, exoptaret vehementer scire, vti anima euelleretur ex corpore, villamque pergeret, vidit hinc inde Michaelem & Gabrielem, quorum Michael dixit (peregrinum quippe pauperem vicinum morti comitabãtur) *Missi sumus, vt sine dolore & violentia euciatur. Et cùm clamaret ad Dominum peregrinus, misit Deus cytharedum Dauid cum cantoribus Hierusalem, quorum cantus audiens anima exiens, inter manus Angelorum cum gaudio in cælum deducta est.*

5. Cùm verò Paulus dixit, mitti ad nos Angelos propter eos *qui hæreditatem capiunt salutis*, significari finem & terminum ministerij Angelorum, clarum est, vt scilicet homines perducant ad salutem. Vltimum enim Angelorum officiũ est, animas sanctas ducere in cælum. Quemadmodum anima Lazari ab Angelis deportata est in cælum, Luc. 16. Itaque Angeli neque post mortem hominem deserunt, potiùs adsunt, vt comitentur illam vsque ad cælum, & Diuinæ Maiestati oculis repræsentent; hic est enim fructus custodiæ illorum, de quo non obscurè me-

minit Deus in Exodo 23. *Mittam Angelum meũ qui præcedat te, & custodiat in via, introducat te in locum, quem præparaui.* Vnde si contingat mori hominem in gratia Dei, posteà quàm pro peccatis suis plenariè satisfecit, introducitur per eum anima illius non absque indicibili applausu in Paradisum, id quod luculenter exemplis tam sacræ scripturæ, quàm historiarum Ecclesiæ probari potest. Et vt omittam Scripturam, narrat Laur. Surius animam B. Guilielmi Abbatis visam fuisse à quodam ipsius discipulo Gomundo eleuari per duos Angelos, quorum vnus sinistrã ipsius, alter dexteram tuebatur, penè innumerabili diabolorum turbá subsequente ac vociferante: è quorum aliquot cùm Gomundus percontaretur, quò tenderent, & quid negotij sibi cum Guilielmo transigendum proposuissent? Respõderunt, vt hominem in diuino iudicio accusemus. Sed propulsi à Custode Angelo dicto, citiùs disparuerunt. Per eosdem Angelos vidit S. Benedictus in monte Cassino animam sancti Germani Episcopi Capuæ ad cælum transferri; quinetiam multò ante habitationem immortalitatis pro illa per Angelos præparari: quemadmodum de S. Fulgentio scribit Surius, conspexisse eum portari per Angelos ad cælum duos lectos superbissimè adornatos, & voce magnâ quosdam è numero illorum exclamasse: In duobus hisce lectis requiescunt magni duo viri Anselmus Archiepiscopus Cantariensis, & Hugo Abbas Cluniacensis, quos hodie merita sua ad cælum extollunt. Et sanctum Aidanum Episcopum Cuthbertus vidit ab Angelis ferri in cælũ,

vt ſcribit Vſuardus 30 Auguſti. De S. Nicolao Tolentino in eius vita narratur: ante ſuum obitum menſibus ſex qualibet nocte, ante preces nocturnas auribus ſuis cantiones audiuit angelicas, longè ſuauiſſimas, adeò vt diceret *Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto.*

6. Si verò acciderit animam ad Purgatorium deduci, neque verò tunc ſancti Angeli illam deſerunt, quin conſolentur, non enim rationi conſentaneum eſt, vt dæmones illam territẽt. Quin aliud officium S. Thomas Angelis impertit, vt videlicet colligant cineres humanorum corporum; nam vt initio dixi, omnes creaturæ corporales Angelorum imperio ſubiiciuntur, idque per motum localem. Poſtremo tempore vniuerſalis reſurrectionis, ſeparabunt iuſtos ab impiis. *Exibunt Angeli*, inquit Euangeliſta, *& ſeparabunt impios de medio iuſtorum.* Valde autem probabile eſt facturos hæc Angelos Cuſtodes, vt vltimo iſto actu officium quod hactenus exercuerunt, circa perſonas ſibi commendatas concludant.

7. Libet Raderi noſtri de ſtatu morientium ſyntagma, quod non ita pridem latinè conuertit, afferre, vt quod pertineat ad intelligentiam morientium ab Angelis ſuſceptorum. itaque ille ſic: *Vt intelligeremus animas ad locum quietis proficiſcentes ab Inferorum Tyranno & perduellibus Dei ſpiritalibus intercipi. Et hinc eſt, quod animas noſtras à corpore excedentes Angeli ſancti recipiãt.* Pergit idem Syntactes: *Ita & Martyrius Antiochiæ Pontifex in eadem epiſtola teſtatur. Dum anima è corpore emigrat, ſtatim ei poſt digreſſum cæli-*

tes occurrunt Angeli, ſimulque deterrima dæmonum caterua, vt illam vel hi, vel illi ad ſedes prateritæ vitæ actis, ſiue bonis, ſiue malis conuenientes, deducant ad extremum vſque mundi diem cuſtodiendam, quo die omnes ad tribunal perducemur. Et vel ad vitam quietam, beatam atque ſempiternam, vel ad æternum vltricium flammarum incendium deſtinabimur. Quod Deus cùm vellet per quandam veluti ſimilitudinem oſtendere, fecit vt in Moſi defunctione Michael Archangelus cōpareret, & cū aduerſario ſuo, malo dæmone, de Moſi corpore pugnaret, eumdemque repelleret, ac Domino rerum conditori iudicium hoc permitteret, vti nempe diſceremus, anima poſtquam ex corpore exceſſit, certamen inſtare, nobiſque ad Angelorum auxilia comparanda bonis operibus opus eſſe, quando hoſtes contra nos odio & inuidiâ ardent, fremuntque.

8. Et facit ad rem illud Cæſarij de illuſtribus miraculis lib. 8. cap. 45. de Virgine Chriſtina, quæ cùm eſſet in mentis exceſſu, vidit ſuper altare mitram magni decoris pendentem, & cùm requireret ab Angelo, quid futurum eſſet de anima cuiuſdam ſacerdotis, quem ſpecialiter diligebat, cuius tunc recordabatur, reſpondit: *Cùm obierit, mitrâ hac capiti eius impoſita ante Dominū illū repræſentabo.* Apollonius: *Quē putas Angelum iſtum fuiſſe?* Cæſarius: *Sanctum Michaelem, qui, vt dicit autoritas, Præpoſitus eſt Paradiſi; cæteris enim Angelis diligentior eſt circa genus humanum.* Quod autem dixi de animabus ad loca Purgatorij deductis, non à dæmonibus, ſed ab Angelis, facit idem Cæſarius lib. 1. cap. 32. qui

dicit, *Dæmones non ausos tãgere animam electam de corporis ergastulo egredientem, sed beatos Angelos ad loca illa deportare. Tali exemplo ad rem firmandam vtebatur: non scilicet decere vt carbonarius purgaret aurum, sed aurifex.* Et lib. 11. cap. 14. sic ait: *Sancti Angeli morientium animas deducere nituntur in cælum, sicut Angeli mali eas detrudere conantur in Infernum.*

Angelorum nobilitas, dignitas, ac solicitudo: interdum timendi Angeli.

Caput XXVII.

1. Tria dixi. primum, de nobilitate Angelorum dicturus, placet illud Anselmi in quodam sermone dicentis, quòd si vnus Angelus staret in cælo stellato, & tot essent soles quot sunt stellæ, claritas istius solius Angeli obfuscaret omnes illos soles sua claritate: sicut modò claritas solis obfuscat claritatem stellarum. vnde S. Bernard. serm. 19 in Cantica. *Si Regis palatium intres, nonne cum cathedris plenum sit, regia sedes in eminenti posita cernitur? vt non opus sit quærere, vbi Rex sedere soleat, nimirum mox occurrit manifesta sedes cæteris altior, ornatiorque sedilibus; sic quoque omni decoris ornatu cunctis aliis præeminere spiritibus, istos intellige, in quibus speciali quodam stupendæ dignationis munere, diuina eligit residere maiestas, vt illos, tanquam propriam sedem, suâ principalius illustret præsentiâ.*

2. Ad nobilitatem Angelorum spectant sermones illi, quos habituri cum sanctis animabus

in cælo, vbi quiſque eorum rationem reddet omnium, quæ mortales paſſi in hac terra ſunt. Quæ familiaritas magnæ nobilitatis indiciũ eſt, de qua Auguſt. loquitur in communibus ſermonibus, ſerm. 6. *Iuſti in illa inenarrabili gloria cum ſe in lumine viderint, intra ſemetipſos ſinguli obſtupeſcent, & dicent: Putas ego ipſe ſum? & quomodo huc gloriæ dignus inuentus ſum? Angeli etiam accedentes cum gaudio magno ad ſanctos, narrabunt eis conuerſationem eorum immaculatam, Continentiam, Vigilias, Orationes, Voluntariam paupertatem, frugalitatem, perfectam patientiam, ſitis & famis tolerãtiam, omnia quæcumque propter Chriſti charitatem æquanimiter pertulerint. Hæc autem omnia ſanctis Angelis cum exultatione dicentibus, reſpondebunt omnes; iuſti dicentes: Conſtituti in terris omninò nec vnâ die perfectè viximus, nec vllum opus bonum à nobis geſtum eſt. Iterum verò Angeli commonefacient eos, & locum ac tempus eis referent, ſuorum bonorũ operum, atque admirãtes eorum humilitatem glorificabunt Deum, videntes in cælis corpora ſanctorum ſuper lumen reſulgentia, quia in terris voluntariè afflicti ſunt, & patientiam ſuam immaculatam veſtem, ac margaritam pretioſiſſimam poſſederunt. Item quia in agro theſaurum abſconditum inuenerunt, & vendentes omnia quæ ſunt ſuper terram, illum ſolũ mercati ſunt.* Nihil ſanè eſt nobilius quàm curas inter ſe partiri Angelos ſine inuidia alicuius: vt indicat etiam idem Auguſtinus in epiſt. ad Cyrillum, vbi beatorum vitam mirificè deſcribit hunc in modum: *Noueris quod reuerentia, quæ ſingulis ſanctorum exhibetur, cete-*

ris omnibus exhibetur. Nec putes quod in cælo sit aliqua inuidia vt in mundo; sicut enim in mundo quilibet hominũ cæteris præesse magis vellet, quàm subesse, ita in cælo per charitatem ineffabilem, quâ se inuicem diligunt beatæ animæ, quilibet sanctorum ita alterius gloriâ gaudet, sicut suâ, quoniam vellet quisque maior, vt quisque minor sibi esset æqualis, & pene maior, quia eius gloria esset sua. Nam minor ita maioris gloriâ gaudet, sicuti eam haberet, nec vellet eam habere, vt ille non haberet, imò potiùs de sua, si fas esset, sibi impartiret, vnde gloria singulorum est gloria cunctorum. Igitur hæreamus Anselmo in Monologio cap. 1. *In illa perfecta charitate innumerabilium Angelorum bonorum & hominum, non aliter gaudebit quisque pro singulis aliis, quàm pro seipso.* Et Cyprianus in epist. ad fratres de mortalitate, vbi mirificè sanctorum vitam detegit. *Qualis illa cælestium regnorum voluptas, sine timore moriendi, & cum æternitate viuendi? quam summa & perpetua fœlicitas? illic Apostolorum gloriosus chorus, illic Prophetarum exultãtium numerus, illic Martyrum innumerabilis populus, ob certaminis & passionis victoriam coronatus, illic triumphantes virgines, quæ concupiscentiam carnis & corporis, continentiæ robore subegerunt, illic remunerati misericordes, qui alimentis & largitionibus pauperum iustitiæ opera fecerunt. Qui dominica præcepta seruantes, ad cælestes thesauros terrena patrimonia transtulerunt. Ad hos, fratres charissimi, cum auida cupiditate properemus, & cum ipsis citò esse, & ad Christum venire contingat optemus.*

3. Sed nihil magis ad nobilitatem pertinet,

quàm ſcire à quibus hoſtibus nos Angeli defendant. Ab omnibus vtique, à dæmonibus, ab hominibus, à feris, à rebus inanimis, & quod maius & mirabilius eſt, ab ira Omnipotentis Dei. De dęmonibus apertum teſtimonium habes in libro Tobiæ, vbi Angelus Raphael dæmonium Aſmodæum in ſolitudinem Ægypti relegauit, vt neque hominibus, neque pecudibus, neque arboribus nocere poſſet. Et quàm frequenter putas, Dæmones, qui nobis adſunt, & qui ſummo odio nos perſequuntur, vel in ignē, vel in aquas, vel in foueas nos proiicerent, vel per ſe etiam in partes diſcerperent, niſi Angeli noſtri potentiam formidarent? Certè S. Hilarius & S. Cyrillus hanc potiſſimam cauſam eſſe volunt cuſtodiæ Angelorum. Quod verò etiam ab hominibus malis Angeli nos eripiant, teſtis erit S. Iacob, qui in Geneſi dicit, *Angelus Domini eruit me de cunctis malis*. Teſtis Ioſue, pro quo contra Chananæos Angeli pugnauerunt: Teſtis Ezechias, qui centum octoginta quinque millia Aſſyriorum hoſtium ſuorum ab Angelo trucidata eſſe vidit. Teſtis Eliſeus, quem integer exercitus Angelorum contra impetum Syriorum defendebat. Teſtis caſtiſſima illa Iudith, quæ cùm ad ſuos rediret Holoferne trucidato, dicebat: *Viuit Deus, quia cuſtodiuit me Angelus eius, & hinc euntem & ibi commorantem, & inde huc reuertentem*. Teſtis denique, vt alios multos prætercam, Theodoſius iunior Imperator, quo cum Perſis & Saracenis pugnante, circiter centum millia Saracenorum in fluuium Euphratem Angelus Domini præcipitauit, vt Socrates tradit.

Iam verò quod à feris nos Angeli defendant, ex Tobia & Daniele facilè cognosci potest, quorũ prior ab ingenti quodam pisce liberatus, posterior in lacu rugientium leonum Angeli præsidio securus fuit. Nam de rebus inanimis quid ego dicam, cùm etiam in fornace ignis ardentis tres pueros Angelus incolumes & illæsos conseruauerit? sed summum maximumque beneficium mihi esse videtur, quòd Angeli sancti, cùm Deũ nobis iratum esse vident, patrocinium nostrum suscipiant, & tanquã diligentes aduocati Deum orare, placare, flectere, nobis reconciliare summo studio laborent: veniat in mentem parabola illa Domini de ficulnea sterili, de qua Dominus vineæ agricolæ dicebat, *Ecce tres anni sunt, ex quo venio fructum quærens in ficulnea hac, & non inuenio: succide ergo illam, vt quid etiam terram occupat?* Agricola verò pro ficulnea Dominum exorabat, atque aiebat, *Domine, dimitte eam etiam hoc anno, donec fodiam circa eam, & mittam stercora.* Istæ ficulneæ nos sumus: vinea est Ecclesia, cultores sunt Angeli, sed venit primus annus, venit pueritia, & in ea quærit Dominus fructum puritatis, simplicitatis, deuotionis, & nihil inuenit nisi malitiam, nisi contentiones, nisi pugnas, propterea quòd parentes non bene filios suos instituerunt. Venit vigesimus annus, ætas adolescentiæ, & quærit Dominus fructum operum bonorum, & nihil inuenit nisi folia vanitatum, amores, potationes, sphæristeria, tripudia, vestium ornamenta, musica instrumenta, carnis oblectamenta, dæmonis emolumenta. Venit annus trigesimus, ætas matura & grauis,

grauis, & maiore ratione quærit Dominus fru-ctum in ficulnea, & sæpe nihil inuenit nisi grossos ambitionis, vsuræ, crapulæ, ebrietatis, aliorumque innumerabilium vitiorum fructus. succide ergo illam, ait, proiiciatur in ignem, vt quid etiam terram occupat?
Magna & metuenda est ira Domini, horrendum est incidere in manus Dei viuentis, qui postquã occiderit corpus, etiam animam perdere potest in gehennam ignis. Sed Angelus Domini sollicitè intercedit, ô Domine, dimitte quæso eum etiam hoc anno, dona illi Domine adhuc tempus & spatium pœnitentiæ, ego fodiam circa illum, & mittam stercora, auferam de corde eius nimiam illam terram, terrenas nimirum cogitationes, & ponam in oculis eius stercora peccatorum, vt ea videat, cognoscat, detestetur; ego efficiam vt recogitet dies suos in amaritudine animæ suæ, & fructus dignos pœnitentiæ, & operũ bonorum aliquando producat. En nobis quàm multa & quàm magna sunt beneficia Angeli custodis, & quàm multùm ei honoris & amoris debeamus. Et hæc omnia nobis sancti Angeli præstant, dum nos custodiunt in via, sed itinere tandem confecto, tunc nos in manibus tollunt, atque in sedes beatorum deferunt. Apparet nobilitas Angelorum inducendo nos ad vias illas incognitas & obscuras. Quis enim per regionem illam nouam & obscuram per se ingredi valeret, sine ducibus, & custodiis qui ducerent? O quàm duri lapides ibi reperiuntur! ibi ille iacet, qui se in lapidibus adorari faciebat, & quantum potest, viam transeuntibus intercludit, quot peccata

nunc facimus, tot ibi lapides ponit. O quàm multi ſunt qui ſe ad cælum euolaturos putant, qui aditũ, interclusũ atque obſtructũ inueniẽt.

4. Secundo loco de dignitate Angelorum propoſui dicendum. Hæc tanta eſt, vt dicti ſint Angeli mentes quædam ſpirituales, ſempiternæ, cæleſtes, ac prope diuinæ. Eorum locus eſt cælum empyreum; ibi enim tanquam præſides orbis ab Imperatore Deo collocati ſunt. Eorum diuitiæ theſaurus quidam eſt infinitus ſapientiæ. Eorum officiũ perpetuo amore creatoris ardere, eius pulchritudinem & magnitudinem admirari, diligere, & laudare, & ſemper cum ſtupore clamare, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth. Porro naturæ præſtantiſſimæ & pulcherrimæ ſunt, adeò vt meritò homines, cùm aliquem à pulchritudine laudare volunt, eum Angelicam faciem habere dicant. Meritóque ſanctus Ambroſius Angelos vniuerſitatis flores nuncupandos exiſtimarit. Reliqua quæ ad dignitatem pertinent venabimur ex variis eorum attributis.

5. In primis quæ eſt illorum dignitas, quæ timorem incutit, id quod S. Cyrillus Hieroſolymitanus catech. 9 probat, cùm ait: καὶ τί θαυμάζεις, εἰ Ἰεζεκιὴλ, τὸ ὁμοίωμα τῆς δόξης ἰδὼν ἔπεσεν, ὅπου τῷ Δανιὴλ ὁ Γαβριὴλ οἰκέτης ὢν τοῦ κυρίου ὤφθη, καὶ παραχρῆμα ἔπτηξε καὶ ἔπεσεν ἐπὶ πρόσωπον, καὶ ἄχρις ὅτου μετεβιάσατο ἑαυτὸν ὁ ἄγγελος εἰς ὁμοίωμα υἱοῦ ἀνθρώπου, οὐκ ἐτόλμησεν ἀποκριθῆναι ὁ προφήτης, εἰ δὲ Γαβριὴλ ὀπτανόμενος τρόμον ἐμποιεῖ προφήταις, αὐτὸς ὁ θεὸς εἰ ὤφθη καθ' ὅ ἐστιν, ἀπώλλυντο πάντες. *Quid autem admiraris, ſi Ezechiel gloriu ſimilitudinem intuitus, cecidit,*

cùm Danieli visus Gabriel, qui Dei seruus est, statim consternarit eum, & in faciem prostrauerit, & eousque donec seipsum coactus Angelus in similitudinem filij hominis conformasset, ausus non est Propheta respondere. Si verò Gabriel visus tremorem incutiebat prophetis, ipse Deus si cernatur prout est, nonne perirent omnes? Vnde Daniel cap. 10 ita Angelum sibi apparentem describit: *Vidi autem ego Daniel solus visionem grandem hanc, & non remansit in me fortitudo, sed & species mea immutata est in me, & emarcui, nec habui quidquam virium. Et audiui vocem sermonum eius: & audiens iacebam consternatus super faciem meam, & vultus meus hærebat terræ. Et ecce manus tetigit me, & erexit me super genua mea, & super articulos manuum mearum.*

6. Deinde odorem fragrantissimum ex se spirare finguntur, qui odor nonnisi ex personis magnæ dignitatis & splendoris solet expirare. Vnde cùm aliquando dæmones officinas fratrum aspergerent multis fœtoribus, visi sunt Angeli accurrere ad locum illum, & bono odore sparso dæmones expellere & fœtorem, vnus in primis, de quo exemplorum 3. Tomo *Vnus autem Angelus subsequens cum thuribulo pleno odoramentorum, omnia loca circuibat, fœtorem expellens dæmonum, & fumo suauissimo cuncta replens.*

7. Atque etiam Angeli vocantur in Scriptura *Stellæ*, quæ appellatio magnæ est claritatis & splendoris. Vnde Apocal. 12 dicitur: *Et Draco cauda sua trahebat magnam partem stellarum.* Item omnes sancti stellæ vocantur vnde Genes. 27. & Exod. 32 dicitur: *Multiplicabo semen tuum*

ficut ftella cæli. & 1. ad Cor. 15 ait Apoftolus: *Stella à ftella differt in claritate*, id eft sãctitate. Quin etiam *Montes* folent appellari Angeli, quod non minimum eft ad illorum gloriam amplificandã, vnde Gloffa illud pfalm. 124. *Montes in circuitu eius*, explicat Angelos.

8 Iam appellatio illa, qua folent Angeli dici *Gubernatores mundi*, quantæ eft dignitatis? Andreas Cæfarienfis explicans illud Ioannis cap. 3. *Et Angelo Ephefi Ecclefiæ fcribe*, fic ait: *Per Angelum Ecclefiam perinde ferè affatur, atque fiquis per pædagogum verba ad illum faciat, qui literis primùm imbuitur: folent namque præceptores, quæ difcipulorum funt in fe nonnunquam transferre, fiue ea errata fuerint, fiue præclara quoque facinora: nituntur hi enim difcipulos, quoad eius fieri poteft, fimiles fibi reddere. Probabile fit autem per feptem ftellas feptemve Angelos, quos Irenæus & Epiphanius intelligentium cælorum nomine alicubi exprimunt, totius vniuerfi gubernationem, quæ in dextera Chrifti, ficut omnes quoque terræ fines fita eft, hoc loco fignificari. Siquidẽ is eft, qui iuxta promiffionem fuam in medio Ecclefiarum ambulat, mundumque per fanctos Angelos adminiftrat.* Rogemus ergo Angelos cum Sophronio Hierofol. Archiepif. qui habẽt principatũ mũdi, in hũc modũ: *Obfecro vos, neque vnquã vfque ad vitæ finẽ obfecrare defina, qui omnia luftratis, publicaque Dei minifteria non abfque authoritate obitis, & hoc ipfo regiam quandam dignitatem præ vobis geritis, quod & fceptra, & virgas, & haftas defertis (per hæc enim coercendi & puniendi vim, qua polletis, euidenter oftenditis) tunc inquam, tunc obfecro, propitij adefte, mifero-*

que & infelici tanquam ter optimi Regis illius principes pareite, & me à tristi illa iracundáque sententia, quæ ignem æternum amandat, per vestram apud Deum intercessionem liberate. Contrà verò latæ & iocundæ illius vocationis, vitæque, quæ omni mærore caret, nullâque re indiget, me vnà cum meis synergis & cognatis, quorum nomina & vocationem nouitis, qui nihil nescit, participem efficite, & gaudij tandem, quod nunquam finem facit, hæredem declarate. Quid si cum principatu mundi adiungas officium quod in cælis exercēt, crescet procul dubio dignitas Angelica & te inuitabit, vt illam exoret. Sic autem Angelorum officium, quod nunc in cælis agunt, Petrus Cellensis lib. 1. Mosaici tabernaculi exponit: *Cherubim & Seraphim charitate inflammati, quasi ori diuino cibum & potum deferunt, cum omni modo, aliis spiritibus vicinius ordine & amicitiæ dignitate assistunt. Throni in veritate stantes, sessionem placidam & placitam præbent. Principatus & Potestates quasi aquam & manutergium suggerunt: cùm nos defendendo ab hostibus gratiã securitatis & audaciam repugnandi conferunt. Dominationes pedes abluunt, cùm nostra peccata suis postulationibus imminuunt, & dominationem super peccatis acquirunt. Virtutes, incensum boni odoris accendũt, cùm de sanctorum virtutibus gratias incomprehensibili maiestati referunt. Archangeli, lucernam accendunt, cùm mysteria profunda secretorum cælestium reuelando exponunt. Angeli manna reponunt, cùm à nobis diuina consilia abscondunt, & thesauros includunt, cùm à malignis spiritibus nostra bona opera defendunt, & in con-*

ſpectu agni deſerun . Idem Cellenſis lib. de panibus, cap. 10. *Nam his principaliter & propriè Angeli deſeruiunt officiis, vt ad Deum venientium inquirant, mentem, propoſitum, & meritum. Officij ſui certè eſt & dignos intromittere, & indignos extrudere, benemeritos cum reuerentia ſuſcipere, immeritos cum iniuria eiicere.* Et Remigius Antiſſiodorenſis de celebrat. Miſſæ: *Quales ergo oportet eſſe voces noſtras, quas in conſpectu Dei, cum Angelicis laudibus deprecamur, admitti; id eſt intromitti? Vtique tales voces non ſunt in ſono oris, ſed in deſiderio cordis; voces enim, apud ſecretiſſimas aures Dei nõ faciũt verba noſtra, ſed deſideria, & quia ſuperna ciuitas ex Angelis & hominibus conſtat: meritò ſancta Eccleſia, quæ illis ſocianda eſt in cælo: & cum illis in Dei laudibus permanſura; iam nunc ipſis vocibus Deum laudat in terris, quibus eum ſancti Angeli laudãt in cælis, ſupplici confeſſione, id eſt, humili laude, non ſuperba præſumptione: ſic, deſiderantes, maieſtatem Dei credere & confiteri in mundo; ſicut ab Angelis videtur & laudatur in cælis. Hæc enim confeſſio, non eſt confeſſio peccati, ſed laudis & gratiarum actionis. Vna ergo confeſſione, id eſt laude, & gratiarum actione iam homines cum Angelis ſociantur, laudantes de cæleſtibus & terreſtribus, tanquam eum qui fecit cælum & terram, & dicentes, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth, pleni ſunt & cæli & terra gloriâ tuâ. Iſtæ ſunt voces Angelorum Deum in cælis laudantium, hic hymnus gloriæ Dei, ex volumine Iſaiæ Prophetæ ſumptus eſt; vbi Seraphin leguntur id ipſum cantaſſe, & Ioannes in Apocalypſi*

legitur audisse. Eusebius Cæsariensis lib. 3. Demonstr. cap. 5. *Ex decretis illius* (Saluatoris) *accepimus, esse quasdam post supremum Deum Potestates, naturâ incorporeas, intelligentes, rationales, omnique virtute præditas, quæ circa Regem vniuersi choros exerceant.*

9. Tertio loco & extremo posui solicitudinem Angelorum, qua illi negotia nostra & res procurant, cuius rei tibi exemplum referam Cęsarij lib. 2. de Contritione cap. 32. vbi sic ait de vsurario quodam, qui per Abbatem monasterij iam bona restituerat, dæmones verò curabant rem infectam. Positum est corpus in oratorio, choris psallentium circa illud ordinatis: in ipsa nocte, cùm fratres attentiùs psallerent, quatuor tetri spiritus apparentes, feretrum à parte sinistra circunstabant, quibus visis, territi fratres omnes, excepto vno seniore, fugerunt. Et ecce totidem Angeli sancti contra quatuor dæmones à parte dextra se ordinabant, moxque is, qui primus inter dæmones videbatur, in illud Dauidicum erupit: Dixit insipiens, vt delinquat in semetipso, non est timor Dei ante oculos eius: hoc in isto homine impletum est. Alter dixit; quoniam dolosè egit in conspectu eius, vt inueniatur iniquitas eius ad odium. Cui tertius subiunxit: Verba oris eius iniquitas & dolus; noluit intelligere, vt bene ageret. Quartus dixit: Iniquitatem meditatus est in cubili suo; astitit omnī viæ malæ, malitiam autem non odiuit. Tunc simul omnes dixerunt: Si Deus iustus, & verba eius vera, homo iste noster est, quia omnium horum reus est. Responderunt sancti Angeli: Si

contra eum carmen Dauidicum profertis, procedite. Dixerunt dæmones: Iſta nobis ſufficiunt ad eius damnationem. Ad quod Angeli reſponderunt; Ex quo vos tacetis, nos incepti pſalmi reſidua proferemus. Ait itaque primus: Domine, in cœlo miſericordia tua, & veritas tua vſque ad nubes. Cui ſecundus adiecit: Iuſtitia tua ſicut montes Dei, iudicia tua abyſſus multa. Tertius verò: Homines & iumenta ſaluabis Domine, quemadmodum multiplicaſti miſericordiam tuã Deus. Cumque quartus ſubiunxiſſet: filij autem hominum in tegmine alarum tuarum ſperabunt; ſimul in hanc vocem eruperunt: quia Deus iuſtus eſt, & ſcriptura ſolui non poteſt, filius hic hominis noſter eſt, ad Dominum confugit, ad Dominum ibit, quia ſub tegmine alarum illius ſperauit. Inebriabitur ab vbertate domus eius, qui ſe lacrymis contritionis inebriauit, & torrente voluptatis ſuæ potabit eum: quoniam apud ipſum eſt fons vitæ, & in lumine eius videbit lumen. Ad hanc vocem Dæmonibus confuſis, & obmuteſcentibus, cæleſtes nuntij animam contriti peccatoris tollentes, illis ſociauerunt, de quibus Saluator in Euangelio dicit: Gaudium eſt in cœlo Angelis Dei ſuper vno peccatore pœnitentiam agente.

10. Sed nihil tam præſentem ſolicitudinem Angelorum explicat, quàm illorum ſedula induſtria in defendendo nos ab omni perturbatione Dæmonum quoties illi nos impugnant: quamobrem deſcendunt de cœlo, & nobiſcum verſantur in terra vt ſolicitudinem ſuam demonſtrent. Qui tametſi fruantur bonis æternis, nihilominus

Cœlum Empyreum, locum amœnissimum deliciarum deserunt, ad quem locum cùm redeunt, quod sępissime accidit, vt nostras preces deferãt, quod illi faciunt libentissimè. Quamobrem obseruandum Angelos quantumuis in inferioribus hisce nobiscum agant, vt accuratiùs clientes suos custodiant, & nostri causâ relinquant cælum, non discedere tamen à beatifica contemplatione vultus Dei, qui vbique præsens est: mittuntur & assistunt, quia per hoc, quòd circũscripti sunt, exeunt; & per hoc, quod intus quoque præsentes sunt, nunquam recedunt: & faciem ergo Patris semper vident, & tamen ad nos veniunt, quia & ad nos spirituali præsentiâ semper exeunt, & tamen ibi se vnde recesserant, per internam contemplationem seruant, ait Gregorius in cap. 3. Iob.

11. Aduertendum tamen sæpe Angelum de cælo descẽdere, vt de impudicitiis nostris vindictam sumat, atque ita explicat Gregorius Genes. c. 5. verba illa, *Venite, descendamus & confundamus ibi linguam eorum*: cum inquit: *ascendunt Angeli in eo, quod creatorem conspiciunt: descendunt Angeli in eo, quod creaturam sese in illicitis erigentem examine districtius premunt*. Et S. Ambrosius in epist. 21. super ea verba Pauli, *Omnis creatura ingemiscit*, sic inquit: *An ipsos quoque Angelos, qui in istius mundi laboribus diuersa sustinẽt ministeria, sicut in Apocalypsi legimus, non ingemiscere credimus, cùm adhibentur excidiorum, & pœnarum ministri, qui habentes vitam beatam mallent vtique eam in illo superiori tranquillitatis statu currere, quàm peccatorum nostrorum pœnis*

vltricibus interpellari?

12. Quam ad rem ego tibi proponam ex Ximenio Patriarcha Hierosolymitano nonnulla exempla quæ virtutes cæleſtes ediderunt, in ingratos homines & impudicos, quæ exempla etiam refert Ant. Vaſconcellus de Angelo Cuſtode, ſed ſermone Luſitano & vulgari, in Archiepiſcopum Colonienſem, qui per ſimoniam adeptus epiſcopatum eſt, in die conſecrationis, cùm ſederet in Pontificali ſede, ſubito diſrupto cælo fulmen cecidit, quod illum coram omnibus abſumpſit, viſuſque eſt Angelus de cęlo, qui fulmen torſit in hominem ſimoniacum. Frontoniũ Epiſcopum Treuerenſem, qui domi ſuæ meretricem habebat cum publico hominum ſcandalo, cum aliquando cum ea ederet & biberet, Angelus vita abrupit, ſtupefactiſque omnibus, meretrix inde diffugit, & cæteri pauore perterriti.

13. Raynerius Epiſcopus Argentinæ diſciſus medius eſt ab Angelo Domini, quia pauperibus non erogabat partem, nec diuidebat; ſed omnia in nefarium vſum conuertebat, idcirco ipſe gladio in duas partes ſectus cecidit. Leocadenes Rex Daciæ, qui blaſphemus in Chriſtum, & in fidem Catholicam periurus fuit, horribiliter ab Angelo ſupplicio affectus, abſciſsâ linguâ cum qua in tot blaſphemias eruperat: neque aliam mercedem expectare blaſphemus poterat.

14. Balanus Dux irreuerenter agens cum patre & matre, priuatus fuit vitâ ab Angelo zelatore diuinæ legis, cum quo etiam duo filij periere. Res verò ſic accidit, cùm equo veheretur, in profundiſſimam lacunam aquæ incidit, vt im-

mersus omninò non compareret. Cleomenes Imperator Tartariæ, qui pessimis consiliariis aures dabat, aliquando homini peruerso, & perturbatori pepercit vxoris suæ precibus: sed Angelus Domini tam ipsum quàm vxorem propriam paralysi graui percussit, iussitque vt statim perturbatorem illum interficeret, quod & factum statim est.

15. Forodidonus, qui Prætor erat Palermi, regemque temerarius & crudelis incitabat ad vindictam sumendam propter proprias passiones. Hic cùm Palermi sederet iudicans, visus est Angelus expellens fulmen contra illum, quo hominem discidit, docens nos qua ratione debeamus Principibus adesse, non inducentes illos ad vindictam. Leoncides similiter homo astutus, & blandis verbis Imperatorem Alemaniæ seducẽs, vnde magnorum errorum causa fuit, cùm aliquando verbis periurio & fraude plenis Imperatorem ad nefas adduxisset, linguam ex ore eiecit, & statim sequuta mors est, tantorum periuriorum ca usa.

16. Anaclinus Princeps in Hungaria & magni Regis Mamfremi Officialis tantùm erat inuidiæ (pesti principum) subiectus, vt Regem, qui Sempronium virum nobilem nouo officio auxerat, auderet reprehendere, ac si fecisset quid exorbitans; Angelus Dei, qui pessimæ reprehensionis iudicium malè tulerat, cor infidi Anaclini præsentibus multis & expectantibus euulsit radicitùs, vt qui inuidiæ subiectus ardebat, arderet etiam in Inferno.

17. Mamphredus Rex Bohemorum de more

habuit quoties iter perageret, in domibus religiosorum hospitari, quamobrem multa incommoda religiosos sequebantur, idque sæpiùs Antimus S. Episcopus reprehenderat, dicens, causam esse Regem multorum incommodorũ, quæ inerant religiosis hospitantibus Regem; nec tamen idcirco Rex desisteret ab immani consuetudine, Angelus Bohemiæ custos septem filios Regis interemit atroci vulnere, Regẽque ipsum non diu victurum pronuntiauit, & sic accidit; Euterpius enim filius minor Imperatoris Græciæ electus à Bohemis in Regem iussit interfici eos omnes qui Regi persuadebant, vt in domibus Religiosorum hospitaretur cum nocumento illorum.

18. Calopodenes insignis pirata mediterranei, qui iussu Pompilij Regis Scotiæ maria illa deprædabatur, subito fulmine è cælo raptus est, quo tempore Pompilius Rex interiit fulgure ingenti percussus, ac tunc audita est vox Angeli pronunciantis similes exitus habituros, qui aliis nocumento essent rapinis & prædationibus. Similia multorum Angelorum exempla sunt, qui in vastatores huiusmodi acriter inuecti, supplicia de illis sumpserunt.

19. Per hæc visi sumus probare sollicitudinem Angelorum in nos defendendo esse singularem, atque interdum nos inuisere, & descendere è cælo malo nostro, cum sæpiùs vindictam atroce mexerceant, atque iræ Dei exequutores sint: neque enim immeritò, qui bonis non flectimur, discamus malis summo Regi obtemperare. In summa dico, ama Angelum tanquam

custodem salutis tuæ; time eundem tanquam ministrum iræ Dei. Accidit enim sæpissimè vt propter peccata subtrahatur protectio Angelica; & diabolo, qui antè velut ligatus erat, vires relaxentur ad vindictam, nimirum vt per sua membra, hoc est per impios principes vel hæreticos bella moueat, seditiones concitet, præsidia euertat. Multùm possunt dæmones rerum bellicarum peritissimi, quibus facile est copiis suis cõsilia suggerere, timorem adimere, animos excitare, occasiones ostendere, obstacula remouere; è contrario in contrariis copiis consilia perturbare, metum iniicere, occasiones præscindere, discordias excitare, proditores inserere. Possunt enim vim phantasticam mouere, à qua omnes humani affectus, omnesque perturbationes, timores, animositates, insuper consilia & actiones dependent. Neque enim credibile est impios reges & hæreticos aliter adiutos à Deo quàm permissione, qua diabolo vires laxatæ, & protectionis Angelicæ subtractione (ait Lessius de Perfectionibus diuinis lib. 13. cap. 10) quæ duæ causæ sufficiunt satis. Nam illa permissio sufficit ad illos reddendos fortes, & hæc substractio ad reddendos infirmos. è contrario piorum potentia crescit, si adsint Angeli. Sic enim filij Israel tot gentes deleuerunt, & earum regna obtinuerunt. Sic Dauid & Machabæi tot & tam mirabiles victorias de his hostibus reportarunt: Sic Constantinus, Theodosius, Carolus Magnus, Carolus Martellus, multique alij Christiani Principes mirabiliter hostes superarunt, & exercitus maximos conciderunt, paucis è suis

deſideratis. Hæc enim non ſine Numinis ope contigiſſe res ipſa per ſe fidem facit, & hiſtoriæ teſtantur. Comprimebatur diaboli potentia, vt minùs poſſet aduerſarios iuuare, & res Chriſtianorum perturbare; & ex altera parte augebatur Angelica protectio & opitulatio, qua Chriſtianis & bona conſilia, & audaces animi inſpirabantur, & cetera ad rem bene gerendam opportuna diſponebantur: hoſtibus verò iniiciebatur metus, eripiebantur ſana conſilia, intercipiebantur occaſiones, & alia præſidia boni ſucceſſus. hæc enim omnia pendent ab miniſterio Angelorum, quorum præſidio tuti ſumus, & ſecuri ab omni malo. Plura his Leſſius dicto loco.

Angeli nos ab ſtupro liberant.

Capvt xxviii.

1. ID certiſſimum eſt, & viſum in Theophila magnarum partium fœmina & virili prorſus, cuius rei ſuppeditant nobis eius Acta materiam ad loquendum, quæ digna ſanè eſt maiori encomio & calamo. Inter claras & lucidas ſtellas vna fuit, cùm enim illa eſſet vultu adeò formoſa, traheretur autem à lictoribus, & iam ad probri & contumelię officinam violentèr introduceretur, manus ſimul & oculos in cælum tollens, & miſerabiliter aſpiciens: Mi Ieſu, dixit, mi Amor, mea Lux, meus Spiritus, meus Cuſtos caſtitatis & vitæ, vide eam quæ eſt tibi deſponſa. Vide, ô Sponſe, in quem nulla cadit reprehenſio, & feſtina; quoniã non eſt quidem tem-

pus precandi, ne pactum conuentum fallam, ne prodas me bestiis, ne lupi tuam pecudem laniet, serua sponse sponsam, meam conserua castitatem fons castitatis, vt tuum quoque nomen nunc maxime glorificetur, quod intelligenter glorfiicatur ab Angelis. Hæc illa quidem orauit cum lachrymis, effectum autem Deus reddidit. Sed est adhibendus animus narrationi. Introducitur Virgo ad prostibulum. Illa vero etiam in tali loco, & tempore non est oblita eorum, quæ oportuit; sed protinus eiiciens id, quod habebat in sinu, id autem erat sacrosanctum Euangelium, aperuit, & dat operam lectioni. Vnus vero ex intemperantibus æstro insano percitus ad eam ingreditur, qui aliquantisper quidem eam audiuit legentem; cum autem iam prope esset, à maximo metu inuaditur, & tremore valde agitatur, & humi procumbit mortuus, & sic iacebat ad pedes Theophilæ non spirans. Multæ horæ præterierant, & cùm alijs visum esset, quoniam non exibat, non posse satiari virgine; vbi alius quoque ingreditur, ipse quoque iam prope stans, lucis quidem, quæ verbis exprimi non potest fulgore illustratur; deinde illum à luce tenebræ excipiunt, & obtutu orbatus, quærebat obiens, non amplius virginem, sed quemadmodum citra offensionem exiret extra fores. Cùm autem multi quidem talia passi essent, & nonnulli etiam magis horribilia, nulli fuit amplius cordi ingredi. Sed & si quis ingrediebatur, non ingrediebatur captus amore, sed solù vt sciret ea quæ facta fuerant: postquam autem ingressi sunt complures, vident ea, quæ & ad videndum erant terribilia,

& ad dicendum aliis maximè admirabilia. Puellam quidem honestè sedentem, & libro incumbentem, adolescentem autem quendam prope eam astantem, luce quidem ineffabili, pulchritudine vero incredibili, veluti, quædam tela fulguris emittentem ex oculis. Hæc postquam viderunt, & metu obriguerunt, & vix tandem: quis est sicut Christianorum Deus? exclamauerunt. Et simul non ferentes spectaculum, rectè secum agi putabant, si fugerēt; & celeritate maxima domo exibant, omnes quidem obliti libidinis, nonnulli autem ipsa etiã impietate abiurata. Sed neque hæc quidem ignorauit Maximianus. At cùm resciuisset, virginem quidem non posse capi ab his, qui ipsam seruabant militibus, quin etiã multos ex suis esse victos, & didicisse Deum percolere, Dei gratiã adscribi incantationi, dicens, Christianos vti artificiis ad vulgus decipiendum. Sed ille quidem hæc dicens, seipsum potius decipiebat, & quicunque his nugis animum adhibebãt, ille autem plenus lumine, qui videbatur virgini assistere, cùm eam domo eduxisset, suo lumine præcedens deducebat. Deinde cum etiam adduxisset ad sacram Ecclesiam, eam statuit in vestibulo, & cùm pax tibi, dixisset, recessit. Eam autem inuasit & metus, & gaudium, metus quidem quòd ille eam reliquisset, gaudium verò quòd sic libidinosorum manus effugisset, nihil passa indecorum. Accedens ergo pulsat ostium populi iam congregati, & nocturna de more Deo canẽtis. Cum autem ianuæ strepitum sensisset quidam Diaconus, & quænam esset resciuisset, renuntiauit his, qui erant intra Ecclesiam. Omnes

itaque

itaque ad eam confluunt, nam alioquin erat etiam illuſtri genere, ſicut audiuimus, virtute autem multo illuſtrior. Cùm eam ergo vidiſſent, & quos, & quidnam volentes, effugiſſet, intellexiſſent, & quæ illa in eos feciſſet miracula; quoſnam quidem fontes lacrymarum non mouerũt? quaſnam autem voces ad eum non emiſerunt? In principio quidem raptum virginis miſerantes, in fine autem impios miſerè ducentes. Illam verò quibuſnam non proſequuntur beatitudinibus? illa autem ſeipſam quidem iacit humi, & aræ ſacros tangit cancellos. Flet verò tam vehementer, vt eos etiam qui videbant, ad ſimilem moueret affectionem, & fluenta lacrymarum, fitque communis ad Deum gratiarum actio toto pectore. Sed ita quidem ſe habebant res virginis.

2. Vides quantum debeas Angelo Cuſtodi, cui Dominus mandat ita tueri caſtitatem quemadmodum adminiſtratores & officiales, qui aulam Dei & res humanas miniſtrant; & ita adminiſtrant, vt nunquam recedant à beata Dei viſione. Et quanquam etiam mittantur ad reprobos, quia Angelorum ope deſtituti non ſunt; ſed ſpecialius diriguntur ad animas ſanctas, ne ſcilicet theſaurum illum inuiolabilem perdant caſtitatis. Sic Sancta Romula moriente, ante oſtium eius auditi ſunt duo cæleſtes pſallentes chori. Cum his ergo pietatis ac charitatis obſequiis & officiis Angelus animam in ſuis anguſtiis mœſtam & afflictam ſpe melioris vitæ conſolatur, & cõſolatione roboratam in pacis æternæ poſſeſſione confirmat. Quapropter Auguſtinus de ſanctis

Angelis dixit: *Adiuuant laborantes, protegunt quiescentes, hortantur pugnantes, coronant vincentes, compatiuntur patientibus.* Tot igitur tamque salutaribus beneficiis, quæ pia quotidie Angelorum ministeria nobis impertiuntur, & pariunt, attentè prudenterque consideratis, danda nobis opera est, eaque diligens, & valde solicita: vt nos eorum consortio & familiaritate dignos bene viuendo reddamus: neve in aliquod opus eorũ indignũ visu naturæ impotentis incõsideratione ruamus, quod eorũ auxiliũ longè propulset à nobis: quo destitutis multorũ malorum corporis, & animi nobis horror ingruat: nosque eorum terror magna perculsos calamitate consternat. Illud inculcare mentibus nostris efficaciter hac S. Bernardus exhortatione nitebatur: *Pẽsate fratres, quanta etiam solicitudine nobis opus est, vt dignos nos exibeamus eorum frequentia, & eo modo conuersemur in conspectu Angelorum, ne fortè sanctos offendamus obtutus: væ enim nobis si quando Angeli prouocati peccatis, & negligentiis nostris indignos nos indicauerint præsentia & visitatione sua, vt iam necesse habeamus cum Propheta plangere, & dicere: amici mei & proximi mei aduersum me appropinquauerunt & steterunt: & qui iuxta erant de longe steterunt, & vim faciebant, qui quærebant animam meam, elongatis nimirum eis quorũ præsentia protegere, & propulsare poterat inimicũ.* Sed quoniam hoc postulat insigne caput, in quo de virginitate tractandum, quæ sanctis Angelis debetur, cesso cum oratione ad sanctam Theophilam, orans illam, vt nos nequaquam permittat in huiusmodi diabolicas insidias incidere, vbi

periclitemur de huiusmodi dono. Enimuerò Angeli vt piorum saluti inseruiunt; ita mali Angeli ad supplicia peccatoribus debita vsurpantur. Ita enim scriptum est apud Iobum: *Emisit in ipsos iram animi sui*, iram, furorem, & calamitatem vocans, emissa per angelos malos. οἱ τοίνυν (inquit Cedrenus) δαίμονες, εἰ καὶ ἀφηνιάζουσι τῇ προθέσει, ἀλλ' ὑπὸ ζυγὸν κεῖνται τῆς δουλίας, καὶ κελεύονται πρᾶξαι ὡς δήμιοί τινες τὰ προβαλλόμενα παρὰ τοῦ Θεοῦ καὶ τῶν ἁγίων: *Hi enim quanquam dedita opera habenas diuinæ voluntatis excusserunt, tamen iugo seruitutis sunt subditi, coguntúrque veluti carnifices quidam à Deo & Sanctis imperata capessere.* Id Paulus declarat de Corinthiis, ad eosdem scribens: *Quos tradidi Satanæ, vt pœnis erudiantur, impiè non esse loquendum.* Idem Cedrenus: ἵνα γὰρ μὴ νομισθῶσιν οἱ δαίμονες, ὅτι πάντα κατ' αὐθεντίαν πράττουσι, κελεύονται καὶ ἄκοντες ποιεῖν τὰ προσταττόμενα. καὶ τοῖς μὲν ἁγίοις ἀποστέλλει ὁ Θεὸς διακόνους ἁγίους ἀγγέλους εἰς σωτηρίαν, τοῖς δὲ ἁμαρτολοῖς ἐπιτρέπει δαίμονας εἰς τιμωρίαν: *Etenim ne quis putaret malos genios omnia suo arbitrio agere, iubentur etiam inuiti mandata exequi. Proinde Sanctis Deus ministros mittit ad salutem Angelos sanctos; peccatores autem Diabolis puniendos concedit.* Nam cùm de Achab Deus ita pronuntiat: *quis vadit, vt Achabū decipiat, isque pereat?* respondet malus spiritus, *ego vadam*: vtique intelligens hoc sui esse muneris. Mittuntur ergo peculiariter ad pænas de sontibus exigendas; sicut mittuntur ad pios non vt puniant, sed vt tentent. Quando enim sancti Angeli tentationes obire non iubentur (nec enim Deus bono Angelo indecorum aliquid mandaret) fit vt ma-

lis geniis istæ committantur. Nec est quod mireris, iustis immitti eos, cùm rerum vniuersarum Dominus à Iordane abductus sit in solitudinem, vt à Diabolo tentaretur. Quod si ergo is Dominum mundi tentauit, quid iam mirari malum genium ad iustum aliquem mitti, vt eius tolerantiæ periculum faciat? mittitur autem, non iubente, sed pe m ittente Deo.

Angeli singulariter Religiosos custodiunt.

CAPVT XXIX.

1 Cum sancti Angeli diligenter custodiant omnes sibi commissos, præcipue Religiosos tuentur. Quam ad rem opportunum duxi sanctum Gregorium verè magnum, qui religiosus fuit, tibi afferre, qui iussit sacellario, vt duodecim peregrinos ad prandium inuitaret. Qui pergens, iussa compleuit, eosque ad mensam pariter ordinauit. Dum autem simul discumberent, intuens Papa, tredecim numerauit. Et accersito sacellario, cur contra iussionẽ suã tertium decimum inuitare præsumpserit, inquisiuit. Ille obstupefactus, conuiuantes peregrinos curiosius numerauit, & duodecim solos inueniens, veluti securus respondit: crede mihi, honorabilis pater, non sunt nisi duodecim, sicut ipse iussisti. Ergo dum conuictus sæpius duodecim identidem numeraret, ac tertium decimum, quem solus Papa videre poterat, non videret, animaduertens spiritualis Pater Gregorius virum propiùs discumbentem, vultus

crebro conuertere, & nunc adolescentem, nunc verò se vetulum veneranda quadam canitie simulare, finito conuiuio, duodecim quidem abire permisit: tertiumdecimum verò manu suscipiēs in cubiculum suum induxit, vehementer adiurās, vt ei se nomenque suum simpliciter prodere dignaretur. Quî respondens, dixit: & cur interrogas de nomine meo, quod est mirabile? veruntamen scito memoria recognoscens, quia ego sum naufragus ille, qui quondam veni ad te, quando scribebas in cella monasterij tui ad cliuum Scauri, cui dedisti duodecim numismata, & argenteam scutellam, quam tibi miserat cum infusis leguminibus beata Siluia mater tua. Et hoc tibi pro certo sit cognitum, quia ab illo die, quo mihi hæc hilari animo tribuisti, destinauit te Dominus fieri Præsulem sanctæ suæ Ecclesiæ, pro qua & proprium sanguinem fudit, & esse te successorem atque vicarium Apostolorum Principis Petri, cuius es virtutem imitatus, cùm substātias offerentium diuideret, prout cuique opus erat. Hæc audiens Gregorius, dixit: Et tu quomodo nosti, quod tunc me Dominus præesse suæ sanctæ Ecclesiæ destinarit? At ille inquit: Quoniam ego Angelus eius sum, & tunc ab eo ad tuum inquirendum propositum destinatus. Tunc Gregorius, quia nondum manifeste viderat Angelum, prorsus expauit, sibique hunc taliter dicentem audiuit: ne timeas, neque formides: Ecce enim remisit me Dominus, vt sim tibi custos, quandiu fueris in isto mortali seculo: quatenus quamcunque rem petieris, per me apud eum fiducialiter valeas impetrare. Ilico Grego-

rius in faciem ſuam corruit, dicens: ſi propter puſillum meæ paruitatis munuſculum tanta mihi retribuit omnipotentiſſimus Dominus, vt & Pontificem me ſuæ ſanctæ Eccleſiæ faceret, & cuſtodem mihi ſuum Angelum deputaret: quanta putem mihi reſtitui ſi in præceptis eius totis viribus permanens plura ſtuduero de pluribus erogare?

2. In libro doctrinæ Patrum ſcribitur, Monachum quendam, vbi aliquantiſper vitam ſolitariam eremitarum more ſeparatus ab aliis trãſegiſſet, tandem infirmatum, conſpexiſſe ad ſe venientem Angelum cuſtodem, vt decumbenti ſibi famularetur; poſteaquam autem nonnullas ſeptimanas monachus in ægritudine ſua, & Angelus in cæpta ſeruiẽdi conſuetudine perduraſſent, acceſſerunt viſitatum illum alij monachi, & Angelus, qui intus verſabatur, mox pulſato oſtio cellæ diſparuit. Ingreſſis itaque hoſpitibus, abite, infit afflictus eremita, abite, amabo fratres mei, quia vobis ſuperuenientibus Angelus cuſtos meus, à quo viſibiliter præſente ſolatium & pleniſſimum obſequium hucvſque habui, repentè dilapſus eſt. Vix prolatis ipſis verbis anima diſceſſit è corpore, aſſumpta, vt creditur ac Deo reſtituta per eundem Angelum Cuſtodem, qui primitus eam in cuſtodiam ſuam receperat.

3. Deinde magna eſt & incredibilis Angeli cum Religioſo familiaritas, quo pertinet quod commemoratur de Guthlaco quodam, qui vehementer aliquando rogatus ab vno è diſcipulis ſuis, vti reuelare vellet, quiſnam eſſet, quo cum

in dies tractare & colloqui videbatur, respondit: Quādoquidem finis vitæ meæ in propinquo est, fili mi, non conuenit mediutius secretum hoc fraternitati tuæ abscondere: scito igitur, me ab hac hora qua eremiticam solitudinem primùm auspicatus sum, quotidie manè & vesperi frui solitum præsentiâ Angeli, à quo cælestibus solatiis in omni tribulatione & angustia recreabar: hic prædicere mihi futura, reuelare absentia, reserare arcana spiritualia; sed amabo, ne cuiquam dixeris, priusquam anima mea è corporeo hoc ergastulo emigrarit. Sed ipsissima verba placet subtexere Surij, quæ in hunc modum sunt: *Noueris igitur* (Berceline) *posteaquam ad hanc me eremum contuli, semper mane & vespere Angelū me meæ consolationis habuisse, qui labores & tentationes meas cælesti solatio releuabat: prædicebat futura, indicabat absentia; arcana cælestia, quæ nec licet, nec expedit mihi loqui, reuelabat. Hæc autem, fili, silentio tege, nec attentes ea cuiquam mortalium, nisi sorori meæ Pegæ & Egberto anachoretæ vllo vmquam tempore aperire. Cumque hæc & plura alia dixisset, tanta de ore eius suauitas prorupit, vt viderentur ibi sparsi rosarum flores, aut effusus balsami liquor. A media quoque nocte vsque ad auroram totam domum candor lucis inæstimabilis circumfulsit. Oriente verò luce dixit ad discipulum suum Bertelinum: Tempus est fili, vt ad Christum transeam: & extensis ad cælum oculis & manibus, tertio Idus Aprilis obdormiuit in Domino.*

4. De sancto Theodoro Archimandrita, qui verè fuit pater multorum monachorum, in vita

eius Georgius presbyter Angeli Custodis, & sanctorum Cosmæ & Damiani reuelationem ponit, quæ talis est. Erat enim horum sanctorum imago super ipsum posita miraculis illustrium, qui tales se illi secundùm quietem conspicuos obtulerunt, quales eâ picturâ exprimebantur. Et accedentes ad eum, quemadmodum solent Medici, venarum pulsum explorabant, atque inter se ita colloquebantur, vt de salute eius, propterea quod vires ipsius concidissent, desperare viderentur, & ad eum conuersi, dicebant: Quid fles frater? cur tristis es? ipse verò respondebat: quia non egi pœnitentiam, domini mei, & quia relinquo pusillum hunc gregem, qui nondum est perfectè institutus, & magnâ indigui diligentiâ. Tunc illi: Vis vt pro te supplicemus vt tibi paululum adhuc ad viuendum spatij concedatur? Si hoc, inquit, feceritis, & tempus mihi ad resipiscendum impetrabitis, & pœnitentiæ meæ, & omnium quæ rectè posthac egero, mercedem lucrabimini. Sancti autem ad Angelos conuersi, rogabant eos, vt illius tantisper curam gererent, dum ipsi supplicatum pro illo ad Regem irent. Et cùm Angeli se id facturos dixissent, sancti Cosmas & Damianus profecti sunt, & pro Theodori salute omnipotenti Regi Christo Deo nostro, qui in cælis est, quique & Ezechiæ quindecim vitæ annos adiunxerat, supplicabant. Itaque voti compotes reuerterunt, in medio ipsorum habentes adolescentem, Angelis, qui aderant, adspectu quidem similem, sed gloriâ præstantiorem, qui præsentes Angelos sic allocutus est: ab eo recedite, placatus enim

est communis omniũ Dominus, & gloriæ Rex, & permittit vt adhuc in carne maneat. Qui statim vnà cum ipso in cælum redierunt. Sancti verò Cosmas & Damianus: Surge, inquiunt, frater, & attende tibi ac gregi tuo. Benignus enim & clemens Dominus noster preces nostras pro te suscepit, & largitus est tibi vt viuas, paresque cibum qui non perit, sed manet in vitam æternam, multarum animarum salutem cures. Hæc loquuti etiam ipsi discesserunt.

5. Si forsitan Religiosus in sua vocatione vacillet, habet Angelum Custodem, qui monitor est, iuuator, & confortator illius sedulus, & sæpe resistens tentationi diabolicæ. Vincentius in Speculo Historiali hoc refert exemplum. ait ille: Germanum quemdam monachum ciuitatis Coloniensis, Laffardum nomine, conuersum, cùm curam aliquantisper habuisset clauium cœnobij in quo habitabat, in senectute tandem tentatum fuisse à Dæmone peccato superbiæ, vt diceret intra se: Ego iam consenui, & quanquam nobilibus parentibus oriundus sim, conficior tamen in claustro hoc laboribus monasticis, & aliis inseruio, qui alioquin frui possem iuxta libitum meum seruitio aliorum: ibo potius, & vel in graui senio toleratas hucusque molestias extra monasterium compensabo. Dum igitur nocte quadã experrectus decerneret mox illucescẽte aurora cænobio egredi, venerandi aspectus virum vidit, qui nutu suo hortari eum videbatur, surgeret, seque anteeuntem sequeretur; quare indutis vestibus eum prosecutus est vsque ad portam Ecclesiæ, & hinc ad ostium cæmiterij quæ vltro ip-

sis aperta sunt: Hic Laffardus obstupefieri; & multo magis vehementiusque, vbi Cæmiterium ingressus, sensit aperiri sepulchra, & iuxta vnum eorum huiusmodi sibi verba ab Angelico ductore dici: Viden Laffarde hunc hominem, propediem talis & ipse eris; dic sodes relicta claustrali requie quorsum tendis? Cùm autem ad alia quoque contemplanda cadauera Angelus eum ducere niteretur, Laffardus secûdùm omnia viscera attonitus & conturbatus exclamare cæpit: dimitte me, Domine obsecro, dimitte me, infirmior sum, quàm vt diutius oculis meis tantam spurtitiem ac fœditatem vsurpem. Mox pœnitentia ductus, quod monasterio egredi deliberasset, portas Templi ac Cæmiterij claudi vidit, & Angelus eo ad dormitorium reducto disparuit.

6. Et tametsi Angeli bonis omnibus prompti sint ad monendum, ad iuuandum, & benefaciendum; nescio tamen qua ratione inflectuntur magis ad iuuandos eos qui pro amore Dei patiuntur graue aliquod incommodum: cuius rei exemplum est in sancto Isatio, qui Valentis Imperatoris nimiã procacitatem reprehendens, quòd bellum gereret contra Ecclesiam, ipse Imperator iussit eum acerbissimè tractari: de quo sancto Isatio Surius hæc infert: *Erant autem prope viam spinæ cum paliuris adeò densis & asperis, vt quoduis animal introisset, non posset sese inde viuum expedire. Hunc Imperator locum tanquam laqueum conspicatus, iussit, vt virum sanctum illuc conijcerent, quo interiret. Verùm cùm in spinas coniectus esset, ita molliter iacebat, vt si in lectulo conquiesceret, nec vllo modo læsus esset.* Cumque

Imperator cum exercitu discessisset, accesserunt tres viri candidis vestimentis induti, quos vir beatus non agnoscebat, & eum incolumem extraxerunt, seque ab eius oculis subduxerunt; vt non posset intelligere quinam essent. Sed cùm in se reuersus fuisset, cognouit esse Angelos Dei: & flexis genibus gratias agit Domino, cui curæ sunt ij qui timent eum, cumque diu precationibus incubuisset, & Deum laudasset, surrexit: & Spiritu sancto corroboratus, per aliam viam occurrit Imperatori, & constitit in eius conspectu.

7. Cauendum est igitur viris religiosis, ne in aliquod vitium incidant, ex quo propulsent à se tutelam & custodiam Angelorum, qui proni semper sunt adiuuandis viris religiosis: præsertim caueant à superbia, quæ pestis omnino Angelum disturbat, nec enim potest ferre vllam in nobis iactantiam. Memini me legisse in vitis Patrum lib 8. quandã virginem religiosam alioquin, quæ decidit à pulcherrimo statu, tantũ quod superba esset, sic enim ait: *Noui rursus quandam virginem Ierosolymis, quæ saccum gestauit sexennio, & fuit inclusa: nec aliquid accepit ex iis, quæ tendunt ad voluptatem, sed summam continentiam exercuit inter fœminas. Postea autem à diuino deserta auxilio propter summam superbiam lapsa est, & aperta fenestra admisit eum, qui ei inseruiebat, & cum eo fuit commixta; eo quod non diuino proposito & ex charitate se exercuerat, sed vt humanæ scenæ seruiret: quod quidem est vanæ gloriæ, & praui instituti. Nã cùm eius cogitationes occupatæ essent in damnandis aliis, incitaretur autem furore à Dæmone superbiæ, eoque valde delectaretur: ab ea recessit*

sanctus Angelus custos temperantiæ. Vnde Andreas Cæsariensis in Apocalypsim Ioannis Cap. 56. vbi Angelum voluit Ioannes adorare, ac tunc Angelus vetuit, subiicit: *Eapropter caue cōseruum adores, sed si adorare lubet, eum adora, qui dominium in omnes obtinet. Atque hinc quoque humilem submissumque sanctorum Angelorum sensum & mentem cognoscere licet: clare namque ex hoc loco constat diuinam gloriam, vt effrontes lasciuique Dæmones solent, neutiquam sibi erogare.* Vbi velim notes Andream de dæmonibus loquentem, vocare eos *lasciuos*, quod congruit cum exemplo nuper adducto de Moniali illa, quæ in carnem incidit per superbiam.

Quod Angeli Custodes sint nostri Medici, & quare dicantur Montes.

Capvt xxx

1. Cùm multa debeamus Angelis, tum hoc maximè illis debemus, quod in infirmitatibus nostris & ægritudinibus nostri sunt medici, quod quantū est beneficiū ipsi sciunt, qui patiūtur. Ad hæc si coniuncta sit cum infirmitate corporis infirmitas animæ, quam quotidie malo nostro experimur, quis non laudabit Deum, quòd talem habeat medicum; nempe spiritualem. Valide nos mouet & monet Cyprianus lib. Oration. Dom. *Quæ segnitia est, alienari, & capi ineptis cogitationibus, & profanis, cum Dominum deprecaris? quasi sit aliud quod magis debeas cogitare, quàm quod cum Deo loquaris. Quomodo te au-*

diri à Deo postulas, cùm te ipse non audias? vis esse Deum memorem tui cùm rogas, quando ipse memor tui non sis?

2. Ergo si est ea nostra ægritudo & languens animus, vt nec ipsi nos intelligamus, quid fieri potest nisi expectemus ab optimo medico auxilium? Memini in vitis Patrum lib. 5. hortulani quandam miram narrationem audiuisse, qui cùm laboraret, & omnem laborem suum expenderet in eleemosynam, tantum sibi retinebat, quantum ad victum ipsius sufficeret. Postea verò Satanas immisit in corde eius, dicens: collige tibi aliquantam pecuniam, ne cùm senueris aut ægrotaueris, opus habeas ad expensas. Et collegit & impleuit lagenam de nummis. Contigit autem eum infirmari, & putrefieri pedem eius; & expendit, quod collegerat, in medicos, & nihil ei prodesse potuit. Postea verò venit quidam de expertis medicis, & dicit ei: Nisi incideris pedem tuum, putrefiet. Et constituerunt diem, vt inciderent eius pedem. Illa autem nocte rediens in semetipsum, & pœnitentiam agens de his quæ gessit, ingemuit & fleuit, dicens: Memor esto, Domine, operum meorum priorum, quæ faciebam, cùm laborarem in horto meo, ex quo pauperibus ministrabam. Et cũ hoc dixisset, stetit Angelus Domini, & dixit ei: Vbi sũt nũmi, quos collegisti; & vbi est spes, de qua tractasti? tunc intelligens, dixit: Peccaui, Domine, ignosce mihi: & àmodo vlterius hoc non faciam. Tunc Angelus tetigit pedem eius, & sanatus est statim. Et exurgens mane, abiit in agrum operari. Venit

ergo medicus ſecundùm conſtitutum cum ferramentis, vt ſecaret pedem eius, & dicunt ei: Exiit manè operari in agro. Tunc admiratus medicus perrexit in agrum, vbi operabatur ille. Et videns eum fodientem terram, glorificauit Deum, qui reddiderat ei ſanitatem.

3. Vides duplici malo occurſum ab Angelo & ſectioni pedis,& animi auaritiæ, quam monachus ille habebat; quis enim tantum ſpiritus potuit vmquam retinere feruorem, vt non interdũ lubricis cogitationibus tranſlatus de cæleſtibus ad terrena corruerit? quis monachum iſtum non expaueat poſt multos annos pecuniæ congerendæ auidum fuiſſe, qui niſi talem medicum eſſet ſortitus, non conualuiſſet ab infirmitate. Cùm enim in dolore valido atque in defectione quidam monachus fuiſſet, vt nec egredi, nec ſtare poſſet, vidit aliquando virum intrantem, ac dicentem ſibi dolore iecoris afflictato, ita vt nec humi iacens, poſſet pſalmum dicere, ac tunc ille qui ingreſſus eſt ad eum, qui verè Angelus erat eius Cuſtos, rogauit quidnam pateretur? Ipſe verò dixit confortatus modicum, hepar doleo. Ac ſtatim ille, *digitos manus ſuæ in directum coniungens, diuiſit locum illum tanquam per gladium, & auellens iecur, oſtendit mihi vulnera, & raſo iecore manu ſua in pannum ipſas ſcabies miſit, atque rurſum ipſum iecur imponens manibus ſuis, locum ipſum recluſit. Et ait mihi: Ecce ſanus factus es, ſerui Domino noſtro Ieſu Chriſto ſicut oportet. Et ex tunc ſanus factus eſt, & ſine labore iam ſum hîc. Ego autem multùm illum rogaui, vt mecum maneret in interiore eremo, & ait mihi:*

Non potes sufferre dæmonum impetus. Et ego hoc ipsum considerans, rogabam vt orans pro me, dimitteret me. Qui cùm orasset, dimisit me. Quis non obstupescat ad talem ac tantam Dei benignitatem? qui nobis Angelum prouidere dignatus est medicum. Quin Angelus Domini ad beatum Ammonem veniens, eiusque apprehensa manu confirmauit, itavt ab eodem Angelo aræ sanus statueretur. Cuius Ammonis tormenta cùm vidissent fratres, obstupuerunt. Quin *iniurias quoque* (ait Blesensis in sermone quodam) *quas eis quotidie inferimus, dum custodiæ eorum refragamur, patienter sustinent, nec læsi nos lædunt, imò mitiùs compatiuntur nobis; & , quod verisimile est, tanquam medici maiorem sollicitudinem infirmis impendunt, quàm sanis: & magis gaudent super vno peccatore pœnitentiã agente, quàm super nonaginta nouem iustis, qui non indigent pœnitentiâ.*

4. Quàm autem salutare sit summo beneficio expertus est inuictus Christi miles Zosimus, qui cùm iubente Domitiano Antiochiæ Pisidiæ Præside, Traiani Imperatoris temporibus in æreum grabatum quemdam ignibus candentem nudus iniectus esset, Crucisque signo se armasset, confestim igne diuinitus in rorem conuerso, incolumis & illæsus inde ab Angelis ereptus est. Quod miraculum sane admirãdum refert Simeon Metaphrastes in eiusdem sancti vita, his verbis: *Iussit igitur præses grabatum areum afferri, & ignem multum subiici; cumque multæ flammæ in grabatum ascenderent, iussit beatum Zosimum nudum illuc coniici. Cum verò sanctus Martyr cru-*

cis figura se muniuisset, ac in grabatum coniectus esset, statim Dominus ignem in rorem conuertit. Etenim per Angelos suos Deus Martyri opem tulit; omnes vero qui præsentes erant, opinabantur ob nimium illum ignem Zosimum animam efflasse: at Angeli à Deo missi, sanctum Martyrem è grabato sublatum omnibus spectantibus extra grabatum cōstituerunt:

5. Contigit aliquando, vt beata Virgo Angelum iuberet monere quemdam paralyticum, vt bello persequeretur Iudæum, qui turpiter eius imaginē vulnerarat, ex qua diuinitus sanguis effluxit: eam historiam, quæ tota est de virgine Cāberonensi, narrat Chrysostomus Henriquez in historia, quam Fasciculum ordinis Cisterciēsis vocauit lib 1. distinctione 8. ca. 5. Ea est huiusmodi: *Quadriennio post, Angelus apparuit cuidam seni ex Estiniis progenito, inibique demoranti, Ioāni Flamando dicto, qui totum septennium paralyticus lecto decubuerat. Is in mandatis accepit, vt Iudæum ad duellum prouocaret in vindictam iniuriæ, & contumeliæ illatæ imagini potentissimæ Dei matris. Senex ad primam ac secundam monitionem, consilij causa, suo pastori rem aperuit. Qui cùm videret senem, adhuc è morbi reliquiis debilem, & ægrè affectum, iubet eum aliud super hac re mandatum expectare. Tertia nocte ipsamet Virgo, sicut erat in imagine saucia, se se videndam præbet seni multo cum lumine, eique præcipit vt ad Abbatem Camberonensem tendat, visurus quanta cōtumelia affecisset dictam suam imaginem Guillelmus ille Iudæus, exindeque contra infælicem dimicaturus, vt paulo post fecit, vnde, & miraculosam*

atque

atque insignem victoriam reportarit, habitâ ratione inæqualitatis virium eorum qui decertarant. Et in duelli loco, qui est contiguus portæ Parcensi Montensis vrbis, adicula in honorem beatæ Virginis Camberonensis erecta est, quæ etiamnum hodie visitur. Quod maius miraculum quàm ab homine paralytico sperari victoriam, & obtineri aduersum Iudæum infidelem? Meritò itaque nec incassum Virgo Maria sacratissima Angelum istum misit denuntiaturum infideli homini bellum, vt non sibi tribueretur victoria, sed impertiretur Angelo.

6. Iam verò si consideres quæ in sanctis martyribus plenis carnificina & squalore, sancti Angeli effecerunt curantes illos, verè medicos existimabis Angelos. Ita S. Theodoro martyri (insistam nunc paululum Cornelio Nostræ Societatis) astitit Angelus, eumque robori & sanitati restituit. Audi de eo rara & mira ex autore vitæ, quæ grauiter scripta extat apud Surium. Cùm S. Theodorus Dux exercitus in nomine Trinitatis draconem infensissimum interfecisset, & Imperatoris Licinij deos ex auro & argento conflatos confregisset, atque pauperibus distribuisset, (qua ratione plurimi Christo nomina dabant) Imperator eum accersitum omnibus inimicorum phalangibus ridendum exposuit. Beatus autem Theodorus dixit ei: *Fremis, ô Imperator, sed ego rugio: Tu stertis, at ego exilio: Tu cum Deo pugnas, at ego de Deo dissero: Tu blasphemas, ego verò Deum hymnis laudo: Tu colis Deos mortuos ego verò Deum viuum: Tu Serapin, ego verò eum qui est super Serapin: Tu Apol-*

linem, ego verò Deum semper viuentem: Tu es Carlo Thracius, ego vero Princeps Romanus: Tu Licinius ventilator, ego vero Theodorus donum Dei. Quamobrem ne ægrè feras, ô Imperator, neque calcitres: hac enim faciens, tuos ostendis cruciatus; asini enim & muli tenes figuram. Tunc multâ irâ plenus Licinius iussit boum neruis eum cædi, & plusquam mille plagas ei inferri. Deinde ferreis vngulis lacerari eius carnes, & lampadibus ignis vstulari eius vlcera, & acutis testis radi concretum sanguinem. Post hæc Martyrem ligno affixerunt per manus & pedes. Arbitratus autem impius Licinius eum esse mortuum, reliquit in ligno pendentem. Circa primam verò vigiliam noctis adstans Angelus Domini, soluit eum, & reddidit eum sanum corpore, sicut priùs, eumque salutauit, & dixit: *Gaudeas, & corroboreris in sapientia & gratia Domini nostri Iesu Christi. Ecce enim tecum est Dominus Deus: & cur dixisti, recessisti à me? Consumma ergo cursum tua decertationis, & venies ad Dominum nostrum Iesum Christum, accipiens coronam immortalitatis.* Hæc cùm Martyri dixisset Angelus, ab eo recessit. Sanctus autem Martyr Domino suo agebat gratias, & cœpit psallere: *Exaltabo te Deus meus Rex meus, & benedicam nomen tuum in sæculum & in sæculum sæculi.* Audi & alterum non minùs memorabile.

7. Cùm B. Constantium Perusinæ ciuitatis Episcopum Danabi in tormentis, à quibusdam Marci Imperatoris militibus ei inflictis vires iam deficerent, ad Deum toto corde conuersus: *Suscipe iam, orabat, spiritum meum Domine, re-*

quiescat in te, qui pro te, teipso iuuante, omni tẽpore laborauit. Vix dum pias hasce voces emiserat, cùm ecce præsto est ei Angelus Domini afflictum his verbis confortans: Noli timere, Constanti, ego sum Angelus Dei, misit me Christus vt plagis tuis curationem adhibeam, ac deinceps tibi adsim in omnibus viis tuis: & ilico omnis plaga curata est, tunc ille Angelico solatio recreatus; Gratias tibi ago, ait, Domine Iesu Christe, qui per Angelum tuum me in angustiis confortasti, & curasti vulnera mea: nunc verè scio, te quidem nunquam deserere sperantes in te. Ita habetur in vita eius apud Surium. Audi & tertium in virgine Itala admirabilius.

8. Sancta Christina in Deum credens Deos aureos Vrbani patris sui præfecti contriuit, & pauperibus distribuit: Ob hoc iubente patre, alapis afflicta, verberibus dilaniata, ferro onusta, in carcerem coniecta est. Post hoc cum diutissime & crudelissime dilaniaretur, decidua carnium frusta patri in faciem proiecit. Cumque alligata rotæ, igni supposito, & fuso desuper oleo torreretur, erumpens flamma mille Gentiles interfecit. Iterum carceri tradita Angelo visitante sanata est, & refecta. Deinde cum magno saxi pondere in lacum Volsenum iactata, angelico præsidio liberata est. Lacus & locus hoc martyrio celebris, non longe à Roma visitur in via Senensi.

9. Quin Raphael Angelus præsertim colendus in ægritudine, cùm sciamus illum præpositum infirmitatibus; ex lib. Tobiæ: nec desunt exempla recentiora; narrat enim Eusebius noster, vir pius & eruditus; ægrotis Ioannis, qui à

Deo cognominatur, adfuisse hunc Angelum, & illis ministrasse in rebus omnibus. Nec desunt alij Angeli pares Raphaeli, in iuuandis ægrotis. Ludouicus enim noster de la Puente multos Angelos habuit curatores, fomentatoresque membrorum debilium, à quibus recreatus potuit ægritudines perferre. Sancto Michaeli specialius incumbe, ne te diabolus vincat in tentatione, hic enim, vt reuelatum Ioanni Menesio est, plures Angelos confirmauit, ne laberentur cum Lucifero in Tartarum.

10. Angeli dicuntur *Montes*, quod Gregorius Nazianzenus explicat in illud Psalm. *Illuminãs tu mirabiliter à montibus æternis*, hoc est, inquit Gregorius, *Angelicis spiritibus, qui nobis ad optima quæque sunt adiumento.* Nicetas ait; dici Montes, quòd sublimes sint, & cælestes, & æterni, quia immortales. Et *Lapides* etiam in Scriptura nominari, propter firmitudinem similem *montibus*. Ezechiel. 28. In medio lapidum *ignitorum ambulasti*. Etenim *ignitos lapides* Hieronymus in Ezechielem, & Gregorius lib. 32. Moralium cap. 25. Angelos intelligunt.

Præsunt Angeli regnis, ciuitatibus, muris, iuri Episcoporum, &c.

CAPVT XXXI.

1. ESSE Angelos custodes singulorum hominum nemo in dubium vocat, vel ex dicto Saluatoris dicentis Matthei 18. *Ne contemnatis vnum ex iis pusillis; dico enim vobis, quoniam Angeli eorum semper vident faciem Patris mei qui*

in cælis est. Et illud: *castrametabitur Angelus Domini in circuitu timentium ipsum.* Et, *Angelus qui eruit me à iuuentute mea*; quod alibi ostensum est, sed & esse Angelos prouinciarum, regnorum, & ciuitatum S. Basilius probat lib. 3. contra Eunomium, & probat hac ratione. ἄγγελοι πάντες ὥσπερ προσηγορίας μιᾶς, οὕτω καὶ φύσεως ταύτως τῆς αὐτῆς ἀλλήλοις τυγχάνουσιν. ἀλλ᾽ ὅμως, οἱ μὲν αὐτῶν ἐθνῶν προεστήκασιν, οἱ δὲ ἑνὶ ἑκάστῳ τῶν πιστῶν τὸ εἶπ παρεπόμενοι. ὅσῳ μέντοι προτιμότερον ἔθνος ὅλον ἑνὸς ἀνδρὸς, τοσούτῳ δήπου μεῖζον ὑπάρχειν ἀνάγκη τὸ ἀξίωμα τοῦ ἐθνάρχου ἀγγέλου, παρὰ τὸ τοῦ ἑνὸς ἑκάστου τὴν προστασίαν πεπιστευμένου. *Angeli omnes vt appellationis vnius, sic eiusdem etiam sunt naturæ inter se: attamen alij ipsorum gentibus præpositi sunt: alij verò fidelium singulos consequuntur: quanto autem gens vni viro præponenda est, tanto maiorem necesse est Angeli qui gentis principatum habeat esse dignitatem dignitate eorum, quibus singulorum tutela commissa est.* & infrà: ὅτι δὲ πάλιν εἰσί τινες ἄγγελοι καὶ ὅλων ἐθνῶν προεστηκότες, Μωσῆς ἡμᾶς διδάσκει διὰ τῆς ᾠδῆς λέγων. ὅτε διεμέριζεν ὁ ὕψιστος ἔθνη, ὡς διέσπειρεν υἱοὺς Ἀδάμ. ἔστησεν ὅρια ἐθνῶν κατὰ ἀριθμὸν ἀγγέλων αὐτοῦ. καὶ ὁ σοφὸς Δανιὴλ ἐν τῇ τοῦ ἀγγέλου ὀπτασίᾳ ἤκουσεν αὐτοῦ λέγοντος, ὅτι ἄρχων βασιλείας Περσῶν εἱστήκει ἐξεναντίας μου. καὶ ἰδοὺ Μιχαὴλ εἷς τῶν ἀρχόντων τῶν πρώτων, ἦλθε βοηθῆσαί μοι, καὶ αὐτὸν κατέλιπον ἐκεῖ μετὰ τοῦ ἄρχοντος βασιλέως Περσῶν, καὶ μετ᾽ ὀλίγα φησὶ ὁ αὐτός. καὶ ἄρχων τῶν Ἑλλήνων ἤρχετο. ἀλλὰ καὶ ἀρχιστρατηγός τις τῆς δυνάμεως κυρίου λέγεταί τις ὁ Ἰησοῦ τῷ τοῦ Ναυῆ ἐπὶ τοῦ Ἰορδάνου φανερωθείς. καὶ πάλιν, τινὲς λέγονται λεγεῶνες τῶν ἀγγέλων, τοῦ κυρίου εἰπόντος τοῖς μαθηταῖς. ἢ δοκεῖς ὅτι οὐ δύναμαι παρακαλέσαι τὸν πατέρα μου, καὶ παραστήσει μοὶ ὧδε πλείους ἢ

δώδεκα λεγεῶνας ἀγγέλων. Quod vero rursus sint quidam Angeli vniuersarum gentium præpositi, Moses nos per canticum docuit: Quādo diuidebat Altissimus gentes, quando separabat filios Adam, cōstituit terminos populorum, iuxta numerum Angelorum suorum. Et sapiens Daniel in visione Angeli audiuit dicentem: quoniam princeps regni Persarum restitit mihi. Et ecce Michael vnus de principibus primis venit in adiutorium meum, & ego remansi ibi cum Principe Regis Persarum. Et post pauca idem dicit: Et princeps Græcorum veniebat. Sed & princeps exercitus quispiā & Imperator copiarum Domini dicitur: qui Iesu Naue ad Iordanem manifestatus est. Et rursus, legiones quædam Angelorum dicuntur, Domino discipulis dicente. An putas, quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi plusquam duodecim legiones Angelorum?

2. Anastasius Presbyter in opere de Sina monte, ἀντιλέγω σοι πρὸς τοῦτο τὸ σκῶν, ὅτι ὑποχειρικώτεροι. καὶ εἰσὶν οἱ ἄγγελοι. καὶ προνοοῦσι τῶν ἐπὶ γῆς ὡς τοῦ θεοῦ ἐγγύτεροι ὄντες ἐπὶ τῷ ἀνθρώποι: *Ecce contradico, Angelorum dominatum & potestatem hominis dominatu potiorem esse. Rebus enim quæ in terra sint, prouident, vt qui Deo, sint homine propiores.* Multi hanc regnorum custodiam attribuunt Principatibus, qui ob id Principatus dicuntur, quia custodiant Principes, & regnis eorum præsint. Cyprianus in expositione in Symbolum Apostolorum ita ait: *Ab initio Deus cùm fecisset mundum, præfecit ei & præposuit quasdam virtutum cælestium potestates, quibus regeretur, & dispensaretur mortalium genus.* Mox probat à Deuteronomio 32,

vnde & Basilius probauit. Et posset à cap. 2. Iudic. vbi Angelus præesse Galgalis dicitur; sic enim Serarius explicat illud, *Ascenditque Angelus Domini de Galgalis, &c.* Quod caput lege, vt videas atroces minas Angeli custodientis Galgala.

3. Hincmarus Remensis Archiepiscopus in opusculo cap. 14. *Quia etiam sint Angeli gentibus prælati, doctores Catholici ex verbis Angeli per Danielem prophetam ostendunt, dicentis: Ego veni propter sermones tuos; Princeps autem regni Persarum restitit mihi viginti & vno diebus: & ecce Michael vnus de principibus primis venit in adiutorium mihi. Et paulo post; Nũc reuertar vt prælier aduersus Principem Persarum. Cùm enim egrederer, apparuit Princeps Græcorum aduenienѕ. Quos (inquit beatus Gregorius) alios principes gentium, nisi Angelos, appellat; quia certa Angelorum ministeria dispensandis singulis quibusque gentibus sunt prælata; cum subiectorum mores aduersus se vicißim præpositorum spirituum opem merentur, ipsi qui præsunt spiritus contra se venire referuntur. Is namque Angelus, qui Danieli loquebatur, captiuis Israelitici populi in Perside cõstitutis prælatus agnoscitur: Michael autem, eorum qui ex eadem plebe in Iudææ terra remanserant, præpositus inuenitur, vnde ab hoc eodem Angelo paulo post Danieli dicitur. Nemo est adiutor meus in omnibus his, nisi Michael princeps vester, de quo dicit: Et ecce Michael vnus de principibus primis venit in adiutorium mihi, qui dum nequaquam simul esse, sed venire in adiutorium dicitur, aperte ei populo prælatus agnoscitur, qui captiuus in alia parte tenebatur.*

Quid est ergo Angelum dicere, ego veni propter sermones tuos, Princeps autem regni Persarum restitit mihi, nisi sua subditis opera nuntiare? Hæc Hincmarus.

4. Gregorius Papa lib.17. moralium Cap. 8. *Sublimes spiritus eisdem gẽtibus principantes, nequaquam pro iniusta agentibus decertant, sed eorum facta iuste iudicantes examinant, quorum tamen omnium vna victoria est, sui super se opificis voluntas.* Etenim illa castra Dei quæ vidit Iacob Angelos fuisse custodes Syriæ & Chananeæ gentis, per quas iter agebat Iacob sub custodia illorum Angelorum, nec id ei mali barbaræ gentes illæ causarentur, Tostatus, Lyranusque commemorant. De his Angelis vrbium, prouinciarum, regnorumque Custodibus, hunc Isaiæ locum Tostatus interpretatur: *Super muros tuos Hierusalem constitui custodes; tota die & nocte perpetuo non tacebunt.* Et Procopius in Isaiam cap. 62. loquẽs de Deo: καὶ ποιεῖ τε φύλακας ἀγγέλους δηλαδὴ θείους, καὶ δυνάμεις ἁγίας εἰς τὸ τῆς νέας ἱερουσαλὴμ τὰ τείχη φυλάττειν, ὅπως ἐν εἰρήνῃ κατάρχων, αὐτὸς εἰς τὸν αἰῶνα διάγοι: *Custodesque, id est cælestes Angelos, & Virtutes sanctas ad murorum recentis Hierusalem custodiã constituet, quo poßit in pace degens perpetuò imperare.*

5. Clemens Romanus lib. 2. Recognit. *Est cuiusque gentis Angelus, cui credita est gentis ipsius dispositio.* Clemens Alexandrinus lib. 6. Stromat. *Per gentes & ciuitates sunt distributæ Angelorum præfecturæ.* Et quidem in Deuteronomio ca. 32 dicitur: *Constituit terminos populorũ iuxta numerum Angelorũ Dei*, ex versione Se-

ptuag. quæ lectio mirum facit ad hanc rē,eamq; sequuntur vterque Clemens, Dionysius, Chrysostomus,& Theodoretus, Origenes in Numeros hom. 11. Iustinus dialog. contra Tryphonem, Epiphanius in Alogianos, aliique permulti Patres. Hinc licet colligere, qua de causa singulis regnis & prouinciis Angeli sint constituti, vt eas perducant ad cultum veri Dei, & protegant ab infestatione dæmonum. Hinc Dionysius cap. 9 Cælestis Hierarchiæ apertè testatur, multos ex gentibus Angelorum ministerio ad Deum verum agnoscendum & colendum esse perductos Ait Origenes memorabile quiddam ad hanc rem homil. 11. Num. nimirum Angelum ei genti cuius gerebat curam propriam linguam assignasse & indidisse. Legendus ille ab eo loco, *Illud quoque quod in Genesi*, vsque ad illud, *sed quæ Dei portio permansit.*

6. Hinc celebris est de quatuor Angelis historia, de qua Epiphanius lib. 2. Hæres.in hæresi 34. hæc scribit: relinquo Græca, quia multa: *Atqui cùm quatuor Angelos ad Euphratem collocat, totidem nationes significat, quæ ad Euphratem habitant cuiusmodi sunt Assyrij, Babylonij, Medi, atque Persæ. Hæc enim imperia quatuor apud Danielem ordine commemorantur. quorum primi regnarunt Assyrij: tum Babylonij, qui Danielis tempore rerum potiebantur. Sequuti sunt Medi, ac postremò Persæ, quorum primus Rex Cyrus extitit. Gentes porro Angelis esse subiectas testis est Moyses Dei seruus, qui Danielis orationem velut interpretans, ait: Interroga patrem tuum, & annunciabit tibi: seniores tuos, & dicent tibi. Quā-*

do diuidebat Altißimus Gentes, dispergebat filios Adam. Constituit terminos populorum, iuxta numerum Angelorum Dei. Et fuit pars Domini populus eius Iacob; funiculus hæreditatis eius Israel. Igitur cum Angelis nationes subiectæ sint, merito dixit: solue quatuor Angelos, qui sedent in Euphrate, ibique detinentur, vt Gentes bellis inter se se committant, vsque ad tempus patientiæ Domini, donec per illos sanctos suos vindicari iubeat. Etenim Angeli isti, quibus hoc spiritus edicit, coercebantur interim, nec inuadendi tempus est illis concessum: quos nondum Dei iustitia soluebat, vt cæteræ gentes ad persequendam sanctorum iniuriam soluerentur. Idem tamē soluti denique terram obeunt; vt Ioannes, ac prophetæ cæteri vaticinati sunt. Angeli enim dum commouentur, gentes ipsas ad vlciscendū mouent. Iā cur loricas illis igneas, & sulphureas, & hyacyntinas tribuat, nemini dubium est: propterea quod hisce coloribus Gentium illarum vestes infectæ sunt. Nam, quod ad sulphureas attinet, melinus iste color est, à quo & lanæ quædam appellantur. Igneæ porrò vestes coccineas indicant, quemadmodum Hyacinthinarum vocabulo Callaicæ lanæ, hoc est ferrugineæ, significantur. Nituntur ista Ioanni in Apocalypsi cap. 6. *Vidi quatuor Angelos stantes super quatuor angulos terræ tenentes quatuor ventos terræ ne flarent* : & paulò post: *vidi alterum Angelum ascendentem ab ortu solis, habentem signum Dei viui, & clamauit voce magna quatuor Angelis, quibus datum est nocere terræ & mari, dicens: nolite nocere terræ, & mari, neque arboribus.*

Nazianzenus Orat. 32. περὶ δὲ τοὺς ἱερῶντας ἀγ-

γέλους. πείθομαι γὰρ καὶ ἄλλως προστατεῖν ἐκκλησίας, ὡς Ἰωάννης διδάσκει με διὰ τῆς Ἀποκαλύψεως: *Tum etiam ad Angelos, quibus huius vrbis cura commissa est, nec enim mihi dubium est, quin alij aliarum Ecclesiarum præsides ac patroni sint, quemadmodum in Apocalypsi Ioannes me docet.* Quin Leo Augustus in vita Chrysostomi ait accidisse, vt Centuriones qui missi ab Imperatrice voluerunt abstrahere creditorem viduæ cuiusdam Alexandrinæ ex Ecclesia, in qua Chrysostomus detineri voluerat creditorem, absterriti fuerint horribilis aspectu Angeli, romphæá dire minantis: sicque perterrefactos rediisse ad Imperatricem. Ioannes Lanspergius refert lib. 4. cap. 61. Geltrudem virginem conspexisse aliquot numero formosissimos Angelos, protectores templi cuiusdam. Et cuilibet Monasterio siue Collegio Angelorũ aliquis custos tribuitur, qui religiosæ istius familiæ curam gerat, iuxta sententiam D. Thomæ, aliorumque Doctorum. Imò etiam arbitratur[a] Tostatus, singulis familiis, maximè si caput ipsarum persona iusta sit, præsidere singulos Angelos; ac subiicit, Angelum illum, qui reduxit aliquando ancillam Agar ad domum Abrahæ, vnde profugiebat, fuisse Angelum Custodem eiusdem domus.

8. Supersunt huius custodiæ effectus & exempla clarissima, & in primis Gainæ acerbissimi tyranni, qui Constantinopolim euertere curabat, de quo hæc scribit Socrates lib. 6 Ecclesiast. Historiæ cap. 6. τότε δὴ καὶ ἐδείχθη περιφανῶς, ὅπως ὁ Θεὸς πρόνοιαν ἐποιεῖτο τῆς πόλεως. ἀγγέλων γὰρ πλῆθος ὤφθη τοῖς ἐπιβουλεύουσιν ἐν σχήματι ὁπλιτῶν, μεγάλα ἐχόν-

των τὰ σώματα. οὓς ὑποτοπήσαντες οἱ βάρβαροι, ἀληθῶς εἶναι στρατὸν πολὺν καὶ γνῶναι, καταπλάγησαν τε, καὶ ὑπανεχώρησαν. *Quo quidem tempore planè constabat, quàm illa ciuitas Deo curæ esset. Nam multitudo Angelorum, qui speciem hominum armatorum, corpora immani magnitudine habentium præ se ferebant, illis qui insidias vastando palatio parauerāt, visa fuit: quos barbari ingentem reverâ exercitum & strenuum esse suscipati, obstupefacti sunt, indéque subduxerunt.* Balduino Regi, cùm exercitus ipsius angustiis viarum conclusus, adeóque in periculo esset, ne deprehensi ab hostibus internecioni darentur, ducem quemdam incognitum ei apparuisse scribunt, qui apprehenso vexillo per aliam viam vniuersum agmen deduxit Hierosolymam.

9. Eodem spectat quod in libris Machab. scribitur, vbi cùm Lysias Iudæorum hostis contra populum Dei bellum moliretur, Machabæus re intellectâ pariter cum aliis militibus Deum multis lacrymis orare cæpit, vt Angelum bonum ipsis auxiliatorem submitteret, arreptisque armis, vbi militum animos generosa exhortatione ad prælium inflammasset, inimicis instructa acie obuiam progressus est: mox igitur apparuit præcedens eos eques in veste candida, armis aureis, qui in signum victoriæ hastam vibrabat; quo conspecto, omnes laudare potestatem inuincibilis Dei, & confirmatis animis illustrem ab aduersariis victoriam reportarunt. Vt verò memorias nostri temporis & Regum Hispaniæ refricem, non erit incongruum referre Maffæum lib. 1. Historiarum Indicarum, qui ait, inuictissimum

Emmanuelem Portugalliæ Regem primariæ naui ſuæ, quæ ad Indias nouum ſubactum orbem deſtinabatur, nomen dediſſe Gabrielis Archangeli; idque vt exercitus qui illâ vehebatur ad expugnationem memoratæ Indiæ, non tam dominandi cupiditate, quàm deſiderio ſeminandi Euangelium, protectione & cuſtodiâ Archangeli illius frui poſſet, qui primus Euangelicę renouationis nuntium inueterato mundo inuexit. Præterea, ſi contingat milites potiri victoriâ, gratias illi reddere meminerint, cuius fauore de hoſtibus triumpharunt. Hi diuini ſpiritus regnis & populis præſunt, eoſque conſeruant, & à multis incommodis liberant. Diaboli vires comprimunt, inſidias & machinationes illius euertũt, ſana cõſilia ſuggerunt, animos adſpirant, timores excutiunt, omnia temperant, vt inter tot pericula homines tandem ad beatam vitam adſpirent. Hinc Petrus Faber Societatis noſtræ, ait Orlandinus lib. 3. *In omni regno ditionéque prætereunda, Principatus & Archangelos ſibi & incolis implorabat. Cùm ad vrbem aliquam, opidumve propiùs accederet, fundebat ſupra incolas orationem, & clementiſſimo Dei Numini ſupplicabat, vt eius regionis Archangelus, Angelíque magiſtri ſingulorum hominum atque cuſtodes præcipuo eam ſtudio, curâque defenderent.*

των τὰ σώματα. οὓς ὑποτοπήσαντες οἱ βάρβαροι, ἀληθῶς εἶναι στρατὸν πολὺν καὶ γενναῖον, κατεπλάγησάν τε, καὶ ὑπανεχώρησαν. *Quo quidem tempore planè constabat, quàm illa ciuitas Deo curæ esset. Nam multitudo Angelorum, qui speciem hominum armatorum, corpora immani magnitudine habentium præ se ferebant, illis qui insidias vastando palatio parauerãt, visa fuit: quos barbari ingentem reverâ exercitum & strenuum esse suscipati, obstupefacti sunt, indéque subduxerunt.* Balduino Regi, cùm exercitus ipsius angustiis viarum conclusus, adeóque in periculo esset, ne deprehensi ab hostibus internecioni darentur, ducem quemdam incognitum ei apparuisse scribunt, qui apprehenso vexillo per áliam viam vniuersum agmen deduxit Hierosolymam.

9. Eodem spectat quod in libris Machab. scribitur, vbi cùm Lysias Iudæorum hostis contra populum Dei bellum moliretur, Machabæus re intellectâ pariter cum aliis militibus Deum multis lacrymis orare cæpit, vt Angelum bonum ipsis auxiliatorem submitteret, arreptisque armis, vbi militum animos generosa exhortatione ad prælium inflammasset, inimicis instructa acie obuiam progressus est: mox igitur apparuit præcedens eos eques in veste candida, armis aureis, qui in signum victoriæ hastam vibrabat; quo conspecto, omnes laudare potestatem inuincibilis Dei, & confirmatis animis illustrem ab aduersariis victoriam reportarunt. Vt verò memorias nostri temporis & Regum Hispaniæ refricem, non erit incongruum referre Maffæum lib. 1. Historiarum Indicarum, qui ait, inuictissimum

Emmanuelem Portugalliæ Regem primariæ naui ſuæ, quæ ad Indias nouum ſubactum orbem deſtinabatur, nomen dediſſe Gabrielis Archangeli; idque vt exercitus qui illâ vehebatur ad expugnationem memoratæ Indiæ, non tam dominandi cupiditate, quàm deſiderio ſeminandi Euangelium, protectione & cuſtodiâ Archangeli illius frui poſſet, qui primus Euangelicę renouationis nuntium inueterato mundo inuexit. Præterea, ſi contingat milites potiri victoriâ, gratias illi reddere meminerint, cuius fauore de hoſtibus triumpharunt. Hi diuini ſpiritus regnis & populis præſunt, eoſque conſeruant, & à multis incommodis liberant. Diaboli vires comprimunt, inſidias & machinationes illius euertũt, ſana cõſilia ſuggerunt, animos adſpirant, timores excutiunt, omnia temperant, vt inter tot pericula homines tandem ad beatam vitam adſpirent. Hinc Petrus Faber Societatis noſtræ, ait Orlandinus lib. 3. *In omni regno ditionéque prætereunda, Principatus & Archangelos ſibi & incolis implorabat. Cùm ad vrbem aliquam, opidumve propius accederet, fundebat ſupra incolas orationem, & clementiſſimo Dei Numini ſupplicabat, vt eius regionis Archangelus, Angelíque magiſtri ſingulorum hominum atque cuſtodes præcipuo eam ſtudio, curâque defenderent.*

Liberant nos ab veneficiis & incantatoribus. Proni etiam sunt erga eos qui eleemosynas tribuunt.

CAPVT XXXII.

1\. Quàm proni sint ad liberandum nos ab sortilegis, veneficis, & incantoribus, ostendit Historia Beati Ambrosij, quam scripsit Paulinus Presbyter (quis hic, dubium est, an Nolanus, an vero alius quispiam, vt suspicatur Bellarminus) narratque Surius, eaque sic habet. *Mortua Iustina, quidam aruspex Innocentius nomine, non opere, cùm pro causa maleficiorum à Iudice torqueretur, aliud quàm interrogaretur, fateri cæpit: clamabat enim, ab Angelo maiora tormenta sibi adhiberi eo, qui custodiret Ambrosium, quoniam temporibus Iustinæ ad excitanda odia populorum in Episcopum, cacumen tecti ecclesiæ conscendens, medio noctis sacrificauerit. Sed quanto instantius & solicitius opera maligna exercebat, tanto magis amor populi circa fidem Catholicam & Domini sacerdotem conualescèbat: misisse etiam se Dæmones, qui illum necarent, fatebatur, sed Dæmones renunciasse, se non solum ad ipsum appropinquare minime posse, verũ etiam nec ad fores domus, in qua manebat episcopus. quia ignis insuperabilis omne illud ædificium communiret, vt etiam longe positi vrerentur, atque ita cessasse artes suas, quibus aduersus Domini sacerdotem se aliquid posse arbitrabatur. Alius etiam gladium ferens ad cubiculum vsque, vt interficeret sacerdotem, peruenit, sed cùm eleuasset manum, di-*

strictoglaudio dextera obrigente remansit. Tunc se missum à Iustina postquam confessus est, brachium, quod inique cùm extenderetur, riguerat, sanatum esse confessione.

2. Idem ostendit Nicephorus lib.18.cap.25. loquens de sancta Golinduch Martyre, quæ in Perside certamem martyrij superstes sibi peruicit. Adhibebo verba ipsius Nicephori, quæ sic habent. *Tum temporis verò etiam Golinduch martyr vivens enituit. Magis Persicis prognata, Asmodoch scilicet patre, & Miruch matre: quæ pro illorum religione, ignem & alias Persarum abominationes colens, & ipsa execrata Deoque detestatæ idolomaniæ & magiæ dedita erat. Primario autem ex senatu viro in matrimonium collocata, duos progenuit filios. Et post triennium per ecstasim extra seipsam rapta, ab Angelo diuino dispensationis salutis nostræ mysterio est initiata. Proindeque Magis tradita, multisque verberibus & tormentis, quæ omnia superauit, expetita, miracula infinita, & prodigia mirifica edidit: identidem Angelo, qui dux eius fuit, ad eam veniente, & vt leuiter & facile omnia perferret curante. Multas etiam res arcanas indicauit, vt pote prouidentiæ gratiam a Deo consequuta: Postquam verò per multos annos tormentis excruciata, coronam martyrij ferre concupiuit, qui ei sæpius apparere solitus erat Angelus assistens, & iuuenem quendam ensiferum producens, desiderio eius satisfecit. Præcipiente namque illo, iuuenis ferro caput eius refecuit: & sanguis è iugulo profluens, in interiorem eius lineam vestem femoribus tenus cruentatam, manauit. Quæ vestis innumera visa est edere miracula. Atque illa etiam*

Deo cognominatur, adfuisse hunc Angelum, & illis ministrasse in rebus omnibus. Nec desunt alij Angeli pares Raphaeli, in iuuandis ægrotis. Ludouicus enim noster de la Puente multos Angelos habuit curatores, fomentatoresque membrorum debilium, à quibus recreatus potuit ægritudines perferre. Sancto Michaeli specialius incumbe, ne te diabolus vincat in tentatione, hic enim, vt reuelatum Ioanni Menesio est, plures Angelos confirmauit, ne laberentur cum Lucifero in Tartarum.

10. Angeli dicuntur *Montes*, quod Gregorius Nazianzenus explicat in illud Psalm. *Illuminãs tu mirabiliter à montibus æternis*, hoc est, inquit Gregorius, *Angelicis spiritibus, qui nobis ad optima quæque sunt adiumento.* Nicetas ait; dici Montes, quòd sublimes sint, & cælestes, & æterni, quia immortales. Et *Lapides* etiam in Scriptura nominari, propter firmitudinem similem *montibus*. Ezechiel. 28. In medio lapidum *ignitorum ambulasti*. Etenim *ignitos lapides* Hieronymus in Ezechielem, & Gregorius lib. 32. Moralium cap. 25. Angelos intelligunt.

Præsunt Angeli regnis, ciuitatibus, muris, iuri Episcoporum, &c.

CAPVT XXXI.

1. ESSE Angelos custodes singulorum hominum nemo in dubium vocat, vel ex dicto Saluatoris dicentis Matthei 18. *Ne contemnatis vnum ex iis pusillis; dico enim vobis, quoniam Angeli eorum semper vident faciem Patris mei qui*

in cælis est. Et illud: *castrametabitur Angelus Domini in circuitu timentium ipsum.* Et, *Angelus qui eruit me à iuuentute mea*; quod alibi ostensum est, sed & esse Angelos prouinciarum, regnorum, & ciuitatum S. Basilius probat lib. 3. contra Eunomium, & probat hac ratione. ἄγγελοι πάντες ὥσπερ προσηγορίας μιᾶς, οὕτω καὶ φύσεως ταὐτῶς τῆς αὐτῆς ἀλλήλοις τυγχάνουσιν. ἀλλ' ὅμως, οἱ μὲν αὐτῶν ἐθνῶν προεστήκασιν, οἱ δὲ ἑνὶ ἑκάστῳ τῶν πιστῶν εἰσὶ παρεπόμενοι. ὅσῳ μέν τοι προτιμότερον ἔθνος ὅλον ἑνὸς ἀνδρὸς, τοσούτῳ δήπου μεῖζον ὑπάρχειν ἀνάγκη τὸ ἀξίωμα τοῦ ἐθνάρχου ἀγγέλου, παρὰ τὸ τοῦ ἑνὸς ἑκάστου τὴν προστασίαν πεπιστευμένου. *Angeli omnes vt appellationis vnius, sic eiusdem etiam sunt naturæ inter se: attamen alij ipsorum gentibus præpositi sunt: alij verò fidelium singulos consequuntur: quanto autem gens vni viro præponenda est, tanto maiorem necesse est Angeli qui gentis principatum habeat esse dignitatem dignitate eorum, quibus singulorum tutela commissa est.* & infrà: ὅτι δὲ πάλιν εἰσί τινες ἄγγελοι καὶ ὅλων ἐθνῶν προεστηκότες, Μωσῆς ἡμᾶς διδάσκει διὰ τῆς ᾠδῆς λέγων. ὅτε διεμέριζεν ὁ ὕψιστος ἔθνη, ὡς διέσπειρεν υἱοὺς Ἀδὰμ ἔστησεν ὅρια ἐθνῶν κατὰ ἀριθμὸν ἀγγέλων αὐτοῦ. καὶ ὁ σοφὸς Δανιὴλ ἐν τῇ τοῦ ἀγγέλου ὀπτασίᾳ ἤκουσεν αὐτοῦ λέγοντος, ὅτι ἄρχων βασιλείας Περσῶν εἱστήκει ἐξ ἐναντίας μου. καὶ ἰδοὺ Μιχαὴλ εἷς τῶν ἀρχόντων τῶν πρώτων, ἦλθε βοηθῆσαί μοι, καὶ αὐτὸν κατέλιπον ἐκεῖ μετὰ τοῦ ἄρχοντος βασιλέως Περσῶν, καὶ μετ' ὀλίγα φησὶ ὁ αὐτὸς. καὶ ἄρχων τῶν Ἑλλήνων ἤρχετο. ἀλλὰ καὶ ἀρχιστρατηγός τις τῆς δυνάμεως κυρίου λέγεταί τις ὁ Ἰησοῦ τῷ τοῦ Ναυῆ ἐπὶ τοῦ Ἰορδάνου φανερωθείς. καὶ πάλιν, τίνες λέγονται λεγεῶνες τῶν ἀγγέλων, τοῦ κυρίου εἰπόντος τοῖς μαθηταῖς. ἢ δοκεῖς ὅτι οὐ δύναμαι παρακαλέσαι τὸν πατέρα μου, καὶ παραστήσει μοὶ ὧδε πλείους ἢ

δώδεκα λεγεῶνας ἀγγέλων. *Quod vero rursus sint quidam Angeli vniuersarum gentium præpositi, Moses nos per canticum docuit: Quādo diuidebat Altissimus gentes, quando separabat filios Adam, cōstituit terminos populorum, iuxta numerum Angelorum suorum. Et sapiens Daniel in visione Angeli audiuit dicentem: quoniam princeps regni Persarum restitit mihi. Et ecce Michael vnus de principibus primis venit in adiutorium meum, & ego remansi ibi cum Principe Regis Persarum. Et post pauca idem dicit: Et princeps Græcorum veniebat. Sed & princeps exercitus quispiā & Imperator copiarum Domini dicitur: qui Iesu Naue ad Iordanem manifestatus est. Et rursus, legiones quædam Angelorum dicuntur, Domino discipulis dicente. An putas, quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi plusquam duodecim legiones Angelorum?*

2. Anastasius Presbyter in opere de Sina monte, αὐτιλέγω σοι περὶ τούτου τὸ ταγμάτων, ἐξουσιαστικώτεροι. καὶ εἰσὶν οἱ ἄγγελοι. καὶ προνοοῦσι τῶν ἐπὶ γῆς ὡς τοῦ θεοῦ ἐγγύτεροι ὄντες ἐπὶ τῶν ἀνθρώπων: *Ecce contradico, Angelorum dominatum & potestatem hominis dominatu potiorem esse. Rebus enim quæ in terra sint, prouident, vt qui Deo, sint homine propiores.* Multi hanc regnorum custodiam attribuunt Principatibus, qui ob id Principatus dicuntur, quia custodiant Principes, & regnis eorum præsint. Cyprianus in expositione in Symbolum Apostolorum ita ait: *Ab initio Deus cùm fecisset mundum, præfecit ei & præposuit quasdam virtutum cælestium potestates, quibus regeretur, & dispensaretur mortalium genus.* Mox probat à Deuteronomio 32,

vnde & Basilius probauit. Et posset à cap. 2. Iudic. vbi Angelus præesse Galgalis dicitur; sic enim Serarius explicat illud, *Ascenditque Angelus Domini de Galgalis*, &c. Quod caput lege, vt videas atroces minas Angeli custodientis Galgala.

3. Hincmarus Remensis Archiepiscopus in opusculo cap. 14. *Quia etiam sint Angeli gentibus prælati, doctores Catholici ex verbis Angeli per Danielem prophetam ostendunt, dicentis: Ego veni propter sermones tuos; Princeps autem regni Persarum restitit mihi viginti & vno diebus: & ecce Michael vnus de principibus primis venit in adiutorium mihi. Et paulo post; Nūc reuertar vt prælier aduersus Principem Persarum. Cùm enim egrederer, apparuit Princeps Græcorum aduenìens. Quos (inquit beatus Gregorius) alios principes gentium, nisi Angelos, appellat; quia certa Angelorum ministeria dispensandis singulis quibusque gentibus sunt prælata; cum subiectorum mores aduersus se vicissim præpositorum spirituum opem merentur, ipsi qui præsunt spiritus contra se venire referuntur. Is namque Angelus, qui Danieli loquebatur, captiuis Israelitici populi in Perside cōstitutis prælatus agnoscitur: Michael autem, eorum qui ex eadem plebe in Iudææ terra remanserant, præpositus inuenitur, vnde ab hoc eodem Angelo paulo post Danieli dicitur. Nemo est adiutor meus in omnibus his, nisi Michael princeps vester, de quo dicit: Et ecce Michael vnus de principibus primis venit in adiutorium mihi, qui dum nequaquam simul esse, sed venire in adiutorium dicitur, aperte ei populo prælatus agnoscitur, qui captiuus in alia parte tenebatur.*

Quid est ergo Angelum dicere, ego veni propter sermones tuos, Princeps autem regni Persarum restitit mihi, nisi sua subditis opera nuntiare? Hæc Hincmarus.

4. Gregorius Papa lib.17. moralium Cap.8. *Sublimes spiritus eisdem gẽtibus principantes, nequaquam pro iniusta agentibus decertant, sed eorum facta iuste iudicantes examinant, quorum tamen omnium vna victoria est, sui super se opificis voluntas.* Etenim illa castra Dei quæ vidit Iacob Angelos fuisse custodes Syriæ & Chananeæ gentis, per quas iter agebat Iacob sub custodia illorum Angelorum, nec id ei mali barbaræ gentes illæ causarentur, Tostatus, Lyranusque commemorant. De his Angelis vrbium, prouinciarum, regnorumque Custodibus, hunc Isaiæ locum Tostatus interpretatur: *Super muros tuos Hierusalem constitui custodes; tota die & nocte perpetuo non tacebunt.* Et Procopius in Isaiam cap. 62. loquẽs de Deo: καταποιεῖ τε φύλακας ἀγγέλους δηλαδὴ θείους, καὶ δυνάμεις ἁγίας εἰς τὸ τῆς νέας Ἱερουσαλὴμ τὰ τείχη φυλάττειν, ὅπως ἐν εἰρήνῃ κατάρχων, αὐτὸς εἰς τὸν αἰῶνα διάγοι: *Custodesque, id est cælestes Angelos, & Virtutes sanctas ad murorum recentis Hierusalem custodiã constituet, quo possit in pace degens perpetuò imperare.*

5. Clemens Romanus lib. 2. Recognit. *Est cuiusque gentis Angelus, cui credita est gentis ipsius dispositio.* Clemens Alexandrinus lib. 6. Stromat. *Per gentes & ciuitates sunt distributæ Angelorum præfecturæ.* Et quidem in Deuteronomio ca. 32 dicitur: *Constituit terminos populorũ iuxta numerum Angelorũ Dei*, ex versione Se-

ptuag. quæ lectio mirum facit ad hanc rē, eamq; sequuntur vterque Clemens, Dionysius, Chrysostomus, & Theodoretus, Origenes in Numeros hom. 11. Iustinus dialog. contra Tryphonem, Epiphanius in Alogianos, aliique permulti Patres. Hinc licet colligere, qua de causa singulis regnis & prouinciis Angeli sint constituti, vt eas perducant ad cultum veri Dei, & protegant ab infestatione dæmonum. Hinc Dionysius cap. 9 Cælestis Hierarchiæ apertè testatur, multos ex gentibus Angelorum ministerio ad Deum verum agnoscendum & colendum esse perductos. Ait Origenes memorabile quiddam ad hanc rem homil. 11. Num. nimirum Angelum ei genti cuius gerebat curam propriam linguam assignasse & indidisse. Legendus ille ab eo loco, *Illud quoque quod in Genesi*, vsque ad illud, *sed quæ Dei portio permansit.*

6. Hinc celebris est de quatuor Angelis historia, de qua Epiphanius lib. 2. Hæres. in hæresi 34. hæc scribit: relinquo Græca, quia multa: *Atqui cùm quatuor Angelos ad Euphratem collocat, totidem nationes significat, quæ ad Euphratem habitant cuiusmodi sunt Assyrij, Babylonij, Medi, atque Persæ. Hæc enim imperia quatuor apud Danielem ordine commemorantur. quorum primi regnarunt Assyrij: tum Babylonij, qui Danielis tempore rerum potiebantur. Sequuti sunt Medi, ac postremò Persæ, quorum primus Rex Cyrus extitit. Gentes porro Angelis esse subiectas testis est Moyses Dei seruus, qui Danielis orationem velut interpretans, ait: Interroga patrem tuum, & annunciabit tibi: seniores tuos, & dicent tibi. Quā-*

do diuidebat Altißimus Gentes, dispergebat filios Adam. Constituit terminos populorum, iuxta numerum Angelorum Dei. Et fuit pars Domini populus eius Iacob; funiculus hæreditatis eius Israel. Igitur cum Angelis nationes subiectæ sint, merito dixit: solue quatuor Angelos, qui sedent in Euphrate, ibique detinentur, vt Gentes bellis inter se se committant, vsque ad tempus patientiæ Domini, donec per illos sanctos suos vindicari iubeat. Etenim Angeli isti, quibus hoc spiritus edicit, coercebantur interim, nec inuadendi tempus est illis concessum: quos nondum Dei iustitia soluebat, vt cæteræ gentes ad persequendam sanctorum iniuriam soluerentur. Idem tamẽ soluti denique terram obeunt; vt Ioannes, ac prophetæ cæteri vaticinati sunt. Angeli enim dum commouentur, gentes ipsas ad vlciscendũ mouent. Iã cur loricas illis igneas, & sulphureas, & hyacyntinas tribuat, nemini dubium est: propterea quod hisce coloribus Gentium illarum vestes infectæ sunt. Nam, quod ad sulphureas attinet, melinus iste color est, à quo & lanæ quædam appellantur. Igneæ porrò vestes coccineas indicant, quemadmodum Hyacinthinarum vocabulo Callaicæ lanæ, hoc est ferrugineæ, significantur. Nituntur ista Ioanni in Apocalypsi cap. 6. *Vidi quatuor Angelos stantes super quatuor angulos terræ tenentes quatuor ventos terræ ne flarent*: & paulò post: *vidi alterum Angelum ascendentem ab ortu solis, habentem signum Dei viui, & clamauit voce magna quatuor Angelis, quibus datum est nocere terræ & mari, dicens: nolite nocere terræ, & mari, neque arboribus.*

Nazianzenus Orat. 32. πρὸς δὲ τοὺς ἐφεστῶτας ἀγ-

ἐλθεῖν. πείθομαι γὰρ καὶ ἄλλως προστατεῖν ἐκκλησίαις, ὡς Ἰωάννης διδάσκει με διὰ τῆς Ἀποκαλύψεως: *Tum etiam ad Angelos, quibus huius urbis cura commissa est, nec enim mihi dubium est, quin alij aliarum Ecclesiarum præsides ac patroni sint, quemadmodum in Apocalypsi Ioannes me docet.* Quin Leo Augustus in vita Chrysostomi ait accidisse, vt Centuriones qui missi ab Imperatrice voluerunt abstrahere creditorem viduæ cuiusdam Alexandrinæ ex Ecclesia, in qua Chrysostomus detineri voluerat creditorem, absterriti fuerint horribilis aspectu Angeli, romphæâ dire minantis: sicque perterrefactos rediisse ad Imperatricem. Ioannes Lanspergius refert lib. 4. cap. 61. Geltrudem virginem conspexisse aliquot numero formosissimos Angelos, protectores templi cuiusdam. Et cuilibet Monasterio siue Collegio Angelorũ aliquis custos tribuitur, qui religiosæ istius familiæ curam gerat, iuxta sententiam D. Thomæ, aliorumque Doctorum. Imò etiam arbitratur* Tostatus, singulis familiis, maximè si caput ipsarum persona iusta sit, præsidere singulos Angelos; ac subiicit, Angelum illum, qui reduxit aliquando ancillam Agar ad domum Abrahæ, vnde profugiebat, fuisse Angelum Custodem eiusdem domus.

8. Supersunt huius custodiæ effectus & exempla clarissima, & in primis Gainæ acerbissimi tyranni, qui Constantinopolim euertere curabat, de quo hæc scribit Socrates lib. 6 Ecclesiast. Historiæ cap. 6. *τότε δὴ καὶ ἐδείχθη περιφανῶς, ὅπως ὁ Θεὸς πρόνοιαν ἐποιεῖτο τῆς πόλεως. ἀγγέλων γὰρ πλῆθος ὤφθη τοῖς ἐπιβουλεύουσιν ἐν σχήματι ὁπλιτῶν, μεγάλα ἐχόν-*

των τὰ σώματα. ὃς ὑποτοπήσαντες οἱ βάρβαροι, ἀληθῶς εἶναι στρατὸν πολὺν καὶ γενναῖον, κατεπλάγησάν τε, καὶ ὑπανεχώρησαν. Quo quidem tempore planè constabat, quàm illa ciuitas Deo curæ esset. Nam multitudo Angelorum, qui speciem hominum armatorum, corpora immani magnitudine habentium præ se ferebant, illis qui insidias vastando palatio parauerãt, visa fuit: quos barbari ingentem reuerâ exercitum & strenuum esse suscipati, obstupefacti sunt, indéque subduxerunt. Balduino Regi, cùm exercitus ipsius angustiis viarum conclusus, adeóque in periculo esset, ne deprehensi ab hostibus internecioni darentur, ducem quemdam incognitum ei apparuisse scribunt, qui apprehenso vexillo per aliam viam vniuersum agmen deduxit Hierosolymam.

9. Eodem spectat quod in libris Machab. scribitur, vbi cùm Lysias Iudæorum hostis contra populum Dei bellum moliretur, Machabæus re intellectâ pariter cum aliis militibus Deum multis lacrymis orare cæpit, vt Angelum bonum ipsis auxiliatorem submitteret, arreptisque armis, vbi militum animos generosa exhortatione ad prælium inflammasset, inimicis instructa acie obuiam progressus est: mox igitur apparuit præcedens eos eques in veste candida, armis aureis, qui in signum victoriæ hastam vibrabat; quo conspecto, omnes laudare potestatem inuincibilis Dei, & confirmatis animis illustrem ab aduersariis victoriam reportarunt. Vt verò memorias nostri temporis & Regum Hispaniæ refricem, non erit incongruum referre Maffæum lib. 1. Historiarum Indicarum, qui ait, inuictissimum

Emmanuelem Portugalliæ Regem primariæ naui suæ, quæ ad Indias nouum subactum orbem destinabatur, nomen dedisse Gabrielis Archangeli; idque vt exercitus qui illâ vehebatur ad expugnationem memoratæ Indiæ, non tam dominandi cupiditate, quàm desiderio seminandi Euangelium, protectione & custodiâ Archangeli illius frui posset, qui primus Euangelicę renouationis nuntium inueterato mundo inuexit. Prætereà, si contingat milites potiri victoriâ, gratias illi reddere meminerint, cuius fauore de hostibus triumpharunt. Hi diuini spiritus regnis & populis præsunt, eosque conseruant, & à multis incommodis liberant. Diaboli vires comprimunt, insidias & machinationes illius euertũt, sana cõsilia suggerunt, animos adspirant, timores excutiunt, omnia temperant, vt inter tot pericula homines tandem ad beatam vitam adspirent. Hinc Petrus Faber Societatis nostræ, ait Orlandinus lib. 3. *In omni regno ditionéque prætereunda, Principatus & Archangelos sibi & incolis implorabat. Cùm ad vrbem aliquam, õpidumve propiùs accederet, fundebat supra incolas orationem, & clementissimo Dei Numini supplicabat, vt eius regionis Archangelus, Angelíque magistri singulorum hominum atque custodes præcipuo eam studio, curâque defenderent.*

strictogladio dextera obrigente remansit. Tunc se missum à Iustina postquam confessus est, brachium, quod inique cùm extenderetur, riguerat, sanatum esse confessione.

2. Idem ostendit Nicephorus lib.18.cap.25. loquens de sancta Golinduch Martyre, quæ in Perside certamem martyrij superstes sibi peruicit. Adhibebo verba ipsius Nicephori, quæ sic habent. *Tum temporis verò etiam Golinduch martyr viuens enituit. Magis Persicis prognata, Asmodoch scilicet patre, & Miruch matre: quæ pro illorum religione, ignem & alias Persarum abominationes colens, & ipsa execrata Deoque detestatæ idolo maniæ & magiæ dedita erat. Primario autem ex senatu viro in matrimonium collocata, duos progenuit filios. Et post triennium per ecstasim extra seipsam rapta, ab Angelo diuino dispensationis salutis nostræ mysterio est initiata. Proindeque Magis tradita, multisque verberibus & tormentis, quæ omnia superauit, expetita, miracula infinita, & prodigia mirifica edidit: identidem Angelo, qui dux eius fuit, ad eam veniente, & vt leuiter & facile omnia perferret curante. Multas etiam res arcanas indicauit, vt pote prouidentiæ gratiam à Deo consequuta. Postquam verò per multos annos tormentis excruciata, coronam martyrij ferre concupiuit, qui ei sæpius apparere solitus erat Angelus assistens, & iuuenem quendam ensiferum producens, desiderio eius satisfecit. Præcipiente namque illo, iuuenis ferro caput eius resecuit: & sanguis è iugulo profluens, in interiorem eius lineam vestem femoribus tenus cruentatam, manauit. Quæ vestis innumera visa est edere miracula. Atque illa etiam*

poſt reſectionem capitis deinceps ſuperſtes vixit. Et cum in Romanorum finibus ad Circeſium & Daras morata fuiſſet, etiam ad Hieroſolymorum partes peruenit, nouum ſpectaculum omnibus fidelibus, quippe viuente adhuc corpore ſtigmata Chriſti circumferens, viſa. Hæc ſane cum grauiter à martyrij ærumnis afficeretur, vrbes circuibat, Angelo duce progrediens. Neque quicquam medicinæ doloribus adhibuit, natiuis tantum thermarum lauacris vſa. Et cùm domeſticos ſuos, & familiares omnes, atque alios præterea ad Chriſtum adduxiſſet, tandem Hierapoli, ſeculo hoc relicto, ad immortalem illam vitam conceſſit. Quæ viuens adhuc, ab Imperatore in vrbem ſuam accita, imperio eius non paruit. Eius vitam Stephanus Hieropolitanus epiſcopus compoſuit, qui cum illa fuit, & res quaſque ex ea didicit: honorifice etiam & ſplendide, corpore ſepeliendo, funus eius proſecutu. Illud porrò quod dicit de Angelo iuuãte alterũ reſecare caput Golinduch, ita reſecuit, vt tamen viueret, & tum ſatisfaceret deſiderio quod habebat: tum vt perpetuo ærumnam pateretur, & ſtigmate illo inſigniretur, quod ſimile ferè eſt ſtigmatibus ſancti Franciſci; quod cur omiſerit is, qui vitam Golinduch Hiſpano ſermone ſcripſit, non video.

3. Fxemplum eſt celeberrimum, vt ad alterũ pergam, quod de Angelis dictum eſt, qui fauent eleemoſynariis, quod narrat Sophronius habeturque in Prato ſpirituali cap. 207. Verba ſunt huiuſmodi: *Narrauit nobis Abbas Theonas & Theodorus, quod Alexandriæ ſub Paulo Patriarcha puella quædam relicta fuerat pupilla à parentibus magna facultate locupletibus. Erat autem*

autem adhuc sine Baptismo. Die verò quadam ingressa pomarium, quod sibi reliquerāt parentes eius (sunt enim in medio ciuitatis pomaria) vidit quemdam parantem sibi laqueum, vt se præfocaret. Cucurrit igitur, & dixit ei: Quid facis, homo? Dixit autem ei: Dimitte me, mulier, quoniā in multa tribulatione sum. Quæ ait: Dic mihi causam, & fortaßis adiuuare te potero. Dixit illi: graui ære alieno premor, & valde suffocor a creditoribus: elegique potius semel vitam finire, quàm quotidie mori. Quæ dixit illi: quæso te, accipe omnia quæ habeo, & redde: tantùm ne perdas teipsum. Sumens vero ille, reddidit omnia. Puella ergo angustiari cœpit, non habens qui sibi curam gereret: itaque destituta parentum solatio, fornicari instituit, & inde sibi victum quærere. Dicebant ergo viri illi sancti Theonas & Theodorus, admirantes scilicet; Quis nouit ista, nisi solus Deus? quomodo scilicet permittatur anima propter causam aliquam ipsi soli cognitam ad tempus derelinqui? Post aliquantum verò temporis infirmata est puella, & in se conuersa compuncta est, orauitque Pontificem, vt faceret illam Christianam. Omnes autem aspernabantur eam, dicentes: Quis hanc suscipiat, quæ meretrix est? affligebatur autem vehementer. Cum vero in iis esset angustiis, astitit illi Angelus in specie hominis cum quo misericordiam fecerat. Cui illa dixit: cupio fieri Christiana, & nemo vult pro me loqui. Qui ait: numquid reuera istud cupis? respondit illa: vtique Domine, & deprecor te vt hoc mihi impertias. Qui ait: noli tristari. Ego adducam aliquos, qui te accipiant. Adduxit ergo alios duos & ipsos sanctos Angelos. Duxeruntque illam ad Ecclesiam. Rur-

nus lib.2.cap.25. numero 14. qui *liberalißimus omnium suo tempore extitit in donando. Iste hyeme media, quæ tunc solito magis inhorruit per viam cum multitudine transiens obuium habuit pauperem nudum, quo clamāte respondit Comes, quid petis? Cui pauper; Da, inquit, cappam quam habes indutam: nec mora Comes extractam cappam pauperi dedit, dicens: Si quid vis amplius, petas. Et pauper: Da mihi supertunicale quod habes, quo statim habito, petiuit tunicam, quam vt Comes dedit, remansit in lineis. Cui pauper, Vides, inquit, ô Comes, quod caput habeam rasam, & nudam, da igitur & pileum. Tunc Comes paululum erubescens (caluus enim erat.) Nunc, inquit, charißime, nimis infestus, quia hoc ipse carere non possum. Quo dicto, relictis vestibus pauper euanuit. Comes verò de equo cadens, planctum lamentabilem fecit, & omni tempore postea tale quid cauens omni petenti se tribuit.* Ex his apparet eleemosynarios habere Angelos sibi patrocinantes, qui interdum fugiũt ab eis, nisi liberales sint admodum: contigit enim vt dissimulent se vt probent iustos.

5. Ad hæc Tobiæ exemplum accedit, qui ob paternum affectum erga pauperes curari meruit ab infirmitate sua per Angelum. Atque hoc cōsilium filio reliquit, ne vnquam pauperibus eleemosynam iuxta facultates suas elargiri prætermitteret; si exiguum habes, exiguum da. Quid de Angelis loquar, qui Abrahæ apparuere ob eximiam charitatem peregrinis habitam, de quibus Scriptura ita loquitur: *Cumque eleuasset oculos, apparuerunt ei tres viri prope eum, quos cum vidisset, occurrit in occursum eorum de ostio tabernaculi*

sui, & adorauit in terram.

6. Vt verò memoriam refricem Albertini Nostri, qui singulare caput de hac re instituit, nõ illi solum qui eleemosynas corporales largiuntur Angelis, chari sunt: verumetiam, imo chariores, qui impendunt eleëmosynas spirituales, subleuando miserias & necessitates animæ, quæ infinitis partibus (vt cum Diuo Thoma loquar) corporis conditionem præcellit. Adiungit sanctus Chrysostomus, retrahere proximum à peccato, siue obstare, quominus veteribus noua adiiciat, excellentius opus esse toto visibili mundo, qui ad beneficium hominum creatus fuit. Vnde quanquam effunderes in eleëmosynas maximam auri vim, non præstares tam nobile opus, quàm si curam gereres de salute vnius animæ. Atque hinc infert beatus Laurentius Iustinianus Patriarcha Venetus in lib. de Humil. multo rigidius iudicatum iri eos, qui intermittunt opera misericordiæ spiritualia, quàm qui corporalia: & subiicit: *Quisquis hæc legit, oculos aperiat animæ, & obseruet.* E contrario autem miris modis iuuabitur, coronabiturque, qui vel vnicam animam ad viam cælestis vitæ reduxerit. Vnde idem sanctus Chrysostomus in Iudic. multoties accidere scribit, vt Deus pro reductione alicuius animæ, innumerabilium errorum pondus à nobis tollat, & bonum illud opus acceptet, in iudicio suo pro pretio redemptionis, & salutis nostræ propriæ; idque, quia opus misericordiæ, quo anima proximi promouetur, multa nobis auxilia à Deo impetrat, quibus ad opera pœnitentiæ accendamur, dummodo velimus obsequi, & postquam iustifi-

cati fuerimus, diuersa media iustitiam conseruandi, & virtutes augendi recipere. Atque ad huiusmodi opera spiritualia Angeli quasi attestantes quam grata sibi acciderent, frequentissime etiam visibiliter concurrerunt. Qua ratione de sancto Ambrosio legitur prædicanti ei adstitisse Angelum, qui verba suggereret. Similia exempla de aliis proferri possent.

Angeli an vocentur filij Dei? virgæ sunt in eorum manibus, nosque vinea illorum sumus.

Caput xxxiii.

1. Quod primò posui, esse Angelos filios Dei, etiam si Genesis sexto, vbi dicitur, *Viderunt filij Dei filias hominum*, probari non possit inde, cùm ibi filij Dei sint vere homines, tamen negare non possumus hanc nomenclaturam illis accidisse ex veris Angelis, qui dicti sunt filij Dei, neque in hoc difficultas esse potest; Etiamsi Procopius in Esaiam id asserat, τὰς δὲ τοιαύτας δυνάμεις γίγαντάς φησιν, ἢ ὡς γιγάντων οὔσας ψυχάς. ἢ τῶν ἐξ οὐρανοῦ κατελθόντων ἀγγέλων, ἐξ ὧν οἱ γίγαντες ἐγεννήθησαν, ταῖς τῶν ἀνθρώπων θυγατέρασι μιγώτων: *Eiusmodi verò potestates vel Gigantes nominat, vel Gigantum illis non absimiles animas, vel certè Angelos quosdam, qui è cælo delapsi cum filiabus hominum coisse, & Gigantes procreasse feruntur.* Atque idem etiam asserit Iustinus Apologet. 1. Clemens Alexandrinus 3. Strom. Tertullianus de Virginibus velandis, & Lactantius; tamen falluntur hi. Sed probatur

aliunde Angelos esse, & dici filios Dei. Nam Iob cap. 1. Angeli vocantur filij Dei, interpretibus Mariana & Saa, & reliquis. Et Septuaginta clarè dicunt: *Ecce venerunt Angeli Dei, vt starent coram Domino, & diabolus venit cum eis.* Quanta ergo est felicitas tua, ô homo, si intelligas filios Dei, id est, Angelos, tibi assistere, quibus Deus mandat patrocinium tuum.

2. De virgis quod secundo loco posui, quod signum est potestatis & principatus in inferiora, legimus Iudicum sexto: *Extendit Angelus summitatem virgæ, quam habebat in manu, & tetigit carnes, & azymos panes: ascenditque ignis de petra, & carnes & azymos panes consumpsit.* Quærit autem Aug. in quæstionibus super librum Iudicum, quem hîc refert Glossa, quomodo extra tabernaculum fœderis contra præceptũ Domini sacrificauerit Gedeon hoc loco: respondetque putasse Prophetam esse Angelum, quem vidit, & cum eius consilio, tanquam oraculo sibi per eum dato sacrificasse, sicut Elias reuelatione Domini, sibi facta extra templum obtulit sacrificium. Sed Liran. ait; Non Gedeon sacrificasse quidem, sed Angelum, quando virga tetigit carnes, ascendit autem ignis in signum diuinæ acceptationis: mysticè verò in signum Spiritus sancti, qui de petra, qui Christus est, procedit, vt notat Glossa ex August. Vnde Dominus dicebat: *ignẽ veni mittere in terram.* Et in die Pentecostes: Ignem misit Spiritus sancti super Apostolos. Si ergo virgę istæ denotant potestatem & principatum in hac inferiora, Angelus ergo tuus habet principatum in te. Hinc collige, magna cum illo

reuerentia agere.

3. Tertium, quod ſcilicet nos ſimus vinea, quam Angeli elaborant, dixit Petrus Damianus lib 7. ad ſeculares Principes: *Vinea facta eſt dilecto meo in cornu in loco vberi, & maceria circumdedit, & circumfodit eam. Quid ergo per maceriam lapidum, niſi præſidium, & excubias intelligimus Angelorum? quibus videlicet anima in certamine poſita, dum vallatur atque circumdatur, à cunctis aduerſantium Spirituum tentationibus cuſtoditur.* Si ergo vinea ſumus, & circundati tali maceria, videamus, num oporteat ab ſpe decidere fructus magni, qui expectari poteſt? & maceriã vineæ huius cum turri magna comparo, quam exiſtimo ſignificare Angelicum præſidium, ex Nyſſeno Homilia 7. in Cantica, ſic dicente: οἶμαι δὲ τὴν ἀγγελικὴν φρουρὰν ἐν κύκλῳ περιτοιχισμένην τὸν τοιοῦτον πύργον: *Puto autem eam turrim clypeorum multitudine ſignificare Angelicam cuſtodiam, qua circumſepti ſumus.* Qui vlterius ait per haſtas ſignificari idem præſidium: *Non enim abſolute dixit haſtas, ſed fortium adiectione oſtendit eos, qui pro nobis depugnant: adeo vt quod dicitur conueniat ei quod eſt in pſalmis: caſtrametabitur Angelus in circuitu timentium eum, & liberabit eos.* Et vt ad vineam redeam, quam cuſtodiunt Angeli, Chryſoſtomus & cæteri Doctores intelligunt locum Ieremiæ 51. *Curauimus Babylonem, & non eſt ſanata, relinquamus eam*, ſublaturum Deum ſepem, de qua in Euangelio, *auferam ſepem* & cætera, quod de Angelis intellexit, vt inquit Gloſſa, quo interminatur Deus, ſe maceriam & ſepem ablaturum. Vnde ſanctis animabus cuſtodia ma-

ior pollicetur, ſi perſtiterint in bono. & Procopi⁹ in Iſaiam, de nobis vt de vinea loquitur, καθελῶ τὸ φραγμὸν αὐτοῦ, καὶ ἔσται εἰς διαρπαγὴν, καὶ τὰ ἑξῆς; *auferam ſepem eius, & erit in direptione, & cetera deinceps.* De ſancta Franciſca Romana commemorari in eius vita ſolet, cuſtoditam fuiſſe à quodam Archangelo, ab eoque nullo temporis momento derelictam, ſed tanquam magiſtro vti illo conſueuiſſe, qui, vt piè creditur, cæleſtibus myſteriis imbuebat. Præter hunc porrò alium quoque Angelum habuit ſancta vidua, quarti chori, raræ pulchritudinis, conformem primo, qui continuo ſplendore vultum illi mirifice illuſtrabat, & recreabat. Quomodo autem primum ordinarie cernebat manus complicantem in formam crucis, ita alterum manibus ferentem triplicem palmæ ramum deauratum, & ambos oculis in Cælum ſublatis, capillis aureis, & facie multo clariſſima. Ex quo colligere eſt, quantum meritorum cumulum ſancta hæc Franciſca coaceruarit.

Angelorum multitudo & exercitus, qui Militia Dei dicitur.

Capvt xxxiiii.

I. Angelorvm multitudinem infinitam & copioſam nemo vnquam numerare queat. Cyrillus Hieroſolym. Catech. 15. vt declaret illud Matth. *Quādo autem veniet filius hominis in gloria ipſius, & omnes Angeli eius cum eo,* ſic ratiocinatur, dicam Latina tantum, quod pluſcula: *Animaduerte ô homo, in quantum indi-*

cium ingrederis, omne tunc genus hominum aderit. Cogita ergo primum, quantum sit Romanorũ genus: Cogita quot gentes barbarorum, nunc viuentes, & quot ante centum annos mortui: cogita quot ante mille annos sepulti sunt. Cogita eos, qui fuerunt ab Adam, vsque ad hodiernum diem. Magna quidem hæc multitudo, sed hæc tamen parua est. Plures enim Angeli. Nonaginta nouem sunt oues illæ, tu verò centesima, quoniam vnum est tantum humanũ genus. Nam pro locorum magnitudine cogitandum est de habitantium multitudine, si hæc nostra terra est tanquam centrum in medio cæli, & tantam habet multitudinem, quantam habebit multitudinem cælum, quod terram ambit? & cæli cælorum immensam certè habent multitudinem. Scriptum est enim: Mille millia ministrabant ipsi, & decem millia myriadum aßistebant ei. Non quòd tanta solum esset multitudo, sed maiorem hac Propheta dicere non poterat. Itaque numerus Prophetæ Danielis, etiamsi maximus, nullus est, si compares cum Angelis, sed vsus est numero illo, quia in humanis nullus est maior. vnde Basili⁹ Seleuc. Orat. 18. ad finem, cùm ait: ἐφεστήκασιν ἄγγελοι, τὰς εἰς ἕκαστον ὑποφάσεις μετὰ σπουδῆς ἐξανύοντες, *astabunt Angeli prolatas in quemcumque sententias properanter perficientes.* Intelligit non de successiua custodia Angelorum, sed de omnibus hominibus & singulis, quorum singuli Angeli proferẽt sententias. Vnde diuinatio est, quot erunt Angeli infimæ Hierarchiæ, qui nos custodiunt. Etenim tot sunt, quos nullus vnquam calamus consequi possit. Itaque etiam si addas, quot velis *mille*, nunquam æquabis. Cùm enim omnes illæ

beatæ mentes ac ſpiritus vniuerſæ corporalium naturæ diuinâ ſuffragante auctoritate & ordinatione præſideant atque dominentur; æquum valde rationique conſentaneum eſſe videbatur, vt in cœlo corporeo ſupremo videlicet empyreo, crearentur; in tanto numero, vt nec lingua exprimere humana, nec intellectus comprehendere, nec vlla cogitatio aſſequi poſſe cenſeatur. In qua multitudine prope infinita ſplendet illuſtrius multo principis æterni dignitas, atque maieſtas: ſicut in temporalibus principes terræ eo videntur illuſtriores, potentioréſque, quo ſunt multitudine populorum in ſuo principatu fœcundiores. Quapropter ineffabilem potentiam maieſtatemque Dei immenſam hac ſpirituum multitudine beatorum Daniel expreſſit, dicens, *Millia millium miniſtrabant illi, & decies centena millia aßiſtebant ei.* Inde Epiphanius de laudibus Virginis Mariæ: τὰς τῶν Ἀγγέλων στρατείας dixit, *copias Angelorum*, propriè *exercitus Angelorum*. Gregorius Magnus ſuper Iob 25. *In cognitione humanæ rationis ſupernorum ſpirituum numerus non eſt, quia quanta ſit illa frequentia inuiſibilis exercitus neſcit, de quo per Danielem dicitur, Millia millium*, &c. Quin Æneſius Platonicus lib. de Anima: Ἀγγέλων τε, καὶ δαιμόνων πλήρης ὁ ἀήρ, πλήρης δὲ καὶ γῆ, καὶ θάλασσα, καὶ τὰ ὑπὸ γῆν πάντα, καὶ ὡς ἔφη τις παρ' ἡμῖν σοφῶν, κενὸν οὐδὲν, οὐδὲ ὅσον ἀθέρα, καὶ τρίχα βάλλειν, ὥστε κἂν ἐθελήσειεν εἰς μυρία ἔτη τὸν βίον ἀνθρώποις ἐπεκτείνειν, οὐκ ἂν οἶμαι τῇ τῶν ἀγγέλων καὶ δαιμόνων πολυπληθείᾳ τῶν ἀνθρώπων αἱ ψυχὰς γένοιτο ἰσάριθμος: *Angelis & dæmonibus plenus eſt aër, plena terra, mare, & omnia quæ ſub terra ſunt:, & vt aliquis*

sapientum apud nos inquit, vacuum nihil est, neque quantum stipulæ acerui, aut pili iactus sit: ita vt licèt Deus velit hominibus vitam ad infinitos annos propagare, non putem fieri posse vt animæ hominum, Angelorum, & dæmonum numerum æquent.

2. Iam verò nomen militiæ à sanctis vsurpatur. Inprimis Luc. 2. *Facta est cum Angelo militia cælestis exercitus laudantium, & benedicentium Deum.* Et Dominus dixit ad Petrum: *An putas, quod non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò plusquam duodecim legiones Angelorum?* Item. *Iacob abiit itinere, quod cœperat, fueruntque ei obuiam Angeli Dei, quos cùm vidisset, ait: Castra Dei sunt hæc.* Et cùm apparuisset Iosue Angelus dixit: *Princeps sum exercitus Domini.* Præterea Micheas Propheta: *vidi Dominum sedentem super solium suum, & omnem exercitum cæli assistentem ei.* Et alibi: *Exercitus qui sunt in cœlo, sequebantur eum.* De Angelis denique dicitur. *Nunquid est numerus militum illius?* & 2. Machabæorum cap. 5. dicitur: *Contigit autem per vniuersam Ierosolymorum ciuitatem videri diebus quadraginta per aëra equites discurrentes, auratas stolas habẽtes, & hastis quasi cohortes, armatos, & cursus equorum per ordinem digestos, & congressiones fieri cominus, & scutorum motus & galeatorum multitudinem gladiis districtis, & telorum iactus, & aureorum armorum splendorem, omnisque generis loricarum.* Quid hoc est, nisi Angelos pugnantes videre? Hæc certè est Dei militia. Et Iosephus lib. 7. cap. 12. *Ante Solis occasum visi sunt per inane ferri currus totis regioni-*

bus & armata acies tranantes nubila. Idem docet Egesippus lib.5.excidij Ierosolym. cap.44. Mitto Plinium lib.2. cap. 57. Appianum lib.4. Ciuil. Ouidium 15. Metam. Hi enim Gentiles sunt, & nihil videntur de Angelis loqui. Sed affero alium locum, ex eodem libro Machabæorum cap. 10. vbi ita: *Sed cùm vehemens pugna esset, apparuerunt aduersariis de cœlo viri quinque in equis, frenis aureis decori, ducatum Iudæis præstantes. Ex quibus duo Machabæum in medio habentes, armis suis circumseptum incolumem conseruabant: in aduersarios autem tela & fulmina iaciebant, ex quo & cæcitate confusi, & repleti perturbatione cadebant.* Neque Angeli temerè cœlesti militiæ adscripti sunt: ab his enim Draconi bellum illatum est: quem prælio victum cœlo deturbarunt, vt autor est Ioannes Apocalyp. 12. At metaphora demum obtinuit apud sacros scriptores, vt ij quoque militare dicerentur, quicunque sacerdotis aut leuitæ munus in templo obirent; seu quod illi instar militum stipendia mererent; seu quod velut terrestres quidam Angeli, arcem religionis templum vallare ac tueri viderentur. De his namque Numer. capit. 4. legimus. *Numera omnes qui ingrediuntur, & ministrant in tabernaculo fœderis.* Vnde Angeli dicuntur sæpe infiniti. Gregorius Homilia 34. in Euang. Nouem ordines Angelorum diximus, quia videlicet testante sacro eloquio scimus esse Angelos, Archãgelos, Virtutes, Potestates, Principatus, Dominationes, Thronos, Cherubin, & Seraphim, esse enim Angelos & Archangelos pene omnes sacri eloquij paginæ testantur, Cherubim verò, atque Seraphim

ſæpe vt notum libri Prophetarum loquuntur, quatuor quoque ordinum nomina Paulus Apoſt. numerat dicens: ſuper omnem Principatum & Poteſtatem, & Virtutem, & Dominationem, qui rurſus ad Coloſſen. ſcribens ait: ſiue Throni, ſiue Dominationes. Sed redeo ad nomen *Militiæ*, vt enim (ait Creſollius in Myſtagogo lib. 3. c. 30.) Romani Imperatores locum eſſe voluerunt Romæ manu & opere munitum, quē dixere *Caſtra*, vbi milites ad tuendum Imperatorem lecti morabantur: ſic Angeli, qui mundo præſident, euocatique ſunt diuinitus ad propugnandam hominum ſalutem, & cuſtodiendum magni Regis dominatum, in *Baſilicis* ſibi veluti caſtra poſuerunt, & tabernaculum rerum ſuarum, vbi iiſdem prope in excubiis, & honorata cuſtodia hærent ſacerdotes. Id per Zachariam 9. cap. olim Deus pollicebatur, vbi ait: *Circumdabo domum meam ex his, qui militant mihi.* Chryſaſpidas illos intelligit, & Prætoriam cœli cohortem, quæ Dei *Domum*, hoc eſt, *Templum*, frequentat. Et quidem in templo Solymorum, in ea parte, quæ *Sancta Sanctorum* dicebatur, perpetuò fuiſſe Angelum, humana effigie, ſplendidiſſimis oculis, & corpore in omnem partem illuminato, qui propitiatorio inſideret, doctiſſimi viri, ait Abulenſ. in Exod. 23. q. 22. prodiderunt. Et ne fortè gloriæ ſuæ & luminis magnitudine Pontificem obrueret, qui quotannis ſemel in eum locum ingrediebatur, aiunt ab eo puniceam nebulam circumfundi ſolitam, & communem fuiſſe opinionem, illi certam imminere perniciem, qui oculos in eum Angelum intendiſſet. In reliquo templo illo au-

gusto, vbi tot preces & sacrificia offerebantur, fuisse vim copiamque bonorum spirituum, ex eo liquet, quod cùm locus fuisset hominum scelere malitiâque pollutus, auditæ sunt abeuntium voces, cùm dicerent, *Migremus hinc.* Pugnant itaque pro nobis Cælestes Principes, qui primo sui ortu, cingulo militiæ donati, palmâ & lauro gloriose redimiti, Satanam è cælo pepulerunt. Iam inde ab eo tempore Milites Dei appellantur. Hinc à Nahum cap. 2. nominatur Angelicus cœtus, *Clypeus fortium ignitus.* & Deus à Dauide Psalm. 23. Dominus *δυνάμεων, virtutum*: quod Hieronymus vertit, *exercituum*, Aquila *militiarum.*

3. Numerus denique tantus est, vt (quod de eo Nazianzenus orat. de Natiuit. Dom.) mundum nouum constituant, qui nostrum numero longissimè superet. Nam vt cælum ea omnia quę complectitur, magnitudine; sic Cælites vniuersa numero excedunt. Deinde quanta sit Angelorũ multitudo, ipsa eorum custodia ostendit. Solum infimi Angeli custodiunt, id est, de infimo ordine, & consequenter illius ordinis multitudo tanta est, quanta vllo tempore multitudo est viuentium, cùm quilibet habeat vnum Angelum, ex communi Sanctorum doctrina. Alij verò ordines quanto superiores, tanto copiosiores sunt. Sicut ergo infiniti quodammodo sunt homines nunc viuentes, ita infiniti sunt Angeli infimi ordinis, vt de aliis, & de dæmonibus taceam. S. Brigitta. *Tantum esse numerum* (ait Blosius in Monili Spirit.) *beatorum spirituum Angelicorum, vt si computarentur omnes homines ab Adam vsque ad vl-*

timum in fine mundi nasciturum, possent vnicuique homini deputari ad minus decem Angeli gloriosi. Diuinus etiam Dionysius Areopagita scribit, numerum sanctorum Angelorum superare omnem numerum rerum inferiorum. Plerique tamen Patrum existimant non plures esse Angelicos spiritus in cælo, quàm erunt beati homines finito hoc sæculo, ita vt æqualis futurus sit numerus Angelorum & hominum beatorum. O quàm iucundum erit conspicere totum illum cælestem exercitum, & amabilem illam multitudinem, gratiosa humilitate, suauissimâ charitate, ineffabili multitudine, perennique gloriâ refulgentẽ, ac singulos cæli ciues perfectissimè cognoscere! Et hunc Angelorũ numerũ nec intelligentia cõprehendi, nec lingua pronũtiari posse, è diuinis paginis liquet. Iob quærit: *nunquid est numerus militum eius?* Lacedæmonũ Reges, trecentos selectissimorum militum; reges Macedonum, mille in corporis custodiam habuerunt, omnia hæc numerabilia. Sed nunquid est numerus militum Dei? Nec desunt exempla huius multitudinis. In vitis ordinis Prædicatorum cap. 1. legitur in hunc modum. *Legista quidam Bononiæ ciuis intrauit ordinem, quem cum de domo carnales eius amici vellent violenter extrahere, timentibus fratribus & volentibus mittere ad quosdam milites patronos, vt defenderent domum, ait Beatus Dominicus, Non indigemus auxilio militũ, quia ergo plusquam ducentos Angelos video circa Ecclesiam, qui missi sunt ad custodiam fratrum, recesserunt ego illi nutu diuino territi, & confusi, & nouitius consolatus permansit.*

Angeli oculi Dei, pacifici, velocißimi, Multa didicerunt ab Apostolis, illis occultatum Incarnationis mysterium adunati cum hominibus.

CAPVT XXXV.

Quod ſint Angeli *oculi Dei* aſtruit Zachar 3. 1. *Super lapidem vnum ſeptem oculi ſunt.* quem in locum Franc. Ribera *oculos* explicat, id eſt *Angelos*, quaſi oculos totidem, per quos Deus gubernat Eccleſiam. Angeli quidem in ſcripturis ſanctis variis metaphoris ſignificantur, vocantur quippe aſtra matutina, lapides igniti, oculi Domini, Cedri Paradiſi, & Abietes Platani. Rurſus Aquilæ, Leones, Boues, Currus ignei, Equi varij, & alibi: ſepes vinæ Dei, multiſque aliis coloribus adumbrantur. & Ioannes in Apocalip. 5. *Vidi agnũ in medio throni habentem cornua ſeptẽ, & oculos ſeptem, qui ſunt ſeptem ſpiritus Dei, miſsi in omnem terram*. Vbi ſeptem ſpiritus ad vniuerſi cuſtodiam deſtinatos congruentiſſimè vocat Ioannes Chriſti oculos: quoniam eos ſuæ generalis prouidentiæ adminiſtros habet. Illis vtique munimur & defendimur, colluſtrant enim omnia, ac vident quid neceſſe habeamus. Ita enim explicat Ioannes Abbas Raythu in Scholiis ad Ioannem Climacum. Nunciant vero nobis benigniſſime pœnitentiam noſtram acceptam eſſe Deo, ſicuti in lib. 8. de Vitis Patrum: *Nam cùm ſe in ſpelunca incluſiſſet, & ſibi*

ſibi ſaccum & cinerem ſubſtrauiſſet, non priùs è terra ſurrexit, nec ceſſauit flere, quàm vocem Angeli audiiſſet ei dicentem in ſomnis: Accepit Dominus tuam pœnitentiam, & tui eſt miſertus, deinceps autem vide ne decipiaris. Quippe Angeli benignis oculis intuentes (illis ſcilicet quibus Deus videt) nunciant noſtram pœnitentiam gratam eſſe Deo.

2. Alterum, quod eſt eſſe *pacificos* Angelos, oſtendit Chryſoſtomus ſerm. 52. in eos qui Paſcha ieiunant, vbi ſic ait: *Et verò Diaconus dum cum aliis precari iubet, hoc quoque imperat in oratione, vt Angelum pacis rogemus, & quæ propoſita ſunt cuncta pacifica, & ab hoc conuentu vos dimittens, hoc vobis precatur, dicens: In pace diſcedite, & nihil in vniuerſum poteſt vel dici, vel fieri ſine iſta. Eſt enim hæc nutrix ac mater noſtra, quæ multo cum ſtudio ac diligentia nos fouet. Pacem porro dico non hanc à ſola appellatione, neque illam quæ in menſæ communione conſiſtit, ſed pacem ſecundùm Deum, quæ ex ſpirituali concordia naſcitur, quam multi nunc diſsipant; à quibus res noſtræ intempeſtiuâ quadam contentione deſtruuntur, & res Iudæorum augentur, dum eos fide digniores doctores quàm ſuos patres arbitrantur, & Chriſti parricidis de paſsione credunt, quo quid abſurdius fieri poteſt?* Gregorius Nazianzen. orat. 12. τούτων δὲ (δυνάμεων, nam de his loquitur) οὐδὲν οὕτως ἴδιον, ὡς τὸ ἄμαχόν τε καὶ ἀστασίαστον: *His porro* (id eſt cæleſtibus virtutibus) *nihil tam proprium eſt, quàm pugnas & diſsidia neſcire.* & reddit rationem, οὔτε γὰρ ἐν θεότητι στάσις, *nam neque in deitate eſt diſsidium*, quam ſcilicet cæleſtes virtutes

imitantur. & orat. 14: μεταληφθῆν δὲ (scilicet εἰρηναῖ ν) ὑπὸ τῶν ἀγγελικῶν, καὶ θείων δυνάμεων: *Ab Angelis & diuinis virtutibus perceptum esse in pace & tranquillitate.* Chrysostomus homil. 3. de Ascens. *Ita Deus, quoniam barbarâ & agresti mente rabientes dæmones ad pacis euersionem vbique versantur, ad tutelam nostram constituit exercitus Angelorum, vt eorum præsentiâ dæmonum confringatur audacia, & per eos nobis pacis gratia ministretur.* Sanctus Bernardus serm. 1. de Angelis: *Attamen super omnia hæc vnitatem & pacem à nobis exigunt Angeli pacis.* & serm. 2. de verbis illis Apostoli: *Non est regnum Dei esca & potus,* sic ait: *Exhibent enim Angeli, fratres charissimi, iustitiam Deo, pacem inter se, gaudium sibi. Sic & tu homo, noli priùs rapere quod tuum est, & iustitiam quam Deo, & pacem quam proximo debes, contemnere.* & Ionas Aurel. Episcopus lib. 3. de cultu imaginum, ait per Angelos nobis pacis gratiam ministrari. cuius verba alibi do. Et vt sciamus esse pacificos, satis est cantus ille in Natiuitate cantatus, *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus,* quem sancti Angeli cælesti voce modulati sunt. Etenim S. Chrysologus ser. 149, qui est de Natiuitate, ea verba sic explicat: *Omnia pulchritudo pacis obtinuit, nunc in luctu est diabolus, & in lamentatione omnis dæmonum turma, tunc in cælestibus lætitia, & in Angelis exultatio, quibus specialius familiaris est pax. Hanc enim cælestes admirantur virtutes, apud quam fons eius habetur perennis: ex quo etiã terreni guttis quibusdã exinde distillantibus irrorantur. Et ideò etiamsi in terris pax laudatur à*

Sanctis, laudis eius splendor redundat in cœlum: laudant etiam cœlestes Angeli, & dicunt, Gloria in Altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Videtis fratres, quomodo cœlestes omnes, & terrestres inuicem sibi munera pacis mittunt, cœlestes Angeli terris pacem annunciant: sancti in terris Christum, qui est pax nostra, collaudant in cœlestibus positum, & mysticis choris conclamant, Hosanna in excelsis. Dicamus ergo & nos cum Angelis, Gloria in Altissimis Deo, qui humiliauit diabolum, & exaltauit Christum suũ: Gloria in Altissimis Deo, qui discordiam fugauit, & pacem statuit. Videte fratres, vocem Angelicam exultantem, Gloria in excelsis Deo, & in terra pax, &c. Id demum constat ex Sacra Scriptura. nam in Isaïa cap. 33. apud Procopium est, ἄγγελοι γὰρ ἀποσταλήσονται ἀξιοῦντες εἰρήνην: *Angeli mittentur rogantes pacem.*

3. Tertium erat *velocitas.* Hæc tanta est in Angelis, vt nulla mens, nullaque cogitatio possit comprehendere celeritatem, qua ad nos à cælo vsque ad terram meant & remeant. Anselmus in Elucidario sic: *Azael agilitas (qui vt dicitur 2. Reg. 2. cursu pedum præcedebat capreas) ibi esset pigra tarditas. Sanè sancti ipsi ita veloces sunt, vt quàm citò oriens Sol in occidentem venire possit; & quàm citò oculus se eleuans visum ad cælum dirigit: tam citò ad terram de cælo, de terra ad cælum relabi poterunt; hoc enim Angeli facere possunt, quibus illi æquales erunt, vt dicitur Marci 12, erunt æquales Angeli Dei.* Re verâ superant nostram imaginationem. quod in Abacuc probatur, qui translatus est ab Angelo à Iudæa in

Babylonem, & ait Scriptura apud Danielem: *Posuitque eum in Babylonem super lacum in impetu Spiritus sui.* & addit, eundem Abacuc in eundem locum reportatum ab Angelo *puncto temporis.* Quis est hic impetus? certè talis, qualem nemo possit cogitare. Vnde Hieronymus exponens illud, *sequuntur agnum quocumque ierit,* dicere ausus est (tametsi hyperbolicè) Angelos præsentes esse cuique loco. Quia tanta est celeritas eorum motus, vt quanquam vno eodemque instanti nonnisi vno in loco versari queant, possint minimo temporis spatio realiter & præsentissimè omnes mundi partes percurrere. Quapropter sanctus Dionysius cap. vlt. de Cælesti Hierarchia, non contentus communi conceptu hominum, qui Angelos in mente fingunt similes pulcherrimis iuuenibus, iisque alatis; alas quoque ascribit illorum pedibus. quod de Mercurio olim fabulati Gentiles sunt. &, vt inquit Albertinus, tantum spatium conficit intra tempus vnius horæ, quantum homo, si singulis diebus quadraginta milliaria decurrens, bis mille nongentis & quatuor annis in continuo itinere perseueraret: aut, iuxta aliorum calculationem, tantum, quantum foret, si circulus æquinoctialis orbis terræ millies octingenties octogesies quater reduplicaretur. Vide cap. 1. Ezechielis, vbi mirabiliter loquitur de ista Angelorum velocitate, deque eorum pennis. Tu si de beatarum mentium incredibili celeritate cogitas, finge tibi nauim per immensa patentis æquoris spatia remis, velisque concitatissimè fluẽtem, finge telorum è balistis emissas grandines,

finge reginam auium aquilam toto illo plumarum remigio instructam contentissimo corporis nisu, acerrimo cupiditatis ardore ruentem in prædas, finge istas quæ à poëtis memorãtur alas fulminum, & tuum quãdo liberum est animum, & illam animi pupillam mentem fulgure velocius per disiunctissima quæque tam breui momento discurrentem, hanc si cum Angelorum celeritate contuleris, testudinem cum equo velocissimo comparabis.

4. Quartum erat, Angelos multa *didicisse* ab Apostolis. In primis multa sciuisse Apostolos, quæ Angeli non cognouerunt, certum est. vnde illa Matth. 16. *Beatus es, Simon Barjona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus*, &c. super quæ Glossa: *Verè beatus, quia tale quid reuelatum est Petro, cuius Papa successor existit, quod nec Angelus, nec homo scire potuit.* Et Theodoretus in cap. 3. ad Ephes. hæc ait: *Nec Potestates quidem, quæ sub aspectum non cadunt; sciebant mysterium, sed per dispensationem quæ est in Ecclesia, ineffabilem Dei sapientiam didicerunt.* Et Cornelius Noster in idem caput ad Ephesios, vbi nominat Apostolus *Ecclesiam*, ita ait: Per ea, quæ gesta sunt à Christo & Apostolis in Ecclesia, perque gratias & dona Ecclesiæ ab his communicata, multa mysteria Christi, & Christianorum Angelis innotuisse, quæ priùs ignorabant: licèt enim mysterium incarnationis, & redemptionis nostræ, quoad substantiam ex reuelatione à principio suæ beatitudinis cognouerint, non tamen omnes eius partes, species, causas, effectus, modos, & circunstantias

cognouerunt; sed didicerunt, cùm ea in Ecclesia fieri, exhiberi, & geri viderunt. Talia fuerunt institutio sacramentorum, præsertim Eucharistiæ, modus & ratio iustificandi peccatores, diuisio & missio Apostolorum in tales ac tales prouincias, ordo hierarchicus Apostolorum, Sacerdotum, Diaconorum, aliorumque ministrorum Ecclesiæ; vocatio Gentium, &c.

5. Quintum erat affine præcedenti, Angelos latuisse Diuinæ Incarnationis mysterium, quod testatur Athanasius quæst. 130. *Nullus neque Angelus, nec alia creata potestas cognouit hoc mysterium, & dispensationem istam, quod in terra Deus carnem assumpturus esset.*

6. Sextum denique erat, Angelos *adunatos* esse cum hominibus, vt gaudium eorum percipiant. Qua loquendi formâ vtitur Firmilianus in epist. ad Cyprianum, cùm ait: *Adunatio enim, & pax, & concordia, non solùm hominibus fidelibus & cognoscentibus veritatem, sed & Angelis etiam cælestibus voluptatem maximam præstat: quibus dicit sermo diuinus, esse gaudium in vno peccatore pœnitentiam agente, & ad vnitatis vinculum reuertente. Quod vtique non diceretur de Angelis conuersationem in cælis habentibus, nisi ipsi quoque essent nobis adunati, qui nostrâ adunatione lætantur: sicut è contrario vtique contristantur, quando vident diuersas quorumdam mentes, & scissas voluntates, quasi non tantùm vnum & eundem Dominum simul inuocent, sed separatis & diuisis ab inuicem, nec confabulatio iam possit, aut sermo communis.* Quam ob rem B. Bernardus nobis obuersetur ante oculos, qui serm. 1. de

Angelis in hunc modum loquitur: *Pensate fratres, quantâ etiam fortitudine nobis opus est, vt dignos nos exhibeamus eorum frequentiâ, & eo modo conuersemur in conspectu Angelorum, ne fortè sanctos offendamus obtutus; væ enim nobis si quando Angeli prouocati peccatis & negligentiis nostris, indignos nos iudicauerint præsentiâ & visitatione suâ, vt iam necesse habeamus cum Propheta plangere, & dicere, Amici mei & proximi n ei aduersum me appropinquauerunt & steterunt: Et qui iuxta erant de longe steterunt, & vim faciebãt qui quærebant animam meam: elongatis nimirum iis, quorum præsentia protegere, & propulsare poterat inimicum.*

Angelos cognouerunt Gentiles. Purgatio in Angelis quid sit. Cur Angeli dicuntur infusoria vasa, in quo summus Pontifex Angelos superet. Angeli liberant nos à maris tempestatibus.

CAPVT XXXVI.

I. QVINQVE proposui in hoc capite discutienda, quorum primum est, *Angelos cognitos esse Gentilibus,* quod procul dubio de Platone & Socrate certissimum est ex Cypriano lib. de idolorum vanitate sic asserente: *Spiritus insinceri & vagi, qui posteaquam terrenis vitiis immersi sunt, & à vigore cælesti, terreno contagio recesserunt, non desinunt perditi perdere, & deprauati errorem prauitatis infundere. Hos & poëtæ*

dæmonas norunt, & Socrates instrui se & regi ad arbitrium dæmonis prædicabat; & magis inde est ad perniciosa vel ludicra potentatus, quorum tamen præcipuus Hostanes & formam veri Dei negat conspici posse, & Angelos veros sedi eius dicit assistere. In quo & Plato pari ratione consentit, & vnum Deum seruans, cæteros Angelos, vel Dæmonas dicit. Hermes quoque Trismegistus vnum Deũ loquitur, cumque incomprehensibilem atque inæstimabilem confitetur. Hi ergo spiritus sub statuis atque imaginibus consecrati delitescunt. Hi afflatu suo vatum pectora inspirant, extorum fibras animant, auium volatus gubernant, sortes regunt, oracula efficiunt, falsa veris semper inuoluunt. Nam & falluntur & fallunt: vitam turbant, somnos inquietant, irrepentes etiam in corporibus occultè mentes terrent, membra distorquent, valetudinem frangunt, morbos lacessunt, vt ad cultum sui cogant, vt nidore altarium, & rogis pecorum saginati, remissis, quæ constrinxerant, curasse videantur. Eusebius vt ostendat, Platonem, quæ scribit de cælestibus virtutibus, & dæmonibus, qui contrariæ virtutes dicuntur, ex Scripturis ea sacris accepisse. *Vnde ista,* inquit, *Plato adinuenit? ego quidem nescio aliud, præterquam, quod mille annis ante tuam ætatem vulgo apud Hebræos hoc dogma ferebatur.* Scribitur enim, *Et venerunt Angeli Dei, vt coram Deo assisterent, & Diabolus venit in medio ipsorum. Diabolum quidem contrariam Virtutem, Angelos autem bonos appellauit, quos, & Virtutes bonas, & spiritus diuinos, & ministros Dei Scriptura nominat. Qui facit,* dicens, *Angelos suos spiritus, & ministros eius ignis flammã.*

Bellum etiam à contrariis nobis inferri Scriptura significat, dicens, *Non esse nobis hanc luctationem aduersus carnem, & sanguinem, sed aduersus Principatus, & Potestates, & Principes huius mundi, aduersus spiritualia nequitiæ in cælestibus.* Cùm autem possessionem nos Deorum, & Dæmonum censeat, illud Mosaïcum traduxisse videtur, quo dicitur: *Quando Altißimus gentes partiebatur, dissеminauit filios Adam, & constituit terminos gentium, secundùm numerum Angelorum Dei.* Nec mirum, cùm hæc sit diuinitatis sanctissima lex θεσμὸν πανιερὸν vocat Dionysius, vt per prima, sequentia ad augustissimam magni Numinis subeant lucem, & perficiantur. Hos vocat Nazianzenus orat. 38. δευτέρας λαμπρότητας, λειτουργοὺς τῆς πρώτης λαμπρότητος, *secundos splendores primi splendoris administros.* & orat. 34. hunc splendorem acceptũ à superioribus Angelis vocat, ὥστε ἄλλα γίνεσθαι φῶτα: *vt ipsi alia quoque lumina efficiantur.* Hoc enim est *purgare, illuminare, perficere.* quod continuò præstant superiores Angeli inferioribus.

2. Secundum de purgatione Angelorum, vbi se offert quid sit illorum purgatio. Verba Dionysij de Cælesti Hierarchia cap. 3. hæc sunt: *Est enim Hierarchia ordo, alios quidem purgari, & illuminari, & perfici; alios purgare, & illuminare, & perficere.* Hæc purgatio non est à mali corruptela, vt immaculatæ vitæ munere perfruantur; sunt enim ab omni peccato immunes, confirmati videlicet in gratia, sed dicuntur purgari à defectu boni, vt speciosiores in Altissimi conspectu refulgeant. Quæ esse, ac fieri nullo

modo poſſent niſi præfectura & imperium in ſuperioribus Angelis eſſet; obedientia verò & obſequium in inferioribus purgationis, illuminationis, ac perfectionis influxum ab illorum virtute recipientibus apparerent. Inde ſanctus Thomas 1. p. qu. 107. a. 3. hoc ipſum eodem Dionyſio interprete fulcit, & probat, cùm ait: *Hanc eſſe legem diuinitatis immobiliter firmatam, vt inferiora reducantur ad Deum per ſuperiora.* Inde eſt, quod in corpore huius articuli refert: *ordinem, qui conuenit ſpiritualibus ſubſtantiis à Deo vnquam prætermitti, cùm ſemper inferiora per ſuperiora moueantur, & non è conuerſo.*

3. Tertium eſt, cur Angeli dicantur eſſe *Infuſoria* à Zacharia cap. 4. cùm ait: *Vidi, & ecce candelabrum aureum totum, & lampas eius ſuper caput ipſius, & ſeptem lucernæ eius ſuper illud, & ſeptem Infuſoria lucernis quæ erant ſuper caput eius.* Vbi notandum *Infuſoria* dici Angelos, ſcilicet aurea vaſa olei conſeruatoria, in quibus ſeruabatur oleum in lucernas effundendum, ex candelabro illo aureo pendentia, ſeptem conſtante lampadibus Eccleſiam repræſentante Sãcti Spiritus illuſtratam chariſmatibus appellauit. Iuxta quorumdam interpretationem Doctorum tam vetuſtorum quàm recentium, vt Ariæ Montani, Infuſoria, Cæleſtes Mentes interpretantis, ad diuina beneficia Eccleſiæ, filiiſque eius adminiſtranda deputatas à Deo ſecundùm illud Apoſtoli Ioannis in Apocalypſi dicentis de ſeptem Lampadibus ardentibus ante thronum Dei, & explicantis *ſeptem ſpiritus Dei.* Quo numero, ſiue cum quibuſdam Patribus An-

gelorum vniuersitatem, siue cum aliis, septem præcipuos Angelos, rebus humanis præsidentes interpretari voluerimus: ex hoc nihilominus loco semper intelligemus Angelos lucentes esse lampades sapientia, ad erudiendum populos terræ, & ardentes charitate ad eorum inflammanda in amore Dei præcordia. Quandoquidem septem illi spiritus beati (si posteriori duarum innitamur expositioni) fideles in fidei caligine, vitæque huius tenebris versantes, per inferiores Angelos, & interdum etiam per seipsos tanquā splendidissimæ lampades illuminant, & ardentissimæ, spirituali salutarique charitatis igne cōburunt. Ex quibus duobus Sacræ Scripturæ locis, Angelos non solùm esse lucentes ardentesque lampades, sed etiam vasa aurea diuinorum beneficiorum gratiarumque plenissima cernimus, quæ fidelium mentibus tanquam lucernis infundere desiderant. Diuina namque beneficia olei vocabulo similitudine idoneâ significantur, cùm ex Dei misericordia profecta scaturiant, & magno charitatis impetu clementer erumpant. Rectè etiam hæ spirituales lampades ardere visæ sunt, quoniam spiritus illi beati quanto possunt affectu, quos suæ lucis irradiatione collustrant, sacro diuini amoris incendio flagrantes vtiliter incendunt.

4. Quartò ostendam breuiter summum Pontificem in aliquo Angelis præstare. Dempto Christo Domino, à quo omnis in homines Ecclesiasticæ Monarchiæ præfectura redūdat, si solùm de capite pastoréque visibili, inuisibilis in terris Vicario loqui velimus, cæteris Ecclesiæ

membris silentio prætermissis, quo breuitati studeamus, non erit, credo, difficile pastorem illum Ecclesiastici gregis autoritate & gratiis prædominantis, principalisque capitis Christi Domini, tanquam diuinitatis splendoribus, radiisque circumfusum, sublimiorem Angelis in multis diuinæ largitatis honoribus & donis ostendere; siue illa quæ in sublimi rerum diuinarum cognitione: siue quæ in extensa valde iurisdictione, siue quæ diuinorum sacramentorum, mysteriorumque Christianæ religionis præcipuorum administratione: siue quæ in immensa diuinæ magnificentiæ remuneratione consistant, attendere voluerimus. Quis enim nescit, nisi in sacris planè peregrinus oraculis, multa sublimis altæque sapientiæ S. Petro & successoribus eius Christum Dominum proprio suæ omnipotentiæ motu, arcana sæpiùs ipsis ignota Angelis reuelatione diuinâ communicasse.

5. Quintum & vltimum est, sanctos Angelos ad nostram custodiam deputatos eripere nos à maris tempestatibus, quod ostendam latiùs ex vno Paulino epist.36. quod narrat, & admirabile est, fidemque facit in hæc verba. Opera Domini prædicare honorificum est, quæ mihi causa huius epistolę fuit, quia patrisfamilias huius, quē ad vnanimitatem tuam prosequor, Secundiniani negotium, vt probatis, non potest sine Domini gloria & laude narrari. Sicut enim dixit in Euangelio: *Pater meus adhuc operatur, & ego operor:* ita & nunc facit, neque desinet bonus Dominus fidem vestram euidentibus veritatis suæ excitare, ac verè prouocare documentis. Itaque

in diuersis, vt scriptum est, argumentis apparens nobis Saluator Deus, terra marique pro nobis operatur, & quod in singulis agit, multorum fidei, salutique procurat. Videt enim quàm admirabile, & prædicabile opus sit, quod Iesus Dominus in vno sene cum Angelis suis sanctis operatus est. Hæc enim causa est supradicti amici, & fratris, qui est vir in Christo fidelis. Hyeme superiore compulsus in Sardinia cum cæteris quippe nauiculariis inuehendas fiscalibus horreis fruges ministerio propriæ nauis accipere, non expectato tempore soliti commeatus ante æstiuam temperiem, onustum nauigium, vi publicâ vrgente demisit. Illuc, vt mihi retulit, in proximo freto exorta tempestas, temerè de portu solutam multarum nauium classem à cursibus destinatis retorsit, & fregit in littore, huius nauem in quodam eius insulæ loco, quem ad Puluinos vocant, ne similiter illideretur, anchoris fundare conati sunt, sed hyemis eiusdem violentia præualescente, rumpentibus vinculis, nautæ exterriti scaphulam demiserunt, velut nauis fortiùs continendæ renouatis, & altiùs stabilitis anchoris subuenirent, vel vt seipsos, si possent, à discrimine nauis, eriperent. Sed illos statim cum fragili perfugio limbuli sui arripuisse in scopulos procella dicitur, & superfusis fluctibus obruisse; vnum ex omni numero nautarum senem sentinando deputatum, vel metu immemores, vel, vt vilem animam contemnentes relinquunt. Interea destituta nautis, & anchoris nauis aufertur in pelagus: senex ille, qui nescierat se relictum, vt iactari, voluique sensit, ab intimo nauis emergit,

vacua omnia, mare vndique & vndique cælum videt, cùm & metum, & periculum misero solitudo cumularet, sex dies & noctes ieiunus comedit. Fuerunt enim illi lacrymæ panes die ac nocte; tum ipsum iam mortis, quàm vitæ cupidiorem, finemque pœnarum, animæ exitu desiderantem, misericors, & miserator Dominus adire comminus, & verbi cibo animare dignatus est. Refert ipse adhuc lacrymans fælicitatem periculi sui, nec sine lacrymis cordis, & gaudio spiritus audiri potest, vt compellatus adeunte Christo, vt confortatus hortante sit, vt arborem iussus incideret, quam excidi in eo tempore remedium nauis erat: sed, quod multi, atque validissimi sine suo, & nauis periculo vix possunt, solus, & debilis arripere non audens, Dei verbo ausus est, bis tantum, & leuiter, vt à senili manu tractu magis quàm ictu securis, malus ita prosiluit à vulnere, vt longe extra nauem in vndas expulsus; tutò ceciderit: deinde varijs, vt marina iactatio, & naualis instructio poscit, officijs, cum aut artemone armari oportebat, aut sentinam repleri necesse erat, nomine Victoris vocatus à Domino, porrigere tantum specie agendi manum ad quamlibet operam iubebatur. Non enim in multa, & vària circa hunc senem mirabilium diuinorum gratia, hoc quoque Dei munus prætereundum videtur, quod etiam nomen accepit, quo nunc, & regeneràtione censetur, & ab hominibus, & ab Angelis scribitur; gentilitio enim signo Valgius vocabatur, qui nunc Victor à Domino dicitur, & est victor in Domino, qui illi aptum ad opera sua id ipsum nomen imposuit, quia

videlicet & in mari de tempeſtatibus, atque naufragio per adiutorium Chriſti & nuper in terra per eiuſdem gratiam de peccatis & Diabolo triumphauit; videlicet, vt totus in Chriſto nouandus; neque in nomine, neque in homine veteri permaneret. Mira fides, & ineffabilis pietas Domini Saluatoris, qui ſenem, ſi forte ſomno piger lentius ad gerenda conſurgeret, & molli manu ante præpalpans, ne trepidus expergefieret, vellicatâ blandè auriculâ, ſuſcitauit, cùm leniter adnitens ſenex à primo ſtatim conatu ſuo manibus Angelicis res effectas videret, vt vix rudentem attigerit, cùm velum videret iam exſinuatum in contos ſuos, ſi parum ſtabat, vel nauis vela faciebat, vel aqua rimis nauis accepta mergere tentauerat, & poſt vnum vel alterum breuis ſentinaculi hauſtum ore diſtricto, ſiccataque naui quod ageret non habebat: ſtupēs laborem ſibi ſine labore præcerpi, & actum ſuū occulta manu præueniri, ſi bene occulta dicitur, quæ tam perſpicuum præſtabat auxilium, ſed nec ipſi operatores ſimplicibus innocentiſſimi ſenis oculis ſubtrahebantur. Nam ſæpe vidit armatos videlicet de exercitu cœli milites excubare nauigio, & cuncta nautici muneris adminiſtrare, nec ſane nauem illam, niſi Angeli nautæ decebant, cui gubernaculum erat mundi gubernator. Ipſe enim Dominus nunc ſuo vultu coruſcus, vt in Apocalypſi deſcribitur, & comâ fulgidus, nunc confeſſoris & amici ſui Domini mei communis patroni, Felicis ore venerabilis in puppi ſedebat, ſicut nautico vſu dicitur ad timones, vel potius pro timonibus, quos cum ancoris pariter & nau-

tis in illo naufrago littore nauis amiserat infelix fœliciter, vt pro amissis omnibus viris, & armis suis, aut Domini martyrem, aut Dominum martyris obtineret. Narrat gaudio lachrymans senex, se ad illius pedes nunc Domini, nunc martyris gubernantis sibi solitum procubare etiam familiarius ipso allectante, in genibus quoque, ac finibus sacris beatum, & ad flatibus diuinis odorum reclinati capitis puluinar habuisse.

Angeli adsunt Martyribus.

CAPVT XXXVII.

1. CVM plerisque adsint sancti Angeli, illosque adiuuent, tũ præsertim sanctos Martyres consolãtur, & in necessitate illorum accurrunt, cuius rei tot sunt exẽpla, vt mirer: sed priusquam ad exempla perveniam, placet illud Chrysostomi subiicere Homilia de sanctis Martyribus, qui Angelos & martyres pares facit. μάρτυρες γὰρ καὶ ἄγγελοι τοῖς ὀνόμασι διεστήκασι μὲν, τοῖς δ᾽ ἔργοις συνάπτονται. τὸν οὐρανὸν οἰκοῦσιν ἄγγελοι, ἀλλὰ καὶ οἱ μάρτυρες: ἀγήρατοι καὶ ἀθάνατοί εἰσιν ἐκεῖνοι, τοῦτο καὶ οἱ μάρτυρες ἕξουσι: *Martyres enim & Angeli nomine tantum distincti sunt, factis autem iunguntur. Cælum incolunt Angeli, itidem & Martyres: senectutis expertes & immortales sunt illi, hoc & Martyres olim obtinebunt.* Et infra addit: *Non ita siderum exornatum choro cælum illustre est, ac splendido vulnerum choro martyrum corpora exornantur. Itaque propterea quod mortui sunt, idcirco maxime superant, & ante immortalitatem, à morte coronati præmia*

præmia reportarunt. Hæc S. Doctor de Martyribus latè prosequitur. Iam verò ad exempla perueniam, & mirum est qua ratione sedulò Angeli ministrauerint sanctis Martyribus, concinendo etiam, siquidem *nocturno tempore Angelicæ voces in crypta audiebantur, & psalmodiæ hymnizantium tantusque splendor illam illustrabat, vt nullus auderet nocturno tempore accedere.* Sic refert Surius 1. tomo.

2. Maius est, quod narrat Einhardus lib. 3. cap. 12. qui formam humanam tribuit Archangelo Gabrieli, cum is Albrico apparuit, vt honestaret Deus Martyres hac ratione. Signata verba sunt Einhardi. *Deinde Gabriel subiungens: Nosti me, inquit, quis ego sum, qui tibi ista præcipio? Tum ego nihil hæsitans, S. Marcellinum eum esse respondi, & ille: Non ita est, inquit, vt opinaris, sed Gabriel Archangelus ego sum, personamque ac formam Marcellini idcirco assumpsi, quia Dominus Deus rerum atque causarum ad istos Martyres pertinentium mihi curam commisit, & nunc veni, vt hæc tibi indicarem, quæ scribere præcepi; quoniam diuinæ voluntatis est, vt ea ex autoritate eorum ad notitiam Regis sine morarum interpositione perueniant. Tu verò, sicut tibi præcepi, primo diluculo post completum diuinum officium nuntia quæ audisti his, quibus ea nuntiare iussi.*

3. Imprimis autem S. Petri vincula celebrabo, cuius Angelus custodiam gessit, vt est in Actis cap. 12. narrabo autem rem, vt est in Scriptura sacra, quæ sic habet: *Cum autem producturus eũ esset Herodes, in ipsa nocte erat Petrus dormiens inter duos milites vinctus catenis duabus, & custodes*

ante ostium custodiebant carcerem. Et ecce Angelus Domini adstitit, & lumen refulsit in habitaculo, percussoque latere Petri excitauit eum dicens: Surge velociter. Et ceciderunt catenæ de manibus eius. Dixit autem Angelus ad eum: Præcinge te, & calcea te caligas tuas. Et fecit sic, & dixit illi: Circunda tibi vestimentum tuum, & sequere me. Et exiens sequebatur eum, & nesciebat, quia verum est quod fiebat per Angelum. Existimabat autem se visum videre. Transeuntes autem primã, & secundam custodiam, venerunt ad portam ferream, quæ ducit ad ciuitatem, quæ vltro aperta est eis; & exeuntes processerunt vicum vnum: Et continuo discessit Angelus ab eo, & Petrus ad se reuersus dixit. Nunc scio verè, quia misit Dominus Angelum suum, & eripuit me de manu Herodis, & de omni expectatione plebis Iudæorum. Hinc iam ad alterum Martyrum agonem pergam qui ab Angelis liberati sunt.

4. S. Isaacus Presbyter lib. 1. de contemptu mundi dicit Angelos apparuisse Martyribus, vt eos solidarent: *In tentationibus sint tibi ad fortitudinis exemplum martyres Christi, quorum multi multoties aut singulariter vnus, & vnus in multis locis certauerunt pro Christo, & in occulta virtute, quæ in eis erat viriliter sustinuerunt in luteis corporibus, campo, ferro & omnimoda tormenta, rem quidem supra naturam. Talibus enim sancti Angeli visibiliter apparebant, vt addisceret quilibet, quod abundanter diuina prouidentia prouenirct ad illos, qui modis omnibus sustinent omnem tentationem & omnem tribulationem pro ipso adiutorio fortitudinis eorum. Nam quanto sancti magis vi-*

ſionibus roborabantur, tanto plus aduerſarij propter ipſorum patientiam furebant.

5. Antoninus Epiſcopus Conſtantinienſis ad Arcadium actum in exilium à Genſerico Rege Vvandalorum Epiſtolam conſolatoriam ſcribit, in qua multos Angelos & Martyres dicit illi adſtitiſſe: *Perge fidelis anima, perge, & confeſſor vnitatis, gaude, quia pro nomine Chriſti pati meruiſti contumeliam, ſicut Apoſtoli cùm flagellati ſunt. Ecce iam ſerpens ille ſub pedibus tuis iacet, ipſe confligere potuit, ſed ipſe cecidit, quia te elidere non potuit. Rogo te, preme caput eius, non ſurgat iſto in agone Martyrij, nemo te commoueat. Ecce gaudet Chriſtus, & inſpicit te? lætantur Angeli, & adiuuant te: turba dæmonum calcaneum tuum obſeruat, ne deficias, vt Dæmones, qui nunc lugent, gaudeant. Tecum eſt omnis chorus Martyrum præceſſorum tuorum, expectant Martyres te & defendunt, coronam extendunt.*

6. Beatus Petrus Damianus im ſerm. de ſanctis Martyribus Laurentino & Pergentino: *Iam verò illud quam ſublimis gratiæ meritum, quantæ cognoſcitur apud Deum familiaritatis indicium, quod in carcere conſtituti, & triduana ſimul inedia macerati, ab Angelis viſitantur, & menſæ cæleſtis alimenta percipiunt? in eis quippe Chriſtus eſuriebat, in eis ſupplicia perferebat, cum eis claudebatur in carcere, cum eis in vinculis, cum eis erat comes indiuiduus in tormentis. Et qui dudum inter deambulantes in camino Chaldaico pueros viſus eſt quartus, ipſe procul dubio cum iſtis etiam inuictiſſimis bellatoribus ſuis factus eſt tertius. Ecce, inquit Rex, video viros quatuor ſolutos deambu-*

lantes in medio ignis, & nihil corruptionis eſt in eis, & ſpecies quarti ſimilis eſt filio Dei.

7. S. Chryſoſtomus ſerm. de Aſcenſione Domini, qui habetur inter opera Thaumaturgi. *Propterea vos huc adduximus, vt illuſtrior conuentus fieret, ſplendidiuſque ſpectaculum, non hominum ſolum, ſed & Martyrum collectorum, neque Martyrum duntaxat, verumetiam Angelorum. Etenim & Angeli præſentes ſunt Angelorum & Martyrum concurſus fit hodie. Videre cupis Angelos pariter ac Martyres; Aperi oculos fidei, & cernes ſpectaculum illud. Nam ſi omnis aër Angelis repletus ſit, quanto amplius Eccleſia: ſi verò Eccleſia, quanto magis dies iam præſens, quando eorum aſſumptus eſt Dominus. Quod autem omnis aër Angelis ſit repletus, audi quid dicat Apoſtolus, admonens mulieres, vt velato ſint capite; debent enim inquit mulieres velamen habere ſupra caput ſuum, propter Angelos. Rurſuſque Iacob: Angelus qui eruit me de cunctis malis à iuuentute mea. Et qui in domo cum Apoſtolis erant, ad Rhoden puellam dicebant; Angelus eius eſt: Ac iterum Iacob: vidi, inquit, caſtra Angelorum.*

8. Quid narrem de tot Angelis eorumque choris, qui aſtiterunt ſanctis Martyribus cùm paterentur? vere dixeris hos familiares eſſe nimiùm Martyribus. De ſanctis quadraginta Martyribus lectiones referunt: Cæteris autem cuſtodibus ſomno deditis, ſolus vigilabat Ianitor: qui & illos orantes, & luce circumfuſos, & quoſdam è cælo deſcendentes Angelos tanquam à Rege miſſos, qui coronas triginta nouem militibus diſtribuerẽt. Vſuardus ita ait de S. Põtiano Martyre: *A-*

pud Spoletum, translatio sancti Pontiani martyris, temporibus Antonini Imperatoris. Quem Iudex pro Christo vehementissimè virgis cæsum, iussit super carbones nudis pedibus ambulare. A quibus nil læsus, equleo & vncinis ferreis iussus est suspendi, & sic in carcerem trudi, vbi Angelica visitatione meruit confortari. Post quæ plumbo feruente perfusus, tandem gladio percussus est. S. Felix Nolanus Presbyter eductus è carcere legitur vna nocte ab Angelo, vt quæreret Maximianum Nolæ Episcopum. Acta Calliopij Martyris hæc habent: *Rotam, inquit Præfectus satellitibus suis, collocate, & magnum ignem succendite: cui rotæ tanta vi alligatus est adolescens, vt totus discerperetur. Statim igitur accedens Angelus Dei, flammam carbonum exstinxit: & ministri cùm vellent rotam voluere, non poterant.* Item cùm S. Heliodorus idolis sacrificare non pateretur, suspenditur & laceratur: cumque tormentorum acerbitatem sentiret, clamabat: Domine Iesu Christe, adiuua me. statimque è cælo voce missâ, audiuit: *Ne timeas, tecum enim sum.* Hanc vocem, qui faces accensas tenebant, atque insuper quatuor videntes Angelos tormentorum vim prohibentes, in Christum crediderunt, & arguentes Præsidem, in mare proiecti sunt, victoriæ coronas percipientes. Heliodorum verò in bouem igneum accensum immisit, qui bos statim cùm priùs arderet, frigidus factus est. & mille alia passus Heliodorus, vt habet Menologium, sanctis Angelis comitibus passus fortiter est. Cæsareæ in Cappadocia passio S. Mercurij militis, qui custodientis se Angeli patrocinio & barbaros vi-

cit, & Decij sæuitiam superauit, multisque au-ctus tormentorum trophæis, martyrio coronatus migrauit in cælum.

De sancta Heliconide hæc refert Menologium: *Hæc fuit Gordiano Imperatore ex vrbe Thessaliæ: detenta verò ad Perennium Corinthi Præsidem ducta, idolis immolare passa non est, sed Christum ipsum prædicans primum alligata est pedibus iugo boum, & prostrata soluto plumbo & pice, illæsa exiit; posteà raso capite, igne tota perfusa est: tum inde dimissa, ingressa in templum idolorum, simulachrũ Palladis, Iouis, & Æsculapij, precibus in terra prostrauit. Ad hæc sectis mãmis, cùm Iustinus Proconsul successisset Perennio, ad eum ducta Martyr in caminum ardentis ignis mittitur: sed flamma ipsa illam non attigit: verùm multos ex militibus consumpsit. Posteà in grabatum æreum ignitũ expansa est. Repentè verò astiterunt Angeli, qui beatam Martyrem incolumem seruarunt. Postremò feris exponitur, quæ illam ne attigerunt quidem, sed viros aliquos interfecerunt. Tunc lata sententia Præsidis, libentissimè accipiens secto capite migrauit in cælum.* De sancto Benigno martyre ita scribit Historia Ecclesiastica: *His verbis commotus iniquissimus Imperator in carcerem eum includi præcepit, & grande saxum idemque perforatum adduci, atque illi pedes eius plumbo liquefacto inseri, & in digitos manuum eius calentes subulas in longum desigi, atque per sex dies nullum ei nec cibum nec potum præberi: porro etiam includi cum eo duodecim canes sæuissimos, fame & siti affectos, vt ab illis discerperetur: carcerem quoque custodiri à militibus. Itaque subulas acu-*

tissimas in manus eius infixerunt, & in lapide plumbo liquefacto, vel remisso pedes eius incluserunt, canesque ferocissimos cum illo in carcere incluserunt. Et paulò post: *O miram Dei virtutem, ô paternum Iesu Christi amorem in suos! Angelo ei auxilium præbente, canes mansuefacti sunt, ita vt nec pilum capitis, nec fimbriam vestimenti attingerent.* Sanctus Leo Papa in serm. S. Vincentij: *Insolita igitur huius luminis claritate perculsi obstupuere custodes, quin & vocem Angelis hymnum Deo concinentibus mens pallidi ianitoris expauit.* Et infrà: *Interea beatum Vincentium cælestis aula suscipit, ac beatæ fœlicitatis munere donat. Ad cuius ingressum Angelici lætantur spiritus, omnesque simul conciues gratulantur sancti.* Et de Appollonio & sociis eius ait Euagrius cap. 7. *Medio autem noctis astare visus est Angelus ingenti luce resplendens, & obstupefactis perterritisque custodibus, carceris claustra patefecit.*

9. In martyrio vulneratus Constantius Episcopus ab Angelo Dei animatus curatur, vt refert Surius. *Cùm beatum Constantium Perusinæ ciuitatis Episcopum Danabi in tormentis à quibusdã ..rci Imperatoris militibus ei inflictis vires iam deficerent, ad Deum toto corde conuersus; Suscipe iam, orabat, spiritum meum, Domine, requiescat in te, qui pro te, ipso iuuante, omni tempore laborauit, vixdum pias hasce voces emiserat, cùm ecce præsto est ei Angelus Domini, afflictum his verbis confortans: Noli timere, Constanti, ego sum Angelus Dei: misit me Christus, vt plagis tuis curationem adhibeam, ac deinceps tibi adsim in omnibus viis tuis: & illico omnis plaga curata est. Tunc ille*

Angelico solatio recreatus, Gratias tibi ago, ait, Domine Iesu Christe, qui per Angelum tuum me in angustiis positum confortasti, & curasti vulnera mea, nunc verè scio, te quidem nunquam deserere sperantes in te.

10 Sanctus Cyprianus epist. ad Thibaritanos: *Præliantes vos, & fidei congressione pugnantes spectat Deus, Angeli eius, spectat & Christus quanta est gloriæ dignitas, quanta fœlicitas præsente Deo congredi, & Christo iudice coronari.* Damianus serm. de certamine spirituali: *Gratulantur Angeli ad tale spectaculum videntes, quod humana natura in eo quod contra semetipsam pugnat, ad eorum se consortium, vnde fuerat eiecta, reformat: & secum rixando ad veram procul dubio pacem tendit, quam olim sibimet malè consentiendo, quia non repugnauit, amisit.*

11. De S. Suviberto asserit Marcellinus eiusdem comes mirum quiddam, & humanis oculis incredibile: *Deinde præfati sacerdotes attendentes messem quidem multam, operarios verò paucos, ierunt more Apostolorum & discipulorũ Christi bini & bini, trini & trini, adiunctis sibi aliquot neophytis, in diuersis Germaniæ prouinciis eisdem Christi gentibus denuntiaturi. Inter quos S. Suvibertus gloriosus sacerdos Christi, diuini amoris igne feruidus, venit eodem tempore cum Vverenfrido, & mecum in grandem vicum dictum Duerstat: qui vicus refertus fuit cærimoniis, ornatúsque diuersis idolorum templis, duobus distans milliaribus à Traiecto ad Orientem: vbi dum prædicaret Christum verum Deum, qui vitam æternam in se credentibus daret admonens, vt simulacrorum va-*

nos & inanes contemnerent cultus, eò quòd idola quæ pro diis colebant, repleta essent dæmoniis, & nihil salutis habere, nec suis cultoribus auxilium conferre posse affirmaret: statim à paganis & idolorum sacerdotibus capitur, & grauiter verberatur, clamantibus & dicentibus; Blasphemator iste nostram profanat legem, Deos nostros omnipotentes Dæmonia affirmat, populum seducit, Crucifixum solum Deum verum audacter prædicat: & nisi occidatur, aut effugetur, cultus deorum nostrorum euacuabitur, & paternæ traditiones exterminabuntur. His dictis clamore omnium tenetur, & in carcerem mittitur, vt alterâ die occultè trucidaretur: non enim palam audebant ipsum occidere, quoniam vicus erat sub ditione Christianorum Francorum. Nos verò, Vuerenfridus & ego Marcellinus, dolentes & flentes sequebamur eum vsque ad carcerem: quod cernens S. Suuibertus, læto ore consolando hortabatur nos constanter stare pro fide Christi, nec mortem timere pati pro Christo. Eadem verò nocte circa galli cantum S. Suuiberto orante, nobis autem dolentibus, ecce venit Angelus Domini cum magna claritate in carcerem, dicens ei: Noli timere, serue Dei, quia Dominus tecum est. Et videntibus, & stupentibus custodibus carceris, liberauit ipsum, præcipiens vt constanter Christum paganis vbique euangelizaret. Quo facto, Angelus Domini æthera petiit: ipse verò ad nos veniens, gaudenter flectens genua, & nos secũ gratias deuotissimè Deo retulimus de Angelica visitatione & consolatione. Pagani verò, & præcipuè sacerdotes idolorum alterâ die audientes liberationem illius, vacillare cœperunt de impotentia idolorum.

tis in illo naufrago littore nauis amiſerat infelix fœliciter, vt pro amiſſis omnibus viris, & armis ſuis, aut Domini martyrem, aut Dominum martyris obtineret. Narrat gaudio lachrymans ſenex, ſe ad illius pedes nunc Domini, nunc martyris gubernantis ſibi ſolitum procubare etiam familiarius ipſo allectante, in genibus quoque, ac ſinibus ſacris beatum, & ad flatibus diuinis odorum reclinati capitis puluinar habuiſſe.

Angeli adſunt Martyribus.

CAPVT XXXVII.

1. CVM pleriſque adſint ſancti Angeli, illoſque adiuuent, tũ præſertim ſanctos Martyres conſolãtur, & in neceſſitate illorum accurrunt, cuius rei tot ſunt exẽpla, vt mirer: ſed priuſquam ad exempla perveniam, placet illud Chryſoſtomi ſubiicere Homilia de ſanctis Martyribus, qui Angelos & martyres pares facit. *μάρτυρες γὰρ καὶ ἄγγελοι τοῖς ὀνόμασι διεστήκασι μόνον, τοῖς δ' ἔργοις συνάπτονται. τὸν οὐρανὸν οἰκοῦσιν ἄγγελοι, ἀλλὰ καὶ οἱ μάρτυρες: ἀγήρατοι καὶ ἀθάνατοί εἰσιν ἐκεῖνοι, τοῦτο καὶ οἱ μάρτυρες ἕξουσι: Martyres enim & Angeli nomine tantum diſtincti ſunt, factis autem iunguntur. Cælum incolunt Angeli, itidem & Martyres: ſenectutis expertes & immortales ſunt illi, hoc & Martyres olim obtinebunt.* Et infra addit: *Non ita ſiderum exornatum choro cælum illuſtre eſt, ac ſplendido vulnerum choro martyrum corpora exornantur. Itaque propterea quod mortui ſunt, idcirco maxime ſuperant, & ante immortalitatem, à morte coronati præmia*

præmia reportarunt. Hæc S. Doctor de Martyribus latè prosequitur. Iam verò ad exempla perueniam, & mirum est qua ratione sedulò Angeli ministrauerint sanctis Martyribus, concinendo etiam, siquidem *nocturno tempore Angelicæ voces in crypta audiebantur, & psalmodiæ hymnizantium tantusque splendor illam illustrabat, vt nullus auderet nocturno tempore accedere.* Sic refert Surius 1. tomo.

2. Maius est, quod narrat Einhardus lib. 3. cap. 12. qui formam humanam tribuit Archangelo Gabrieli, cum is Albrico apparuit, vt honestaret Deus Martyres hac ratione. Signata verba sunt Einhardi. *Deinde Gabriel subiungens: Nosti me, inquit, quis ego sum, qui tibi ista præcipio? Tum ego nihil hæsitans, S. Marcellinum eum esse respondi, & ille: Non ita est, inquit, vt opinaris, sed Gabriel Archangelus ego sum, personamque ac formam Marcellini idcirco assumpsi, quia Dominus Deus rerum atque causarum ad istos Martyres pertinentium mihi curam commisit, & nunc veni, vt hæc tibi indicarem, quæ scribere præcepi; quoniam diuinæ voluntatis est, vt ea ex autoritate eorum ad notitiam Regis sine morarum interpositione perueniant. Tu verò, sicut tibi præcepi, primo diluculo post completum diuinum officium nuntia quæ audisti his, quibus ea nuntiare iussi.*

3. Imprimis autem S. Petri vincula celebrabo, cuius Angelus custodiam gessit, vt est in Actis cap. 12. narrabo autem rem, vt est in Scriptura sacra, quæ sic habet: *Cum autem producturus eũ esset Herodes, in ipsa nocte erat Petrus dormiens inter duos milites vinctus catenis duabus, & custodes*

ante ostium custodiebant carcerem. Et ecce Angelus Domini adstitit, & lumen refulsit in habitaculo, percussóque latere Petri excitauit eum dicens: Surge velociter. Et ceciderunt catenæ de manibus eius. Dixit autem Angelus ad eum: Præcinge te, & calcea te caligas tuas. Et fecit sic, & dixit illi: Circunda tibi vestimentum tuum, & sequere me. Et exiens sequebatur eum, & nesciebat, quia verum est quod fiebat per Angelum. Existimabat autem se visum videre. Transeuntes autem primã, & secundam custodiam, venerunt ad portam ferream, quæ ducit ad ciuitatem, quæ vltro aperta est eis; & exeuntes processerunt vicum vnum: Et continuo discessit Angelus ab eo, & Petrus ad se reuersus dixit. Nunc scio verè, quia misit Dominus Angelum suum, & eripuit me de manu Herodis, & de omni expectatione plebis Iudæorum. Hinc iam ad alterum Martyrum agonem pergam qui ab Angelis liberati sunt.

4. S. Isaacus Presbyter lib. 1. de contemptu mundi dicit Angelos apparuisse Martyribus, vt eos solidarent: *In tentationibus sint tibi ad fortitudinis exemplum martyres Christi, quorum multi multoties aut singulariter vnus, & vnus in multis locis certauerunt pro Christo, & in occulta virtute, quæ in eis erat viriliter sustinuerunt in luteis corporibus, campo, ferro & omnimoda tormenta, rem quidem supra naturam. Talibus enim sancti Angeli visibiliter apparebant, vt addisceret quilibet, quod abundanter diuina prouidentia proueniret ad illos, qui modis omnibus sustinent omnem tentationem & omnem tribulationem pro ipso adiutorio fortitudinis eorum. Nam quanto sancti magis vi-*

ſionibus roborabantur, tanto plus aduerſarij propter ipſorum patientiam furebant.

5. Antoninus Epiſcopus Conſtantinienſis ad Arcadium actum in exilium à Genſerico Rege Vvandalorum Epiſtolam conſolatoriam ſcribit, in qua multos Angelos & Martyres dicit illi adſtitiſſe: *Perge fidelis anima, perge, & confeſſor vnitatis, gaude, quia pro nomine Christi pati meruiſti contumeliam, ſicut Apoſtoli cùm flagellati ſunt. Ecce iam ſerpens ille ſub pedibus tuis iacet, ipſe confligere potuit, ſed ipſe cecidit, quia te elidere non potuit. Rogo te, preme caput eius, non ſurgat iſto in agone Martyrij, nemo te commoueat. Ecce gaudet Chriſtus, & inſpicit te? lætantur Angeli, & adiuuant te: turba dæmonum calcaneum tuum obſeruat, ne deficias, vt Dæmones, qui nunc lugent, gaudeant. Tecum eſt omnis chorus Martyrum præceſſorum tuorum, expectant Martyres te & defendunt, coronam extendunt.*

6. Beatus Petrus Damianus im ſerm. de ſanctis Martyribus Laurentino & Pergentino: *Iam vero illud quam ſublimis gratiæ meritum, quantæ cognoſcitur apud Deum familiaritatis indicium, quod in carcere conſtituti, & triduana ſimul inedia macerati, ab Angelis viſitantur, & menſæ cæleſtis alimenta percipiunt? in eis quippe Chriſtus eſuriebat, in eis ſupplicia perferebat, cum eis claudebatur in carcere, cum eis in vinculis, cum eis erat comes indiuiduus in tormentis. Et qui dudum inter deambulantes in camino Chaldaico pueros viſus eſt quartus, ipſe procul dubio cum iſtis etiam inuictiſſimis bellatoribus ſuis factus eſt tertius. Ecce, inquit Rex, video viros quatuor ſolutos deambu-*

lantes in medio ignis, & nihil corruptionis eſt in eis, & ſpecies quarti ſimilis eſt filio Dei.

7. S. Chryſoſtomus ſerm. de Aſcenſione Domini, qui habetur inter opera Thaumaturgi. *Propterea vos huc adduximus, vt illuſtrior conuentus fieret, ſplendidiuſque ſpectaculum, non hominum ſolum, ſed & Martyrum collectorum, neque Martyrum duntaxat, verumetiam Angelorum. Etenim & Angeli præſentes ſunt Angelorum & Martyrum concurſus fit hodie. Videre cupis Angelos pariter ac Martyres; Aperi oculos fidei, & cernes ſpectaculum illud. Nam ſi omnis aër Angelis repletus ſit, quanto amplius Eccleſia: ſi verò Eccleſia, quanto magis dies iam præſens, quando eorum aſſumptus eſt Dominus. Quod autem omnis aër Angelis ſit repletus, audi quid dicat Apoſtolus, admonens mulieres, vt velato ſint capite; debent enim inquit mulieres velamen habere ſupra caput ſuum, propter Angelos. Rurſuſque Iacob: Angelus qui eruit me de cunctis malis à iuuentute mea. Et qui in domo cum Apoſtolis erant, ad Rhoden puellam dicebant; Angelus eius eſt: Ac iterum Iacob: vidi, inquit, caſtra Angelorum.*

8. Quid narrem de tot Angelis eorumque choris, qui aſtiterunt ſanctis Martyribus cùm paterentur? vere dixeris hos familiares eſſe nimiùm Martyribus. De ſanctis quadraginta Martyribus lectiones referunt: Cæteris autem cuſtodibus ſomno deditis, ſolus vigilabat Ianitor: qui & illos orantes, & luce circumfuſos, & quoſdam è cælo deſcendentes Angelos tanquam à Rege miſſos, qui coronas triginta nouem militibus diſtribuerẽt. Vſuardus ita ait de S. Põtiano Martyre: *A-*

pud Spoletum, translatio sancti Pontiani martyris, temporibus Antonini Imperatoris. Quem Iudex pro Christo vehementissimè virgis cæsum, iussit super carbones nudis pedibus ambulare. A quibus nil læsus, equleo & vncinis ferreis iussus est suspendi, & sic in carcerem trudi, vbi Angelica visitatione meruit confortari. Post quæ plumbo feruente perfusus, tandem gladio percussus est. S. Felix Nolanus Presbyter eductus è carcere legitur vna nocte ab Angelo, vt quæreret Maximianum Nolæ Episcopum. Acta Calliopij Martyris hæc habent: *Rotam, inquit Præfectus satellitibus suis, collocate, & magnum ignem succendite: cui rotæ tanta vi alligatus est adolescens, vt totus discerperetur. Statim igitur accedens Angelus Dei, flammam carbonum exstinxit: & ministri cùm vellent rotam voluere, non poterant.* Item cùm S. Heliodorus idolis sacrificare non pateretur, suspenditur & laceratur: cumque tormentorum acerbitatem sentiret, clamabat: Domine Iesu Christe, adiuua me. statimque è cælo voce missâ, audiuit: *Ne timeas, tecum enim sum.* Hanc vocem, qui faces accensas tenebant, atque insuper quatuor videntes Angelos tormentorum vim prohibentes, in Christum crediderunt, & arguentes Præsidem, in mare proiecti sunt, victoriæ coronas percipientes. Heliodorum verò in bouem igneum accensum immisit, qui bos statim cùm priùs arderet, frigidus factus est. & mille alia passus Heliodorus, vt habet Menologium, sanctis Angelis comitibus passus fortiter est. Cæsareæ in Cappadocia passio S. Mercurij militis, qui custodientis se Angeli patrocinio & barbaros vi-

cit, & Decij sæuitiam superauit, multisque au-ctus tormentorum trophæis, martyrio coronatus migrauit in cælum.

De sancta Heliconide hæc refert Menologium: *Hæc fuit Gordiano Imperatore ex vrbe Thessaliæ: detenta verò ad Perennium Corinthi Præsidem ducta, idolis immolare passa non est, sed Christum ipsum prædicans primum alligata est pedibus iugo boum, & prostrata soluto plumbo & pice, illæsa exiit; posteà raso capite, igne tota perfusa est: tum inde dimissa, ingressa in templum idolorum, simulachrũ Palladis, Iouis, & Æsculapij, precibus in terra prostrauit. Ad hæc sectis mãmis, cùm Iustinus Proconsul successisset Perennio, ad eum ducta Martyr in caminum ardentis ignis mittitur: sed flamma ipsa illam non attigit: verùm multos ex militibus consumpsit. Posteà in grabatum æreum ignitũ expansa est. Repentè verò astiterunt Angeli, qui beatam Martyrem incolumem seruarunt. Postremò feris exponitur, quæ illam ne attigerunt quidem, sed viros aliquos interfecerunt. Tunc lata sententia Præsidis, libentissimè accipiens secto capite migrauit in cælum.* De sancto Benigno martyre ita scribit Historia Ecclesiastica: *His verbis commotus iniquissimus Imperator in carcerem eum includi præcepit, & grande saxum idemque perforatum adduci, atque illi pedes eius plumbo liquefacto inseri, & in digitos manuum eius calentes subulas in longum defigi, atque per sex dies nullum ei nec cibum nec potum præberi: porro etiam includi cum eo duodecim canes sæuissimos, fame & siti affectos, vt ab illis discerperetur: carcerem quoque custodiri à militibus. Itaque subulas acu-*

tissimas in manus eius infixerunt, & in lapide plumbo liquefacto, vel remisso pedes eius incluserunt, canesque ferocissimos cum illo in carcere incluserunt. Et paulò post: *O miram Dei virtutem, ô paternum Iesu Christi amorem in suos! Angelo ei auxilium præbente, canes mansuefacti sunt, ita vt nec pilum capitis, nec fimbriam vestimenti attingerent.* Sanctus Leo Papa in serm. S. Vincentij: *Insolita igitur huius luminis claritate perculsi obstupuere custodes, quin & vocem Angelis hymnum Deo concinentibus mens pallidi ianitoris expauit.* Et infrà: *Interea beatum Vincentium cælestis aula suscipit, ac beatæ fœlicitatis munere donat. Ad cuius ingressum Angelici lætantur spiritus, omnesque simul conciues gratulantur sancti.* Et de Appollonio & sociis eius ait Euagrius cap. 7. *Medio autem noctis astare visus est Angelus ingenti luce resplendens, & obstupefactis perterritisque custodibus, carceris claustra patefecit.*

9. In martyrio vulneratus Constantius Episcopus ab Angelo Dei animatus curatur, vt refert Surius. *Cùm beatum Constantium Perusinæ ciuitatis Episcopum Danabi in tormentis à quibusdã ..rci Imperatoris militibus ei inflictis vires iam deficerent, ad Deum toto corde conuersus; Suscipe iam, orabat, spiritum meum, Domine, requiescat in te, qui pro te, ipso iuuante, omni tempore laborauit, vixdum pias hasce voces emiserat, cùm ecce præsto est ei Angelus Domini, afflictum his verbis confortans: Noli timere, Constanti, ego sum Angelus Dei: misit me Christus, vt plagis tuis curationem adhibeam, ac deinceps tibi adsim in omnibus viis tuis: & illico omnis plaga curata est. Tunc ille*

vacua omnia, mare vndique & vndique cælum videt, cùm & metum, & periculum misero solitudo cumularet, sex dies & noctes ieiunus comedit. Fuerunt enim illi lacrymæ panes die ac nocte; tum ipsum iam mortis, quàm vitæ cupidiorem, finemque pænarum, animæ exitu desiderantem, misericors, & miserator Dominus adire comminus, & verbi cibo animare dignatus est. Refert ipse adhuc lacrymans fælicitatem periculi sui, nec sine lacrymis cordis, & gaudio spiritus audiri potest, vt compellatus adeunte Christo, vt confortatus hortante sit, vt arborem iussus incideret, quam excidi in eo tempore remedium nauis erat: sed, quod multi, atque validissimi sine suo, & nauis periculo vix possunt, solus, & debilis arripere non audens, Dei verbo ausus est, bis tantum, & leuiter, vt à senili manu tractu magis quàm ictu securis, malus ita prosiluit à vulnere, vt longe extra nauem in vndas expulsus; tutò ceciderit: deinde varijs, vt marina iactatio, & naualis instructio poscit, officijs, cum aut artemone armari oportebat, aut sentinam repleri necesse erat, nomine Victoris vocatus à Domino, porrigere tantum specie agendi manum ad quamlibet operam iubebatur. Non enim in multa, & vària circa hunc senem mirabilium diuinorum gratia, hoc quoque Dei munus prætereundum videtur, quod etiam nomen accepit, quo nunc, & regeneratione censetur, & ab hominibus, & ab Angelis scribitur; gentilitio enim signo Valgius vocabatur, qui nunc Victor à Domino dicitur, & est victor in Domino, qui illi aptum ad opera sua id ipsum nomen imposuit, quia

videlicet & in mari de tempeſtatibus, atque naufragio per adiutorium Chriſti & nuper in terra per eiuſdem gratiam de peccatis & Diabolo triumphauit; videlicet, vt totus in Chriſto nouandus; neque in nomine, neque in homine veteri permaneret. Mira fides, & ineffabilis pietas Domini Saluatoris, qui ſenem, ſi forte ſomno piger lentius ad gerenda conſurgeret, & molli manu ante præpalpans, ne trepidus expergefieret, vellicatâ blandè auriculâ, ſuſcitauit, cùm leniter adnitens ſenex à primo ſtatim conatu ſuo manibus Angelicis res effectas videret, vt vix rudentem attigerit, cùm velum videret iam exſinuatum in contos ſuos, ſi parum ſtabat, vel nauis vela faciebat, vel aqua rimis nauis accepta mergere tentauerat, & poſt vnum vel alterum breuis ſentinaculi hauſtum ore diſtricto, ſiccataque naui quod ageret non habebat: ſtupēs laborem ſibi ſine labore præcerpi, & actum ſuū occulta manu præueniri, ſi bene occulta dicitur, quæ tam perſpicuum præſtabat auxilium, ſed nec ipſi operatores ſimplicibus innocentiſſimi ſenis oculis ſubtrahebantur. Nam ſæpe vidit armatos videlicet de exercitu cœli milites excubare nauigio, & cuncta nautici muneris adminiſtrare, nec ſane nauem illam, niſi Angeli nautæ decebant, cui gubernaculum erat mundi gubernator. Ipſe enim Dominus nunc ſuo vultu coruſcus, vt in Apocalypſi deſcribitur, & comâ fulgidus, nunc confeſſoris & amici ſui Domini mei communis patroni, Felicis ore venerabilis in puppi ſedebat, ſicut nautico vſu dicitur ad timones, vel potius pro timonibus, quos cum ancoris pariter & nau-

tis in illo naufrago littore nauis amiſerat infelix fœliciter, vt pro amiſſis omnibus viris, & armis ſuis, aut Domini martyrem, aut Dominum martyris obtineret. Narrat gaudio lachrymans ſenex, ſe ad illius pedes nunc Domini, nunc martyris gubernantis ſibi ſolitum procubare etiam familiarius ipſo allectante, in genibus quoque, ac ſinibus ſacris beatum, & ad flatibus diuinis odorum reclinati capitis puluinar habuiſſe.

Angeli adſunt Martyribus.

CAPVT XXXVII.

1. CVM pleriſque adſint ſancti Angeli, illoſque adiuuent, tũ præſertim ſanctos Martyres conſolãtur, & in neceſſitate illorum accurrunt, cuius rei tot ſunt exẽpla, vt mirer: ſed priuſquam ad exempla perveniam, placet illud Chryſoſtomi ſubiicere Homilia de ſanctis Martyribus, qui Angelos & martyres pares facit. *μάρτυρες γὰρ καὶ ἄγγελοι τοῖς ὀνόμασι διεστήκασι μόνον, τοῖς δ᾽ ἔργοις συνάπτονται. τὸν οὐρανὸν οἰκοῦσιν ἄγγελοι, ἀλλὰ καὶ οἱ μάρτυρες: ἀγήρατοι καὶ ἀθάνατοί εἰσιν ἐκεῖνοι, τοῦτο καὶ οἱ μάρτυρες ἕξουσι: Martyres enim & Angeli nomine tantum diſtincti ſunt, factis autem iunguntur. Cælum incolunt Angeli, itidem & Martyres: ſenectutis expertes & immortales ſunt illi, hoc & Martyres olim obtinebunt.* Et infra addit: *Non ita ſiderum exornatum choro cælum illuſtre eſt, ac ſplendido vulnerum choro martyrum corpora exornantur. Itaque propterea quod mortui ſunt, idcirco maxime ſuperant, & ante immortalitatem, à morte coronati præmia*

præmia reportarunt. Hæc S. Doctor de Martyribus latè prosequitur. Iam verò ad exempla perueniam, & mirum est qua ratione sedulò Angeli ministrauerint sanctis Martyribus, concinendo etiam, siquidem *nocturno tempore Angelicæ voces in crypta audiebantur, & psalmodiæ hymnizantium tantusque splendor illam illustrabat, vt nullus auderet nocturno tempore accedere.* Sic refert Surius 1. tomo.

2. Maius est, quod narrat Einhardus lib. 3. cap. 12. qui formam humanam tribuit Archangelo Gabrieli, cum is Albrico apparuit, vt honestaret Deus Martyres hac ratione. Signata verba sunt Einhardi. *Deinde Gabriel subiungens: Nosti me, inquit, quis ego sum, qui tibi ista præcipio? Tum ego nihil hæsitans, S. Marcellinum eum esse respondi, & ille: Non ita est, inquit, vt opinaris, sed Gabriel Archangelus ego sum, personamque ac formam Marcellini idcirco assumpsi, quia Dominus Deus rerum atque causarum ad istos Martyres pertinentium mihi curam commisit, & nunc veni, vt hæc tibi indicarem, quæ scribere præcepi; quoniam diuinæ voluntatis est, vt ea ex autoritate eorum ad notitiam Regis sine morarum interpositione perueniant. Tu verò, sicut tibi præcepi, primo diluculo post completum diuinum officium nuntia quæ audisti his, quibus ea nuntiare iussi.*

3. Imprimis autem S. Petri vincula celebrabo, cuius Angelus custodiam gessit, vt est in Actis cap. 12. narrabo autem rem, vt est in Scriptura sacra, quæ sic habet: *Cum autem producturus eũ esset Herodes, in ipsa nocte erat Petrus dormiens inter duos milites vinctus catenis duabus, & custodes*

ante ostium custodiebant carcerem. Et ecce Angelus Domini adstitit, & lumen refulsit in habitaculo, percussoque latere Petri excitauit eum dicens: Surge velociter. Et ceciderunt catenæ de manibus eius. Dixit autem Angelus ad eum: Præcinge te, & calcea te caligas tuas. Et fecit sic, & dixit illi: Circunda tibi vestimentum tuum, & sequere me. Et exiens sequebatur eum, & nesciebat, quia verum est quod fiebat per Angelum. Existimabat autem se visum videre. Transeuntes autem primā, & secundam custodiam, venerunt ad portam ferream, quæ ducit ad ciuitatem, quæ vltro aperta est eis; & exeuntes processerunt vicum vnum: Et continuo discesit Angelus ab eo, & Petrus ad se reuersus dixit. Nunc scio verè, quia misit Dominus Angelum suum, & eripuit me de manu Herodis, & de omni expectatione plebis Iudæorum. Hinc iam ad alterum Martyrum agonem pergam qui ab Angelis liberati sunt.

4. S. Isaacus Presbyter lib. 1. de contemptu mundi dicit Angelos apparuisse Martyribus, vt eos solidarent: *In tentationibus sint tibi ad fortitudinis exemplum martyres Christi, quorum multi multoties aut singulariter vnus, & vnus in multis locis certauerunt pro Christo, & in occulta virtute, quæ in eis erat viriliter sustinuerunt in luteis corporibus, campo, ferro & omnimoda tormenta, rem quidem supra naturam. Talibus enim sancti Angeli visibiliter apparebant, vt addisceret quilibet, quod abundanter diuina prouidentia proueniret ad illos, qui modis omnibus sustinent omnem tentationem & omnem tribulationem pro ipso adiutorio fortitudinis eorum. Nam quanto sancti magis vi-*

sionibus roborabantur, tanto plus aduersarij propter ipsorum patientiam furebant.

5. Antoninus Episcopus Constantiniensis ad Arcadium actum in exilium à Genserico Rege Vvandalorum Epistolam consolatoriam scribit, in qua multos Angelos & Martyres dicit illi adstitisse: *Perge fidelis anima, perge, & confessor vnitatis, gaude, quia pro nomine Christi pati meruisti contumeliam, sicut Apostoli cùm flagellati sunt. Ecce iam serpens ille sub pedibus tuis iacet, ipse confligere potuit, sed ipse cecidit, quia te elidere non potuit. Rogo te, preme caput eius, non surgat isto in agone Martyrij, nemo te commoueat. Ecce gaudet Christus, & inspicit te? lætantur Angeli, & adiuuant te: turba dæmonum calcaneum tuum obseruat, ne deficias, vt Dæmones, qui nunc lugent, gaudeant. Tecum est omnis chorus Martyrum præcessorum tuorum, expectant Martyres te & defendunt, coronam extendunt.*

6. Beatus Petrus Damianus im serm. de sanctis Martyribus Laurentino & Pergentino: *Iam verò illud quam sublimis gratiæ meritum, quantæ cognoscitur apud Deum familiaritatis indicium, quod in carcere constituti, & triduana simul inedia macerati, ab Angelis visitantur, & mensæ cælestis alimenta percipiunt? in eis quippe Christus esuriebat, in eis supplicia perferebat, cum eis claudebatur in carcere, cum eis in vinculis, cum eis erat comes indiuiduus in tormentis. Et qui dudum inter deambulantes in camino Chaldaico pueros visus est quartus, ipse procul dubio cum istis etiam inuictißimis bellatoribus suis factus est tertius. Ecce, inquit Rex, video viros quatuor solutos deambu-*

lantes in medio ignis, & nihil corruptionis est in eis, & species quarti similis est filio Dei.

7. S. Chrysostomus serm. de Ascensione Domini, qui habetur inter opera Thaumaturgi. *Propterea vos huc adduximus, vt illustrior conuentus fieret, splendidiusque spectaculum, non hominum solum, sed & Martyrum collectorum, neque Martyrum duntaxat, verumetiam Angelorum. Etenim & Angeli præsentes sunt Angelorum & Martyrum concursus fit hodie. Videre cupis Angelos pariter ac Martyres; Aperi oculos fidei, & cernes spectaculum illud. Nam si omnis aër Angelis repletus sit, quanto amplius Ecclesia: si verò Ecclesia, quanto magis dies iam præsens, quando eorum assumptus est Dominus. Quod autem omnis aër Angelis sit repletus, audi quid dicat Apostolus, admonens mulieres, vt velato sint capite; debent enim inquit mulieres velamen habere supra caput suum, propter Angelos. Rursusque Iacob: Angelus qui eruit me de cunctis malis à iuuentute mea. Et qui in domo cum Apostolis erant, ad Rhoden puellam dicebant; Angelus eius est: Ac iterum Iacob: vidi, inquit, castra Angelorum.*

8. Quid narrem de tot Angelis eorumque choris, qui astiterunt sanctis Martyribus cùm paterentur? vere dixeris hos familiares esse nimiùm Martyribus. De sanctis quadraginta Martyribus lectiones referunt: Cæteris autem custodibus somno deditis, solus vigilabat Ianitor: qui & illos orantes, & luce circumfusos, & quosdam è cælo descendentes Angelos tanquam à Rege missos, qui coronas triginta nouem militibus distribuerẽt. Vsuardus ita ait de S. Põtiano Martyre: *A-*

pud Spoletum, translatio sancti Pontiani martyris, temporibus Antonini Imperatoris. Quem Iudex pro Christo vehementißimè virgis cæsum, iußit super carbones nudis pedibus ambulare. A quibus nil læsus, equleo & vncinis ferreis iussus est suspendi, & sic in carcerem trudi, vbi Angelica visitatione meruit confortari. Post quæ plumbo feruente perfusus, tandem gladio percussus est. S. Felix Nolanus Presbyter eductus è carcere legitur vna nocte ab Angelo, vt quæreret Maximianum Nolæ Episcopum. Acta Calliopij Martyris hæc habent: *Rotam, inquit Præfectus satellitibus suis, collocate, & magnum ignem succendite: cui rotæ tanta vi alligatus est adolescens, vt totus discerperetur. Statim igitur accedens Angelus Dei, flammam carbonum exstinxit: & ministri cùm vellent rotam voluere, non poterant.* Item cùm S. Heliodorus idolis sacrificare non pateretur, suspenditur & laceratur: cumque tormentorum acerbitatem sentiret, clamabat: Domine Iesu Christe, adiuua me. statimque è cælo voce missâ, audiuit: *Ne timeas, tecum enim sum.* Hanc vocem, qui faces accensas tenebant, atque insuper quatuor videntes Angelos tormentorum vim prohibentes, in Christum crediderunt, & arguentes Præsidem, in mare proiecti sunt, victoriæ coronas percipientes. Heliodorum verò in bouem igneum accensum immisit, qui bos statim cùm priùs arderet, frigidus factus est. & mille alia passus Heliodorus, vt habet Menologium, sanctis Angelis comitibus passus fortiter est. Cæsareæ in Cappadocia passio S. Mercurij militis, qui custodientis se Angeli patrocinio & barbaros vi-

cit, & Decij sæuitiam superauit, multisque au-ctus tormentorum trophæis, martyrio coronatus migrauit in cælum.

De sancta Heliconide hæc refert Menologium: *Hæc fuit Gordiano Imperatore ex vrbe Thessaliæ: detenta verò ad Perennium Corinthi Præsidem ducta, idolis immolare passa non est, sed Christum ipsum prædicans primum alligata est pedibus iugo boum, & prostrata soluto plumbo & pice, illæsa exiit; posteà raso capite, igne tota perfusa est: tum inde dimissa, ingressa in templum idolorum, simulachrū Palladis, Iouis, & Æsculapij, precibus in terra prostrauit. Ad hæc fectis mamis, cùm Iustinus Proconsul successisset Perennio, ad eum ducta Martyr in caminum ardentis ignis mittitur: sed flamma ipsa illam non attigit: verùm multos ex militibus consumpsit. Posteà in grabatum æreum ignitū expansa est. Repentè verò astiterunt Angeli, qui beatam Martyrem incolumem seruarunt. Postremò feris exponitur, quæ illam ne attigerunt quidem, sed viros aliquos interfecerunt. Tunc lata sententia Præsidis, libentissimè accipiens secto capite migrauit in cælum.* De sancto Benigno martyre ita scribit Historia Ecclesiastica: *His verbis commotus iniquissimus Imperator in carcerem eum includi præcepit, & grande saxum idemque perforatum adduci, atque illi pedes eius plumbo liquefacto inseri, & in digitos manuum eius calentes subulas in longum defigi, atque per sex dies nullum ei nec cibum nec potum præberi: porro etiam includi cum eo duodecim canes sæuissimos, fame & siti affectos, vt ab illis discerperetur: carcerem quoque custodiri à militibus. Itaque subulas acu-*

tissimas in manus eius infixerunt, & in lapide plumbo liquefacto, vel remisso pedes eius incluserunt, canesque ferocissimos cum illo in carcere incluserunt. Et paulò post: *O miram Dei virtutem, ô paternum Iesu Christi amorem in suos! Angelo ei auxilium præbente, canes mansuefacti sunt, ita vt nec pilum capitis, nec fimbriam vestimenti attingerent.* Sanctus Leo Papa in serm. S. Vincentij: *Insolita igitur huius luminis claritate perculsi obstupuere custodes, quin & vocem Angelis hymnum Deo concinentibus mens pallidi ianitoris expauit.* Et infrà: *Interea beatum Vincentium cælestis aula suscipit, ac beatæ fælicitatis munere donat. Ad cuius ingressum Angelici lætantur spiritus, omnesque simul conciues gratulantur sancti.* Et de Appollonio & sociis eius ait Euagrius cap. 7. *Medio autem noctis astare visus est Angelus ingenti luce resplendens, & obstupefactis perterritisque custodibus, carceris claustra patefecit.*

9. In martyrio vulneratus Constantius Episcopus ab Angelo Dei animatus curatur, vt refert Surius. *Cùm beatum Constantium Perusinæ ciuitatis Episcopum Danabi in tormentis à quibusdã .. erci Imperatoris militibus ei inflictis vires iam deficerent, ad Deum toto corde conuersus; Suscipe iam, orabat, spiritum meum, Domine, requiescat in te, qui pro te, ipso iuuante, omni tempore laborauit, vixdum pias hasce voces emiserat, cùm ecce præsto est ei Angelus Domini, afflictum his verbis confortans: Noli timere, Constanti, ego sum Angelus Dei: misit me Christus, vt plagis tuis curationem adhibeam, ac deinceps tibi adsim in omnibus viis tuis: & illico omnis plaga curata est. Tunc ille*

Angelico solatio recreatus, Gratias tibi ago, ait, Domine Iesu Christe, qui per Angelum tuum me in angustiis positum confortasti, & curasti vulnera mea, nunc verè scio, te quidem nunquam deserere sperantes in te.

10 Sanctus Cyprianus epist. ad Thibaritanos: *Præliantes vos, & fidei congressione pugnantes spectat Deus, Angeli eius, spectat & Christus quanta est gloriæ dignitas, quanta fælicitas præsente Deo congredi, & Christo iudice coronari.* Damianus serm. de certamine spirituali: *Gratulantur Angeli ad tale spectaculum videntes, quod humana natura in eo quod contra semetipsam pugnat, ad eorum se consortium, vnde fuerat eiecta, reformat: & secum rixando ad veram procul dubio pacem tendit, quam olim sibimet malè consentiendo, quia non repugnauit, amisit.*

11. De S. Suviberto asserit Marcellinus eiusdem comes mirum quiddam, & humanis oculis incredibile: *Deinde præfati sacerdotes attendentes messem quidem multam, operarios verò paucos, ierunt more Apostolorum & discipulorũ Christi bini & bini, trini & trini, adiunctis sibi aliquot neophytis, in diuersis Germaniæ prouinciis fidem Christi gentibus denuntiaturi. Inter quos S. Suvibertus gloriosus sacerdos Christi, diuini amoris igne feruidus, venit eodem tempore cum Vverenfrido, & mecum in grandem vicum dictum Duerstat: qui vicus refertus fuit cærimoniis, ornatúsque diuersis idolorum templis, duobus distans milliaribus à Traiecto ad Orientem: vbi dum prædicaret Christum verum Deum, qui vitam æternam in se credentibus daret admonens, vt simulacrorum va-*

nos & inanes contemnerent cultus, eò quòd idola quæ pro diis colebant, repleta essent dæmoniis, & nihil salutis habere, nec suis cultoribus auxilium conferre posse affirmaret: statim à paganis & idolorum sacerdotibus capitur, & grauiter verberatur, clamantibus & dicentibus; Blasphemator iste nostram profanat legem, Deos nostros omnipotentes Dæmonia affirmat, populum seducit, Crucifixum solum Deum verum audacter prædicat: & nisi occidatur, aut effugetur, cultus deorum nostrorum euacuabitur, & paternæ traditiones exterminabuntur. His dictis clamore omnium tenetur, & in carcerem mittitur, vt alterâ die occultè trucidaretur: non enim palam audebant ipsum occidere, quoniam vicus erat sub ditione Christianorum Francorum. Nos verò, Vuerenfridus & ego Marcellinus, dolentes & flentes sequebamur eum vsque ad carcerem: quod cernens S. Suuibertus, læto ore consolando hortabatur nos constanter stare pro fide Christi, nec mortem timere pati pro Christo. Eadem verò nocte circa galli cantum S. Suuiberto orante, nobis autem dolentibus, ecce venit Angelus Domini cum magna claritate in carcerem, dicens ei: Noli timere, serue Dei, quia Dominus tecum est. Et videntibus, & stupentibus custodibus carceris, liberauit ipsum, præcipiens vt constanter Christum paganis vbique euangelizaret. Quo facto, Angelus Domini æthera petiit: ipse verò ad nos veniens, gaudenter flectens genua, & nos secũ gratias deuotissimè Deo retulimus de Angelica visitatione & consolatione. Pagani verò, & præcipuè sacerdotes idolorum alterâ die audientes liberationem illius, vacillare cœperunt de impotentia idolorum,

laudantes virtutem Christi. Ipse verò alterâ die constantissimè prædicans, multos in stuporem vertit, & ad Christum conuertit, & nemo iniccit manus in eum. Quo ministerio peracto, cùm Traiectum nobiscum peruenisset, omnia per Angelum patrata secum in Duerstat confratribus enarrauit: qui vnanimi voce flentes præ gaudio, benedixerunt Deum. Secessit deinde in diuersos vicos & villas per Frisiam & Hollandiam ac Tersterbandiam, cunctis palam constanter Christum euangelizans: & quamuis multa contraria inter ipsos Gentiles in diuersis locis perpessus fuisset, & æquanimiter tollerasset; tamen diuino semper fultus auxilio, salutifera sua exhortatione populum multū ad agnitionem fidei Christi perduxit.

12. In vita S. Mauri Monachi Martyris habetur in libro Exemplorum ex Vincentio Belluac. quod cùm sub Numeriano secederet, per tres menses in speluncam, & ieiuniis, & orationibus insisteret, mediâ nocte post orationem soporatus est, & vidit virum splendidissimum, Angelum scilicet virgam ferentem quasi auream in manu sua, dicentem sibi: Surge Maure, quia non te despexit Deus, quem diligis toto corde, & vrbem sine mora ingredere. Quod cùm fecisset, & deprehensus esset, ad Celerinum adductus est, à quo interrogatus, cur sacrificare nollet, iratus vehementer, iussit eum in equuleo suspendi, & vngulis radi: lateribus quoque eius lampades ardentes applicari, & demum capite abscindi. Vbi Angelum habes exhortatorem martyrij. Quid dicam de Laurentio? cuius sudorem in agone Angeli panniculis absterserunt. Quid de

S. Felice, de quo Rhabanus, *cum cochleis ac testulis vinctus superpositus iaceret, per noctem ab Angelo solutus atque eductus est.*

13. De S. Paphnutio refert Surius, quod fuerit per Angelum manu apprehensus, & supernis rationibus commotus ad Martyrium; itavt disparente Angelo, plenus supernis inspirationibus solatiisque vltro sese Arriano Iudici exhiberet, dicẽs: Ego Paphnutius nomine Catholicus sum, & tibi me sisto, vt tormentis carnificum tuorum promouear ad coronam Martyrij. Quod verò Paphnutio defuit, in aliis sanctis Martyribus adimpletũ est, ait enim Vsuardus in mense Nouembri: *Castro Viterbiensium, passio sanctorum Martyrum Valentini Presbyteri, & Hilarij Diaconi, qui in Tyberim mersi, sed ab Angelo erepti, capitis abscisione Martyrium compleuerunt.*

Angeli adsunt Confessoribus, & Virginibus in lucta.

Capvt xxxviii.

Non solùm Martyribus, vt capite præcedenti visum, se Angeli beneuolos exhibent, sed etiam confessoribus & virginibus, id quod hoc caput indicabit. Ac primùm de confessoribus, idque breuiter S. Isaacus Presbyter lib. 1. de contemptu mundi. *Quid necesse est dicere de monachis peregrinis & anachoretis, qui desertum inhabitabant, & fecerunt illud habitabile hospitium Angelorum, ad quos sancti Angeli sæpe accedebant, propter conuersationis suæ suauita-*

tem, & vt sub vnius Domini protectione statuti, inuicem conueniebant ad tempus, quia omnibus diebus vitæ suæ vitam eremiticam amplexantes in montibus & speluncis, & cauernis terræ degebant, propter dilectionem diuinam? Vnde sicut terrena dereliquerunt, cœlestia dilexerunt. Angelorum imitatores facti sunt: ita iure Angeli suam eis voluntatem non absconderunt, sed ad tempus apparebant eis, qualiter oportebat eos conuersari docentes, & aliquando quædam eis ambigua exponebant; & quandoque sanctos per deuia errantes dirigebant. Aliquando verò in tentationibus incidentes liberabant: & quandoque subita ruina lapidum, & lapidum ictu, ab inimico sanctos manifestè impugnante, eripiebant, & se illis visibiliter ostendebant, & ad ipsorum consilium seu auxilium se dicebant transmissos, & confortationem & refrigerium & audaciam eis faciebant, & quandoque per ipsos sanitatem operabantur. Aliquando verò ipsos sanctos curabant in passiones incidentes. Aliquando verò corpora eorum fame corruentia, tactu manus aut verbis naturalibus confortabant, & fortitudinem apponebant, quandoque & transitus sui modum exponebant. Vt quid ergo multa enarramus, charitatem exprimendo, quam gratia nostri, & curam quam gratia iustorum sancti Angeli gesserint & gerunt? Nam sicut maiores fratres minoribus fratribus; sic prouident ipsi super nos.

2. De S. Ioanne, Dalmatiæ Regis ex Elizabetha filio, narrant annales Bohemorum, delatum ab Angelo in specum quandam prope Pragam, vbi infestissimis dæmonũ turbis expugna-

tus prope cessisset, nisi Ioannes Baptista Cruce Domini illum communisset, qua fretus, & sedatis dæmonum agminibus, per quadraginta & duos annos eremiticam vitam gessit, nulli mortalium per quatuordecim annos visus, lacte interim ceruæ, diuina cura ei tempestiuè vbera exhibere iussæ, pastus. Cuius mira in reliquis abstinentia fuit.

3. Sed nihil obstat, vt tibi vnum aut alterum exemplū afferam. Primū est sancti Heruæi Eremitæ, ex ea vita quā ex M. S. Ecclesiæ S. Pauli Leonensis collegit Renatus Benedictus. *Tandem vir beatus cum per multos annos in solitudine vixisset, multisque miraculis floruisset, & cū Angelica admonitione, intra sex dies se ex hoc mūdo migraturū didicisset, incidit in morbum. Visitatus igitur à parentibus, & Episcopo, qui ei sacrosanctum Eucharistiæ tradidit Sacramentum, migrauit ad Dominum. Auditæ sunt autem voces Angelorum laudantium & glorificantium Dominum, quando sancta eius anima à corpore separata, ab eis in cœlum est delata.* Alterum est, in transitu S. Martini Turonensis auditas voces multorū Angelorum cantantium, & deducentium animam ad cælum. Cuius mentionem facit Vsuardus in vita S. Seuerini Episcopi, in hunc modum: *Ciuitate Colonia, sancti Seuerini Episcopi & Confessoris: cuius Catholica fide, maximóque sudore, ac sanâ doctrinâ, Coloniensium, Burdegalensium, Tungrensium, vicinorumque Ecclesiæ, ab infestatione Arianæ hæresis sunt defensæ. Quin & in transitu B. Martini audire meruit voces psallentium Angelorum.*

4. De virginibus autem, quod Angeli fuerint, & illis adeò similes, vt nihil similius dici aut excogitari possit, dicam illud S. Ioannis Chrysostomi lib. de Virginitate cap 79. τί μὲν τῶν ἀγγέλων ἀπεῖχον, εἰπέ μοι, ὁ Ἠλίας, ὁ Ἐλισσαῖος, ὁ Ἰωάννης, οὗτοι οἱ γνήσιοι τῆς παρθενίας ἐρασταί; οὐδὲν ἀλλ' ἢ ὅτι θνητῇ προσεδέδεντο φύσει. τὰ δὲ ἄλλα εἴ τις ἀκριβῶς ἐξετάσειεν οὐδὲν χεῖρον ἐκείνων εὑρήσει διακειμένους. *Etenim quare, sodes, ab Angelis differebant Elias, Elisæus, Ioannes, germani hi virginitatis amatores? Nulla nisi quod mortali natura erant obstricti: cætera, si quis accuratè inquirat, nihilo ijs deterius affectos inueniet.* Et Basilius Serm. de Institutione monachorum: ἴδιον γὰρ τοῦτο τῆς ἀγγελικῆς ἐστὶ φύσεως, τὸ ἀπηλλάχθαι τῆς γαμικῆς συζυγίας, μηδὲ πρὸς ἄλλο τι κάλλος μετεωρίζεσθαι, ἀλλὰ εἰς τὸ θεῖον πρόσωπον διηνεκῶς ἀτενίζειν: *Siquidem proprium hoc est Angelicæ naturæ, liberam esse a vinculis coniugij, neque ad aliã vllam contemplandam pulchritudinem, animo distrahi, sed oculos in Dei os assiduè intentos habere.* Idem de vera virginitate multus est in exaggerando custodiam Angelorum, quam virgines habent, ipsumque Angelum vocat τῆς παρθενίας φύλακα, paranymphum castitatis. & post aliqua: *Reuereatur virgo astantem sibi custodem Angelum. Neque verò conuenit, vt Angeli eius, cui credita est cura & custodia salutis nostræ, faciem aspernetur. Atque inprimis Virgo castitatis suæ veluti paranymphum custodemque habet.* S. Nilus ait: *Reuerere Angelos magis quàm homines, multi enim nobis adsunt, & ab omni turpi actione recedunt.* S. Aldegundi stirpe regia procreatæ in puerili ætate multa ostensa sunt. Tum etiam Ange-

los sæpè vidit cantantes, vt ex historia Hualbaldi discimus.

5. Hieronymus ad Eustochium in Serm. Assumptionis Virginis Mariæ: *Bene Angelus ad Virginem mittitur, quia Angelis semper est cognata virginitas. Profectò in carne præter carnem viuere, non terrena vita est, sed cælestis. Vnde in carne cælestem gloriam acquirere, maioris est meriti quàm habere. Esse enim Angelum, fœlicitatis est; esse vero Virginem, virtutis. Dum hoc viribus obtinere nititur cum gratia, quod habet Angelus ex natura.* S. Cyrillus ait, Angelos esse τῆς ἁγνείας ἐργάτας, *castitatis operatores.* Quamobrem Greg. Nazianzenus Orat. 31. nos admonet, vt, quando vitam elegerimus Angelicam & castam, ἀγγέλων πλησίον, perseueremus in ea.

6. Arnoldus Abbas in illud verbum, *mulier ecce filius tuus*, sic inquit: *Naturæ Angelicæ gloria cognato cælibatui exhibet reuerentiam.* Cyprianus lib. de Virginit. *Virginitas est soror Angelorum, victoria libidinum, Regina virtutum, possessio omnium bonorum, quæ tenet in Cælo aureolam, & in terra principatum.*

7. Notissimum est illustre factum S. Thomæ, cognomento Doctoris Angelici, qui adhuc adolescens in Religione Nouitius impudicam meretricem titione dispulit, quæ animi generositas tantopere oculos Angelorum affecit, vt illico duo ex illis accurrerent, vnus ipsius, alter fæminæ fugatæ custos, & cùm peracta oratione indormiuisset, lumbos eius cingulo, id est signo edomitæ iam concupiscentiæ carnalis constringerent. Petrus Chrysolog. Serm. 143. eam præfert quo-

dammodo Angelis: *Angelis semper cognata virginitas, in carne præter carnem viuere, non terrena vita est, sed cælestis: & si vultis scire, Angelicam gloriam acquirere maius est, quam habere; esse Angelum felicitatis est, virginem esse, virtutis: virginitas enim hoc obtinet viribus, quod habet Angelus ex natura, Angelus ergo, & Virgo diuinũ agunt officium, non humanum.* Idem, breuius tamen Bernardus epist. 42. his verbis ait: *Castitas Angelum de homine facit, etsi Angeli castitas felicior, hominis tamen fortior cognoscitur.* Cuius rationem ipse Epist. 113. adducit: *Angelus habet virginitatem, sed non carnem.* Cyrillus Hierosolymitanus ait de Angelis Catech. 12. ἁγνείας ἐργάτας: *virginitatis opifices.* Blesensis dixit Serm. 28. quod multis incredibile videbitur, scilicet supplementum ruinæ Angelicæ ex solis castis fieri, *cum alij tanta non accedant ad Angelos affinitate.*

8. Cauendum tamen est, ne offendamus in aliqua libidine, propter quam Angelus Dei nos puniat, cuius rei testimonium habemus in Hispania, vbi Tharasia Infans & ex progenie regali, quod nollet Mauro Abdalæ consentire, & ille nihilominus virgini vellet vim inferre, ab Angelo multatus est. Historia sic habet scripta ab Iuliano Archipresbytero Toletanæ Ecclesiæ: *Venit interea Infans Tharasia Toletum, & regaliter excipitur ab Archiepiscopo, induto vestibus sacerdotalibus, & mitra, tunc primum inuenta, cum Geruntio Episcopo Complutensi, & Iuliano Archidiacono, & aliis Muzarabibus, & Sarracenis. Occurrunt per duas leucas Abdala Rex, & in Regia, non procul ab Ecclesia, qua nunc est S. Andrea,*

excipitur

excipitur. Eam Archiepiſcopus inuiſens conſolatus, bono iubet eſſe animo, & ne conſentiat cũ Mauro, præſertim cùm Deo vouiſſet virginitatem, vehementer animat. Illa, quæ prudens erat virgo, reſpondet, ſe libentiſsime parituram eſſe illi. Abdala die nuptiarum quarto Kalendas Aprilis demulcet Tharaſiam lacrymantem, & ea conſtanter monet illum, ne ſibi vim afferat, quoniam prius Chriſto vouiſſet Virginitatem ſuam, ille nihilo factus timidior illis verbis virgini nolenti vim infert, & ſtatim ab Angelo Dei percutitur. En atrox ſupplicium in hominem volentem illudere virgini, ſicut è contrario mitiſſimi ſunt Angeli in viros probos caſtitatem colentes, ſicut Ambroſius dixit ſerm. 85. *Quid mirum ſi is auxilia mereatur de Cœlo, cuius animus ſemper eſt in Cœlo, vt qui vita viuimus Angelorum, eorum conſortium mereamur.* Et iterum: *Conuerſatio connectit quos ſeparat elementum, neque intereſt, vtrum in cœlis maneant, an in terris: Angelici ſint habitus, an humani; quibus vita communis eſt, incipiunt etiam illis videndi elementa eſſe communia.* Si enim naturam Angelorum & hominum intueamur, diuerſa elementa poſcunt, ſicuti animalia terræ, & aues cœli: ſed ſi exercitationes vtriuſque vitæ, humanæ ſcilicet & cœleſtis, conuerſatio vnit & connectit: Non enim ad hoc neceſſaria eſt diſtantia loci, ſiquidem diſtantes ab hominibus Angeli, & ab Angelis homines connectuntur. Quàm igitur fœliciſſima ſors illorum, qui fruuntur Angelica cuſtodia! qui ſplendor erit hominum, qui proximè accedunt ad Angelorum chryſtallum ſplendidum? quæ doctrina cum talibus magiſtris? quã

debet esse vir pius & castus, Angelis deditus, qui ita voluerint se nobis assimilari, vt omnino, si non naturá, neque corpore, saltem viuendi ratione & modo, iidem esse videantur, vt optimè astruit Franciscus Aquadus vir pius & eruditus tomo 1. perfecti religiosi cap. 7. titulo 3. quem vide si frui voles tum ore sapientis, tum dulcedine loquentis.

Omnes homines Angelum habent custodem, excepto Christo Deo & homine.

CAPVT XXXIX.

1. BEneficiũ hoc extenditur ad infideles, quanquam Origenes tractatu 6 in Matthæum, & Author Imperfecti tomo 5. videantur dicere solis baptizatis Angelos datos. Verè dati sunt vniuersis, nam Persæ, & Græci tempore Danielis erant infideles, qui tamen habebant Angelos tutelares. Et Cornelius Centurio ab Angelo monitus est, vt audiret Petrum, & Baptismum susciperet: Atque etiam ex Dionysio cap. 9. de cœlesti Hierarchia. Nam tametsi Deus possit idem præstare, quod Angeli, non tamen vult: sicut posset nos alere, non tamen vult nisi medio cibo, potest saluare, non tamen vult sine Sacramentis & prædicatione Euangelij. Vnde illud, *Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te, &c.*

1. Primi parẽtes quãdiu erant in statu innocentiæ, habuerũt custodes Angelos, vt statuit Diuus Thomas, quia in illo statu nõ fuit homo impec-

cabilis. Etenim posteri quoque Adæ etiã si confirmati in gratia fuissent, iuxta Greg. 4. Moraliũ, & Anselmum lib. *Cur Deus homo* cap. 38. nihilominus hoc fulcro eguissent ad virtutem ardentius capessendam: Præsertim cùm in doctrina S. Aug. lib. 1. Retractationum cap. 13. quem sequitur S. Thomas, 1. p. q. 100. confirmati in gratia nõ essent. Tum quis dubitat eos mille periculis expositos. Itaque tam Adam ipse in statu innocentiæ, quàm posteri, etiam si Adam non cecidisset, eguerunt maximè custodia Angelorum.

3. Et Beata Virgo habuit Angelum custodem, & creditur fuisse Gabriel, vt volunt Hugo Victorinus, & S. Bernardus, quia tametsi Mater Dei fuerit, non tamen fuit intrinsecè impeccabilis, sed solùm extrinsecè per specialem protectionem, vt de aliis confirmatis in gratia dicitur. Ad hæc Virgo plures habuit visitationes Angelicas, & quis detulit nisi Angelus custos? Ipsa Virgo & Mater Dei Maria, peculiari priuilegio ab omni peccati macula præseruata, & vniuersis exculta virtutibus, cùm esset Regina Angelorum Angelum custodem habuit, quod Doctores asserant. Neque indecens fuit, eam quæ Angelorum perfectionem longè maximè antecellit, & Regina est illorum & Mater Dei, opus habuisse Angelo, à quo protegeretur. Nam Angelus eam visitatione sua, vt Ambrosius scribit, consolabatur, & animabat exterius. Deinde tametsi in matrem Dei electa esset, nihilominus necesse habuit erudiri ab Angelo, tanquam consiliario ac nuntio suo directo ab ipso Deo. Hic illi aperuit mysterium Incarnationis, hic Iosephum admo-

nuit de fuga in Ægyptum, & postea de reditu in Iudæam, quod etiam teste Abulensi aperuit Virgini. Quin quanquam non experiretur vllam rebellionem carnis contra spiritum, potuit tamē experiri; & Angelus obstacula omnia tollere, ne Dæmon obiiceret impedimenta: itaque Dæmonis impetum retudit. Quid autem indecentiæ committitur, vbi Imperator à propriis militibus defenditur? quot beatissima Virgo pericula euasit in fuga ad Ægyptum? quot insidias machinantis Herodis? quot discrimina obiit in passione filij? quot tribulationes sustinuit? itaque conueniens admodum fuit Angeli custodia. Nec solum habuit Archangelum Gabrielem custodē, sed tanquam Reginam Cœli, & Dominam Angelorum, multis circundatam fuisse turmis æquū fuit, vt Andræas Cretēsis scribit. Nonne Elisæus habuit tot millia Angelorum, qui partes eius agerent? nihil ergo mirum, infinitam multitudinem Angelorum ad Reginę suæ protectionem concurrisse. In canticis 7. dicitur Sunamitis *choros castrorum* habuisse, Etenim chori castrorum sunt armatæ legiones, & agmina cœlestium ciuium, qui eam exhilarabant, ideo chori dicuntur. Ipsa agmina ducebat Gabriel, vt ait Greg. Nicomediensis in Orat. de Maria in templo oblata, quæ in nocte natiuitatis cecinerunt canticum laudis, in cœlestis militiæ multitudine.

4. Antichristus etiam mihi non dubium est, quin habiturus sit Angelum custodem, quod etiam statuit S. Thomas, quia semper vera est illa regula, Deus semper vult saluos fieri omnes homines, quamuis pessimos, cur non ergo Antichri-

ſtum? Deinde, qui proponit alicui finem, debet prouidere de mediis quæ ad finem obtinendum requiruntur: atqui cuſtodia Angelica eſt ordinata ad vitam æternam: ergo neceſſaria. Neque dicendum eſt Cuſtodes Angelos deſerere homines quantumuis peccatores, quandiu ſunt in hac vita, nunquam enim Deus denegat communia auxilia; bene tamen ſtat ſpecialia negare, quæ ſolent dari amicis. Vnde eſt illud, *Curauimus Babylonem, & non eſt ſanata, relinquamus eam*; quod ſanè de ſpeciali auxilio dicitur. Et Eſaïæ 5. *Auferam ſepem eius, & erit in direptionem; diruam maceriam eius, & erit in conculcationem.* vbi nomine maceriæ intelligitur cuſtodia Angelorum, quæ ſpecialis quidem auferenda ab improbis, nõ communis & generalis. Et in Hiſtoria Eccleſiaſtica dicuntur auditæ fuiſſe voces Angelicæ, *Relinquamus has ſedes.* Et de Angelis conſtitutis ad Samariã tuẽdam, inquit Cyrillus Comm. in Michæã: ἀφέντων αὐτὴν τάχα τι καὶ τῶν πάλαι τηρεῖν ἐπιτεταγμένων, ἁγίων τε φημὶ δυνάμεων καὶ ἀγγέλων: *Deſerentibus etiam fortè ipſam ſanctis Virtutibus & Angelis.* & *fortè* ait. Et quis negat bonos Angelos charitate, quâ feruent, velle ſemper auxiliari, ſi Dæmonibus eadem vis eſt inſidiandi? & in hac imitantur Deum fontem miſericordiæ. Etenim Angeli ad omnes mittuntur etiam reprobos, qui ob peccata ſua damnandi ſunt: quod conſtat ex communi Eccleſiæ ſenſu, quæ ſentit & docet, ad omnes omninò homines, adeóque ad quem libet reprobum, dum naſcitur, à Deo deſtinari Angelum Cuſtodem.

5. Dixi Angelũm Cuſtodem eſſe omnibus, ex-

cipio tamen ab hac regula vnum CHRISTVM IESVM Saluatorem omnium & Creatorem, qui non eguit hoc fulcro. Non enim erat viator, sed comprehensor, plenus scientiâ & gratiâ, & etiã humanitas illa sanctissima regebatur à Verbo, quemadmodum pars nostra inferior gubernatur à superiore. Et dare Angelum Custodem Christo, esset dare Philosopho instructissimo rerum omnium magistri loco ignarum puerulum. Vnde in Matthæi 4. non dicuntur Angeli adiuuasse Christum ad certamen illud quod habuit cum Sathana, sed transacto duello *accesserunt Angeli, & ministrabant ei.* Neque impedit Angelum ad Christum mitti qui confortaret eum in agonia. vt enim Damascenus lib. 3. de Fide, cap. item 3. aduertit, non illi proposuit rationem quæ lateret Christum, quamque non haberet præsentem; sed tantum alloquutio quædam familiaris fuit, quæ repræsentauit quidquid rerum gerebatur. Etenim Christus habuit Angelos, non velut consiliarios & defensores, sed tanquam ministros & famulos, ita incarnationis suæ mysterium habuit Gabrielem, qui Mariæ nũtiaret, qui Iosepho fugam consuleret, qui pastoribus aperiret fœlicissimam natiuitatem. Sed tamen quæstio hęc appellet Scholasticos, nos enim pietatem spectamus, non quæstiones.

6. Ergo hæc custodia tametsi à tempore natiuitatis cuiusque videatur dari, vt placitũ D. Thomæ, tamen Bonauentura sensit tunc datum Angelum, cùm conceptus est in vtero, quod omnino placet, quia quamuis ab eo tempore quo homo nascitur, videatur indigere hac custodia,

quæ finitur cum vita, inde Lucæ 16. dicitur factum eſt, vt moreretur mendicus & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ: tamen propter rationes, quas attuli cap. 9. magis probo. S. Bonauenturæ opinionem.

7. Et quidem multa ſunt, quæ Angelos ad hanc cuſtodiam alliciunt, quibus vt ait Iſidorus Peluſiota, χρηστῶς πράττειν ἀγγέλοις συμπέφυκε, *probè agere Angelis innatum eſt*, in epiſt. 165. Primũ Angeli ea mentis acie valent, vt earum rerũ, quæ agendæ ſunt, nulla eos prætereat. Nam cùm eas explorant ſingulari ingenij acumine, tum eaſdem in limpidiſſimo diuini Verbi ſpeculo contemplãtur. Sunt præterea egregiâ voluntate prædititi, qualis ab initio iiſdem à Deo inſita eſt; quã ſubinde geminæ charitatis, qua Deum & homines complectantur, æſtus incendit. Sic prorſus, vt bonorum quidem ſemper deſiderio ardeant, malum autem vbique auerſentur. Accedit ad hæc, quod ita Deum Opt. Max. velle intelligunt, cui ſummo ſtudio parere ſtudent, cumque habent fructum iucunditatis ſuauiſſimum. Sed neque illud ignorant, à Deo inſtitutos eſſe ſe adminiſtratorios ſpiritus, propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis, quos ſuo conſilio regere, ac præſidio tueri debeant; & ſi qui hoſtes in eos incurrant, eorundem impetum retundere. Hunc porrò vident Hierarchiæ ſuæ finem eſſe, ac totius ſacri ordinis ſcopum, vt quamplurimos ope iuuẽt, cœleſti luce colluſtrent, & ad numinis cultum & religionẽ beneficiis alliciant. Addit calcar ſponte currentibus, quod dum pluribus faciunt bene, eò magis diuinam gloriam ac laudem, quam ſum.

mopere expetunt, promouent. Nec verò cuiquã mirũ videri debet, si quos sperant olim consortes regni habituros, nunc de iisdem bene mereri gestiant. Hominem præterea vt nitidissimum quoddam numinis speculum intuentur, & in eo expressam Domini sui speciem atque imaginem suspiciunt, cuius idcirco amore flagrant, & eundẽ singulari beneuolentia prosequuntur. Denique vbi horum quemquam ad portum felicissimum appulisse contigit, tum liquida illos voluptas circumfluit, ac mera lætitia perfundit, & tanquam parta victoria triumphant. Idcirco tantisper dũ periclitantur, iisdem impensiùs fauent. Cùm itaque Angelus ad benefaciendum tot habeat incitamenta naturæ, tot gratiæ stimulis vrgeatur, nec vllam in agendo difficultatem experiatur, atque adeò strenue atque impigrè de humano genere promereri studeat, iure ac merito si quem bonum ac beneficum, & salutarem prædicare voluerimus, secundum quandam analogiam cum Angelo conferemus.

Quod Angeli sint incorporei, & præpositi elementis, & irrationabilibus.

CAPVT XI.

I. ANGELOS omnes incorporeos esse certa est veritas. Nam quamuis inter Catholicos aliqui (mitto hæreticos) asserant illos habere corpora, vt sunt Tertullianus lib. 3. aduersus Marcionem, vbi ait: *Angelis veræ ac solidæ substantiæ humanæ carnem tribuit.* Et Origenes

ui passim illos corporeos affirmat, & Faustus
Rhegiensis, aliique; sed certè veritas euicit, illos
omninò expertes esse corporum, & hanc esse il-
lorum naturam. Nazianzenus orat. de Natiui.
Dom. *qui facit Angelos suos spiritus*, &c. ita ait:
*Cælestes Deus excogitauit Virtutes, & ita subsiste-
runt illi splendoris ministri, siue illos spiritus intel-
lectuales, non corporales, siue ignem immaterialem,
& incorporeum, siue naturam aliam appellemus.*

2. Eusebius Cæsariensis de demonstratione Euãgelica l. 3. ca. 5. *Ex Saluatoris decretis accepimus esse quasdam post supremum Deum Potestates natura incorporeas, intelligentes, rationales omniq; virtute præditas, quæ circum Regem vniuersi choros exerceant, quarum plures etiam vsque ad homines ipsius Patris nutu, quadam salutari dispositione mittantur: quasque & cognoscere, & venerari, pro ratione graduque dignitatis edocti sumus, vt soli Deo, qui est Rex vniuersi, adorationis honorem tribuamus.* Et lib. 4. cap. 1. *Cum Deus vellet diuitiarum suarum thesauros pluribus impertiri, essetque iam iam omnem rationalem creaturam in lucem producturus, incorporeas videlicet quasdam atque intelligentes, & Diuinas Potestates, Angelosque atque Archangelos, materiaque expertes, & omni parte puros spiritus produxit.* Petrus Damianus serm. de S. Michaele Archangelo: *Nunc ad Angelos sermonem conuertimus, & illis purioris naturæ contemplamur originem.* Vocat puriorem naturam incorpoream. Ideò infrà statim: *Beata illa regio supernarum Virtutum in qua fælices spiritus circumuolant Dominum Sabaoth, & sublimi pennarum applausu in plateis supernæ Hierusa-*

lem Sanctus, Sanctus, Sanctus clarâ voce decantant.

3. Dionysius Areopagita de Cælesti Hierarchia cap. 4. *Sanctæ cælestium spirituum distinctiones, eis & quæ solum sunt, & quæ sine rationis usu viuunt, & quæ humanâ utuntur ratione; diuinæ illius participationis dignitate, & copia longe præcellunt. Nam cum se ad imitandum Deum spiritualiter intelligibiliterque componant, atque diuinam similitudinem, vltra humanum morem intuentes, ad eam intellectualem speciem suam effingere cupiant, merito vberiore illius participatione beatæ sunt. Astant enim propius illi cohærentes.* Et supra cap. 2. dixerat: *Non existimemus cælestes ac diuina specie præditos spiritus, multis pedibus, multisque esse faciebus: Et siue ad boum stoliditatem, siue ad veritatem leonum esse formatos: seu ad aquilarum recuruis rostris effigiem, seu ad pilosam auiũ plumescẽtium fictos: seu rotas quasdã igneas, & materiales sedes ad accubitum summæ diuinitati necessarias, supra cælum imaginari, stolide incipiamus, & equos discolores aliquos, & satellites armatos ac duces, & cætera id genus, quæ nobis euidenti & expressa varietate signorum sacratissime ficta traduntur. Nempe enim poëticis fictionibus Theologia, vt eos describeret spiritus, qui formis carent, affatim vtitur: humanæ scilicet mentis infirmitatem non ignorans.*

4. Et S. Chrysostomus Homilia 22. in Genes. explicans illud: *In resurrectione neque matrimonium contrahunt, neque elocantur, sed sunt sicuti Angeli Dei*, inquit: *Neque enim possibile est, incorpoream naturam talem vnquam concupiscen-*

am habere. Et ad cap. 6. Isaiæ: *Seraphim spiritus icuntur Virtutes incorporeæ supernæ illius ac nu-crosissimæ multitudinis, quarum virtutem & atitudinem per earum nomenclaturam quis pos-noße.* Theodoretus in Epitome diuinorum de-retorum cap. de Angelis: *Angelos, nec vt Græ-rum poëtæ & philosophi in Deos referimus, nec masculinum & fœmininum sexum incorpo-am naturam distinguimus: Nec intemperantis itus, quæ sub affectum non cadunt, Potestates cusamus.* Cassiodorus ad psalm. 103. *Spiritus nerale nomen est, incorporalis potentisque sub-antiæ, visibiliter siue inuisibiliter operans, quod diuinitus inspiratur.*

5. Eucherius Gallus in lib. 3 Regum: *Certè Angeli leuitate spiritualis sunt naturæ prædi[ti], aut vbicumque voluerint statim quasi volando rueniant, & hic cum alis figurati, & prophetis m alis sunt ostensi.* Hildegardis lib. 1. Visio-um, cap. 2. *Qui in prima sunt acie Angeli, ve-t pennas in pectoribus suis habent, & facies ho-inum in se prætendunt: In quibus & vultus ho-inum quasi in pura aqua apparent: Isti igitur Angeli sunt desideria profunditatis, intellectus i quasi pennas expandentes. Non quòd pennas vt ies habeant, sed quòd voluntatem Dei in deside-is suis velociter perficiant; velut homo in cogita-onibus celeriter volat: Ita quod & facies suas ulchritudinem rationalitatis in se manifestãt, vbi iam Deus opera hominum manifestißime perscru-tur.* Concilium Lateranẽse cap. 1. *Vnum est vni-rsorum principium, Creator omnium inuisibi-um & visibilium, spiritualium & corporalium,*

qui sua omnipotenti virtute, simul ab initio temporis, vtramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem & corporalem, Angelicam videlicet & mundanam.

6. Firmaui hactenus veram & germanam explicationem Angelorum incorporeorum, quippe in illud: *Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos ignem vrentem*, vel, vt legit Apostolus ad Hebr. 1. *flammam ignis*, vbi multi ex sanctis Patribus per spiritum aërem intelligunt, ita vt Angelos putent aërea, vel ignea corpora subtilia gestare, non placet. In quo sensu explicat hunc locum Psal. Ioannes Episcopus Thessalonicensis in quodam sermone in septima synodo generali Act. 7. *De Angelis & Archangelis, & ipsa quidem Catholica Ecclesia sic sentit, esse quidem intelligibiles, sed non omnino corporis expertes, & inuisibiles, vt vos gentiles dicitis, sed tenui corpore præditos, aëreo siue igneo, sicut scriptum est: Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos ignem vrentem; sic autem multos sanctorum patrum sensisse cognoscimus, quorum est Basilius cognomento magnus, & Athanasius, & Methodius.* Hæc ibi: Sed concilium nihil de hoc definit, neque asserit, neque contradicit. Tenent etiam ex Latinis multi Patres prædictam sententiam, August. lib. 3. de Genesi cap. 9. & 10. & lib. 8. de Ciuit. cap. 15. & lib. 9. per plura capita. Præterea Tertullianus lib. de Carne Christi. Cyprian. lib. de singularitate clericorum. Ambros. lib. de Noe. cap. 4. Ioannes Cassian. collatione 7. Abbatis Sereni, cap. 13. *Licet pronunciemus nonnullas esse spirituales naturas, vt sunt Angeli, tamen incorporea*

nullatenus æstimandæ sunt, habent enim secundũ se corpus, quo subsistunt in natura, quia secundum Apostolum, sunt corpora cœlestia & corpora terrestria. Hæc autem sententia parum habet probabilitatis, quæ nulli firmamento innititur, & tenenda est, quam præmisi.

7. Dixi Angelum præpositum elementis & irrationabilibus, quam rem probare intendo. Inprimis Angelus quidam habere dicitur potestatem super ignem. *Et alius* (dicitur Apocal. 14.) *Angelus exiuit de altari, qui habebat potestatem super ignem.* Item Angelus aquarum refertur. *Et audiui* (inquit idem Apocal. 5.) *Angelum aquarum dicentem, iustus es Domine.* Præterea legimus: *Angelus autem Domini descendebat secundùm tempus in piscinam, & mouebatur aqua, & qui prior descendisset in piscinam post motionem aquæ, saluus fiebat à quacunque detinebatur infirmitate.* Vnde Patres putauerunt diuersos Angelos esse, qui diuersis creaturarum ordinibus præsiderent, vt refert D. Thomas 1. p. q. 110. ar. 1. ad 3. sic Aug. lib. 83. quæstio. q. 79. *Vnaquæque* (inquit) *res visibilis habet Angelicam potestatem sibi præpositam. vt aliquot locis Scriptura testatur.* Idem etiam docet lib. 3. de Trinit. cap. 4. corporalem omnem creaturam per intellectualem gubernari. Damascenus quoque lib. 2. cap. 4. Luciferum ex his fuisse Angelis dicit, qui terrestribus erant præpositi. Item Orig. lib. 14. super nu. 22. explicans illud; *Cernens asina Angelum stantem in via*, asserit Angelos præesse super bestias, arbores, & virgulta. Idem tenuit D. Thom. loco citato. art. 1. vbi citat Greg.

qui lib. 4. Dialogorum ait: *In hoc mundo visibili nihil nisi per creaturam inuisibilem disponi potest,* dicitque ad tertium ordinem virtutum pertinere omnes Angelos, qui super species rerum corporalium præsidentiam habent. Hi quamuis vni committere possent irrationabilium omnium dispositionem, ad sapientiæ tamen diuinæ rationem pertinet, vt ad singulas rerum species conseruandas singulæ virtutes deputentur: quando verò aliquid miraculose supra totius naturæ ordinem fit, per has virtutes efficitur, sicut quando ad motionem aquæ piscinæ sanabatur vnus, quando virtus ignis, ne tres pueros in camino Babylonis combureret, extincta est, quando cetus euomuit Ionam, quando Leones Danielem tangere non potuerunt, quando sol stetit, & sic de similibus. Restat afferam Auctores huius rei. Origenes Hom. 8. in Ierem. *Omnibus rebus Angeli præsident, tam terræ & aquæ, quàm aëri & igni, id est, principari elementis, & hoc ordine peruenire ad omnia animalia, ad omne germē, ad ipsa quoque astra cæli.* & Homil. 23. in Iosue: *virtutes cælestes mundi huius ministeria suscepisse, vt illa terræ vel arborum germinationibus, illa fluminibus ac fontibus, alia ventis, alia marinis, alia terrenis animalibus, vel singulis è terra gignentibus præsunt.* August. lib. 8. Genes. ad litteram cap. 24. *Sublimibus Angelis Deo fruentibus subdita est omnis natura corporea, omnis irrationalis vita.* Damascenus lib. 2. de Fide cap. 4. supponit custodiam terræ fuisse commissam Angelis malis ante lapsum. Sic Abulens. Matth. 18 q. 57. & S. Thom. p. 1. q. 113. art. 3. & q. 110. art. 1. ad

& 3. & Iustinus Martyr epist. ad Diognetum, ἄγγελον, ἢ ἄρχοντα, ἢ τινὰ τῶν διεπόντων τὰ ἐπίγεια: *aut angelum, aut principem, aut aliquem eorum, qui terena gubernant.*

Angeli pueros sibi commissos singulariter custodiunt.

CAPVT XLI.

INuitat me ad hoc caput scribendum Raderus in Viridarij prima parte, vbi sancti Ephræm pueri mirè vitam puellarem scribit, ipsum puerum Ephrem dictantem inducens hunc in modum.

2. Cùm puer male moratus iussu parentum suburbium peterem, repertam in sylua buculam fœtu grauidam, cœpi crebra lapidum insectatione eo vsque prosequi, donec onere ventris & cursu fatigata concideret. Mortua feris per noctem in prædam cessit: ego cœptum prosequutus iter, obuium habui iuuencæ dominum vltimæ sortis, & fortunæ hominem, solicitè pecudem amissam vestigantem, meque peramanter salutantem, rogantemque an aberrantis bouis vestigia in sylua alicubi deprehendissem. Ego, vt me extra suspicionem facti ponerem, nullo dignatum responso, insuper etiam contumeliis oneratum, dimisi. Exacto inde mense eandem viam remetiri iussum in nemore nox oppressit. Opiliones qui gregem in sylua pascebant, occursantes quærunt, quo sub imminentem iam noctem tenderem? missu parentum, inquam, ad suburbium

illud propero. Diuerte, inquiunt, ad nos, occasum iam solem vides; prima luce reliquam viam conficies. Victus humanitate pastorum, mapalibus successi: sed intempesta nocte ouilibus insidiatæ feræ gregem inuasere, totaque sylua distulere. Postero die magistri pecoris caulas inanes conspicati me furibus ducem rati ne quicquam diuûm hominumque fidem implorantem, ac testantem Prætori vinctum sistunt. Qui custodiæ mandatum duobus reis adiunxit, quorum vterque exors criminis, cuius affinis putabatur; occulta tamen vindicta numinis vtrumque prosequente, in suspicionem alter cædis, alter adulterij inciderat.

3. Iam quadragesimum diem in carcere trahebam, cùm se dormienti species Ephebi, vultu formidabilis, offert, qui me tamen placidissime affatus: Ephræm, inquit, quid hîc agis in vinculis? Domine, inquam, aspectu tuo perculsus totis artubus contremisco, fatiscoque. Pone metum, inquit, & causam vinculorum expone. Domine, missu parentum in suburbium festinabam, sed tenebris occupatum custodes pecoris in tugurium inuitarunt: Interim de nocte gregem lupi inuadunt, & tota sylua dispergunt: hinc ego postera luce à pastoribus reus peractus, arbitrantibus ductu meo prędones ad ouilia penetrasse, ad prætoria vinctus, quamuis insons, meramque calumniam passus rapior. Hic ille renidenti vultu: Noui, inquit, ego te extra crimen hoc positum, impactamque tibi puram putam calumniam. Sed quid antè mensem vnum aut alterum designaris, haud ignoro, cum infelicis vici miserum pecus

crebra

ebra lapidatione confecisti. Disce ergo iustum
se tribunal Numinis, nullumque cœlesti vin-
cta, nisi nocentem, plecti. Exemplo sint gemi-
i illi iuxta tecum vinculis constricti, ambo eius,
uius insimulantur, noxæ immunes, sed percun-
tatus illos, intelliges cur illos in custodiam æqui-
as diuina dari permiserit. Hæc fatus adolescens
x oculis abiisse visus est.

4. Expergefactus ego, simul ac diluculauit,
ompello vtrumque: Qui vos, inquam, fratres in
unc locum casus detulit? Cædis, inquit alter, ac-
usor, & cædem nullam vnquam feci. Ego, in-
uit alter, alterius violasse torum dicor, cùm fœ-
ninam alienam nunquam contrectarim. Enim-
iero quid alias à vobis olim peccatum est, aut
uius caussa in has ærumnas permissu Numinis
euoluti estis? Ante non multos dies, inquit ille,
alsæ cædis reus, cum extra mœnia pontem flu-
mini impositum transirem, secuti me alij duo in
ipso ponte altercari cœperunt; gliscentéque sen-
im rixa, ad manus venere: vbi valentior alterum
le ponte in subterfluentem vndam præcipitauit,
& se subduxit. Ego prope alueum inambulans,
illi cum fluctibus luctati, opemque meam vlti-
mis votis lacrymisque suppliciter imploranti
manum facilem non porrexi, passus infelicem diu
multumque frustra contra torrentem niti, & me
præsente spectantéque vorticibus fluminis abri-
pi, & hauriri. Hinc opinor ira cœlestis me iuste
persecuta, in hos calumniæ casses, carceres, &
vincula coniecit. Deinde alter falsa adulterij suf-
picione circumuentus, & ego, inquit, meum vo-
bis facinus exponam. Biennium est cùm gemini

fratres, defunctis parentibus, amplissimam hæreditatem adierant, à quibus nondum diuisa sorte, soror orba & vidua suam partem exigebat, quam inficiaturi, sororem statuerunt calumniis opprimere, fornices innocenti, vagamque libidinem obiiciunt. Negare illa, & iureiurando affirmare se puram & omnis culpæ expertem: instare illi, testibus conuicturos, nocentemque patrimonio exturbaturos. Bene sibi conscia soror conditionẽ admittit. Conueniunt me fratres, paciscuntur quinquagenos aureos in calumniam; spondeo, præsentibusque fratribus & sorore, aliisque testibus sacramento confirmo scortum esse, eiusque rei me conscium iuro, deieroque. Ita mulier hæreditate paterna penitus exuta, per nos, innocens, infamia simul notata, & patrimonio spoliata est. Hoc meum est facinus: adulterium de quo postulor, nunquã cogitaui. Et te, inquiunt, quæ causa nobis socium vinculorum adduxit? Narraui de ouium grege à feris direpto, meque eo nomine inculpatum esse: ecquod tu crimen, inquiunt, olim concepisti, vt in capitis discrimen diuina prouidentia venire passa sit? Buculam ego pauperis prægnantem lapidibus insectatus ad mortem adegi, ipsum insuper suam iuuencam vestigantem, indignis conuiciis laceraui.

5. Postridie Prætor sontes ad tribunal sisti iubet, & quæstionibus subiici: Primus, de cæde & vi appellatus, cõstanter negat factum, torqueri iussus eadem constantia perseuerat in tormentis; soluto primo, secundus pro adultero habitus dicitur; parique ratione tortus adulterium inficiatur. Ego interim metu prope exanimatus, tre-

idabam & paucbam, magnamque vim lachrymarum profundebam, vt qui perinde me ac cæteros, ad ſupplicium quæſtionum adductum ſciem. Quin & lictorum turba me lamentantem etulanter palam irridere & dictis inceſſere: Sed plorasuer: tum plorandum erat cùm ſcelus dmiſiſti: iam nunc in medium & tu prodituru es: quæ vox adeo vulnerauit animum meum, vti tantum non defectus ante mortem morerer, tandem pronunciata in duos ſententia videri innocentes, abſoluti ſunt, ac dimiſſi. Ego prætoris imperio reductus in cuſtodiam, alteros quadraginta dies ibidem exegi. Cùm tres alij in eundem mecum carcerem compinguntur. Reuerſuſque ad me ille adoleſcẽs qui mihi per quietem viſus erat, & Ephræm inquit, percunctatus es ex illis duobus, quid peccauerint? Ego verò, inquã; & prolixe expoſui omnia, quæ ab iis didiceram. Intelligis ergo, inquit, iudicia Dei iuſta? En duo hi gemini fratres illi sũt qui ſororem falſa ſtupri criminatione oppreſſam bonis paternis exuerunt. Tertius eſt ille, qui de ponte hominem in flumen deiecit, cuius vi & impetu abreptus interiit. Ego mox vt illuxit adortus ſingulos, de ſingulis quæſiui, qua culpa fuerint comprehenſi & in neruum dati, cùm alij cædem falſam, alius adulterium nequicquam cauſaretur, & omnes ſe innoxios dictitarent, Regredimini, inquam, in memoriam æui retroacti à vobis, forte aliquid peccaſtis, & non expiaſtis. Hic illi faſſi calumniam ſorori factam, & ademptam hæreditatem, tertius depontanum illum à ſe in aquas præcipitatum dixit. Extorta à ſingulis confeſſione, aperui quæ co-

gnoueram de aliis : qua illi narratione attoniti formidare cœperunt vindictam diuinam.

6. In ſequenti die quæſitor omnes ad publicum tribunal adduci præcepit, vbi ſpectante toto populo rotarum gyris adſtricti: dumque excarnificati facinora omnia ſua ediderunt, cædes, adulteria, calumnias, lataque ſententia me præſente in furcam acti animas exhalarunt: quid mihi tunc animi, quis ſenſus, ac trepidatio! Lictores enim, age puer, inquiunt, non ita quæſtionem vt nuper euades. Quibus ego externatus mortuo proprio quàm viuo, videbar. Ego tandem Prætor, Puerum, inquit, veſte ſpoliate; ſpoliatum loris à manibus pedibuſque diſtendite, neruiſque bubulis mactate. Hic ego mille votis cœlum oneraui, Deumque infantis precibus propitiare conatus, religionem profeſſurum ſpopondi, ſi me præſenti ſupplicio eriperet, & vinculis exempto ſalutē expediret. Audire mox viſa Dei clementia lachrymabiles gemitùs meos. Ex concilio iudicū primus monet prætorem, vt (ſi videretur) in aliud tempus cognitionem reiiceret meæ cauſæ, prandij horam eſſe.

7. Reducor ergo oneratus fero in vincula, alioſque dies quinque ſupra viginti in cuſtodia ſolus erigo. Cum ecce tibi, rurſus ille iuuenis (haud dubiè tutelaris ſpiritus) mihi iam tertiùm adſtat, & compellans: Satiſne credis iam, inquit, iuſto Dei iudicio mundū adminiſtrari, nec quicquam ab eo præter æquitatem fieri? plus ſatis, inquam, intellexi mirabilia opera Domini, & inueſtigabiles vias eius; ſed obſecro Domine, qui me tam clementi affatu in vltimis his periculis &

-umnis meis dignatus es, asserere me ex vincu-
in pristinam libertatem: ego tibi vicissim to-
vitæ meæ æuum deuoueo, despondeoque, mo-
chum induam, & in omnem vitam sincera fi-
seruiam. Subridens ille, semel dumtaxat ad-
ic ad tribunal sisteris, & missionē accipies. Ah,
omine, inquam, minas & plagas iudicis perti-
esco, & reformido. Rursum ille placidè: Tam
auiter te peccasse non oportebat, nunc quo-
iam ob improbitatem tuam tu ipse te his cala-
itatibus implicuisti, quid agam? enimvero non
ulta patieris, succedet huic nouus Prætor, qui
missum faciet: & cum dicto recessit.

8. Anxius ego propter euentus incerti expe-
tationem, post quartum diem nouus Prætor ma-
istratum init, parentibus meis familiariter no-
is, qui octauo quam inierat præturam, die,
uærit ex præfecto carceris, quos teneret in
inculis. Neminem, inquit prefectus, præ-
er puerum. Productum in quæstionem agnos-
it, & nihilo secius ex legum præscripto causam
ognoscit, & absolutum dimittit. Ego præter ex-
ectationem absolutus recta in montem profe-
tus, ad venerandi senis pedes procubui, statuque
vitę & discriminis explicato, in verba Religionis
& Monachi iuraui. Sed hæc vtilitatis publicæ
causa exposui, vt iuxta mecū iustum Dei Numen
veneremini, quod modis omnibus omnium sa-
lutem procurat.

9. Ominosa de S. Ephræm visio. Sancti
Ephræm Syri adhuc pueri parentes per somnum
conspexerunt, quod ex ore ipsius vitis ascenderet

valde frugifera, quæ excreſcebat, & replebat omnem ſub cœlo regionem, veniebantque cuncta volatilia cœli, & comedebant de fructu vitis, & præter quæ comedebant, adhuc ſuperabat fructus. Quæ in ipſo Ephræm vera apparuerunt, dũ oris eius, ac vitæ fructus, per vniuerſum orbem reſplenduit, de quo & illud memorabile legitur, quod ab Angelo viſus eſt librum aureis conſcriptum literis aliquando recepiſſe, quem nemo præter eum aperire meruit, vnde mox poſtero die, & deinceps loquente in eo Spiritu S. tantam dicendi ac declamandi habuit gratiam, vt nullum ſibi ſimilem ſuo tempore inueniret.

10. Quin etiam ex Scriptura ſacra habemus idoneum teſtimonium, quantum Angeli cupiant pueris, Geneſis enim cap. 21. dicitur: *Surrexit Abraham mane, & tollens panẽ & vtrem aquæ, impoſuit ſcapulæ Agar, tradiditque puerum, & dimiſit eum. Quæ cùm abiiſſet, errabant in ſolitudine Berſabeæ. Cumque conſumpta eſſet aqua in vtre, abiecit puerum ſubter vnam arborem, quæ ibi erat, & abiit, ſeditque è regione procul, quantum poteſt arcus iacere. Dixit enim, non videbo morientem puerum; & ſedens contra leuauit vocem ſuam, & fleuit. Exaudiuit autem Deus vocem pueri, vocauitque Angelus Dei Agar de cœlo, dicens: Quid agis Agar? noli timere: Exaudiuit enim Deus vocem pueri de loco in quo eſt, ſurge, tolle puerum, & tene manum illius: quia in gentem magnam faciam eum; aperuitque oculos eius Deus.* Super quæ verba Theodoretus q. 2. *Aptiſsime profectò Deus per Angelum, quæ ad puerum procreandũ pertinebant effatus eſt.* Vbi prima hominis cuna-

pula videbantur, iam necessum erat, quod appareret cura patroni Angeli; sic enim nobiles hi spiritus erga homines affecti sunt, vt simul homo vitam, & Angelus eius curam accipiant.

Vt videas verò quantum Angeli soliciti sint, apponam Angelum eripientem animam Dæmoni, ex Iordane de Saxonia ordinis S. Augustini, quæ res sic habet. Mulieri cuidam natus fuit filius, cuius labia & non alia membra moueri videbantur, & cùm baptizaretur, animam nequaquã potuerunt perpendere: plorat ergo mater; heu, inquiens, misera, quæ filium genui, cuius anima damnata est. Cogitur vir sanctus Nicolaus Tolentinus visitare nolentem, vt quod viderat in nocte de filij anima, ad matris consolationem recitaret. Eram, inquit, in meo lecto dormiens, & ecce filij anima in manibus meis deponitur, circumcirca autem Dæmones terribiles adstiterunt, tractantes inter se, & dicentes: Quia huius anima nostra est, nondum enim baptismum perfectè susceperat, cùm decessit. Ego autem quamuis fragilem me cognoscerem pro anima meis manibus commendata, Deo supplicaui, vt Angelum salutis ab alto mitteret, ad defensionem animæ pereuntis, cuius immensæ pietati placuit Angelum dirigere fortiorem, qui dæmonibus illis eiectis, de manibus meis suscepit animam cœlestibus sedibus collocandam. Consolare ergo, consolare, & de Dei iudiciis non turberis; melius est enim quod filium genueris cœlo altissimo, quàm huic infimo mundo.

11. Ioanna virgo Angelum tutelarem pro parentibus habet, & ab eo docetur, vt Serap. Ra-

zius in Hist. ordinis Prædicatorum, quæ Vibiuetana virgo tertij ordinis D. Dominici, tametsi trimula, matréque orbata fuisset, & quinquennis patre, conseruauit tamen innocentiam baptismalem, ad vltimum vsque vitæ diem, beneficio Angeli custodis, vt ex proprio ipsius facto colligitur. Cùm enim nonnulla ex sodalibus suis ipsi diceret: Ioanna, an nescis te carere matre? hæc ad Ecclesiam eam ducens, & demonstrans imaginem Angeli in muro pictam, Scito, respondit, hunc Angelum mihi in matrem esse, à quo adhuc paruula omnia pietatis, ac fidei documenta percepi.

12. Sancti Viti Surius vitam proponit, quæ tota plena est miraculis S. Angeli Custodis in hunc puerum, idcirco non grauabor magnam eius partem recensere, quæque passus est hic puer à Diocletiano sæuissimo carnifice Christianorum, quē cùm Vitus contemneret, & ausus esset infantili pene ore illius gloriam & maiestatem pene spuere, vnà cum eo Modestum teterrimo carcere cōcludit. Inclusi ac omni solatio destituti, votis precibusque Christi opem implorarunt. Et ecce repente ingenti terræ motu carceris fundamenta quassata sunt, & ferrea vincula instar cineris dissipata, & voces Angelorum cum suaui melodia auditæ, aliaque multa, quibus exterriti carceris custodes, pauidi cuncta Imperatori nuntiarunt. At ille furore percitus, iussit Vitum in clibanum plumbo, resina & pice feruentem coniici; mox autem adfuit Angelus Dómini, qui excussa ignis flamma, puerum planè illæsum & candidissimum eduxit. Imperator ea re in furorem ac rabiem

ersus ferocissimo eum Leoni obiecit, quem Vitus edito crucis signo ita domuit, vt prouolutus ad pedes eius plantas illius lamberet, tum Vitus: Nondum, inquit, ô impiissime, agnosces Creatorem tuum, quem bruta animalia venerantur? Eo miraculo mille ferè homines permoti Christi fidem amplexati sunt. Diocletianus verò furiis totus agitatus B. Vitum cum Modesto & Crescentia quæ Viti prædicatione in Christum crediderat, in catasta atrociter torqueri iussit: adeo vt dissipatis ossibus viscera apparerent: Cum autem tam atroci supplicio cruciaretur, Vitus ingenti voce exclamauit: Deus in nomine tuo saluos nos fac, & in virtute tua libera nos, statimque terræ motus extitit, & terribiles fulgurum coruscationes, & crebra tonitrua omnes in effusam fugam compulerunt, corrueruntque templa Idolorum non sine ingenti multitudinis strage. Ipse quoque Imperator territus, properè aufugit, percutiens manu frontem suam, & cum ingenti clamore dicens: Ve mihi, qui à tantillo puero turpiter superatus sum. Descendit autem Angelus Domini, & à catasta eos absoluens, repente transtulit ad Silerum flumen: vbi S. Vitus cum aliis sub arbore quiescens, has ad Dominum preces fudit: Domine Iesu Christe, fili Dei viui, perfice desiderium cordis eorum, qui in tuo sancto nomine voluerint gloriari de passione Martyrij mei, custodi illos Domine ab omnibus periculis huius sæculi, & perduc eos ad gratiam & gloriam magnificentiæ tuæ, & cùm complesset orationē, facta est de Cœlo vox, dicens: Vite, exauditæ sunt preces tuæ. Tum S. Vitus dixit circunstantibus:

Sepelite corpora nostra, & quidquid petieritis Dominum, in vera salute vestra, percipietis per orationes nostras,& liberabit vos à nequitia Diaboli. His dictis, beatæ sanctorum animæ cũ gaudio cœlum petiere, & corpora eorum à fidelibus preciosis condita aromatibus honorifice in loco, qui Marianus dicitur sepulta sunt. *O clarissimum Christi puerum, ante secula cum electis omnibus prædestinatum, generali cunctorum sanctitate fulgentem! Nam nec Abelis ei deest Martyrium; nec paternum, vt in Isaac, holocaustum, & si non eadem deuotione, tamen consummatius immolatum, est hic alter Samuel, diuino alloquio adhuc puer dignus inuentus. Est puer Dauid elegans, qui patri fratribusque despectus, in Deo autem ipsum ex millibus eligente confidens non de Gethæo, sed de Tartareo Goliath, offensionis lapide, triumphauit. Hic Daniel supra ætatem abstinentiæ deditus, seniores sapientia anteiuit. Hic Hieremias adolescentulus ad genitorem incredulum, paternamque domum, & familiam plus satis exasperantem, mãdata Dei imperterritus locutus est. Hic egregie fortis Iudas Machabæus, Angelicis inter prælia cinctus est præsidiis. O gloriosissimum Christi Martyrem, fornacis igne probatum! te inuocamus, vt ardenti charitatis æstu pectora nostra tuis precibus incendas.* Encomium hoc elaborauit Societatis Nostrę Philippus de Berlaymont.

13. Quid de sancta Agnete loquar, quæ vt ingressa est ad lupanar(supplicij genus) crine resoluto, tantam densitatem capillis eius diuina gratia concessit, vt melius videretur fimbriis eorum quàm vestibus tecta. Ingressa autem turpitudi-

locum, Angelum Domini ita præparatum
ienit, vt circundaret eam immenſo lumine,
vt nullus poſſet eam præ ſplendore reſpicere.
lgebat enim tota cellula illa, quaſi radians Sol
virtute ſua, & quanto quis curioſior oculis eſ-
volui ſſet, tanto ſibi viſus aciem ob undebat:
mque ſe in oratione Domino proſtrauiſſet,
paruit ante oculos eius ſtola candidiſſima, &
prehendens eam induit ſe, & dixit: Gratias ti-
ago, Domine Ieſu Chriſte, qui me in numero
cillarum tuarum computans, veſtem hanc mi-
largiri præcepiſti. ita namque ad menſuram
rpuſculi eius aptum erat indumentum, & ita
nio candore conſpicuum, vt nullus dubitaret
c Angelicis manibus præparatum. Interea lu-
nar efficitur locus orationis: in quo, omnis
i fuiſſet ingreſſus, adoraret, & veneraretur,
ns honorem immenſo lumini; & mundior
rederetur foras, quàm fuerat intus ingreſſus.
umque hæc agerentur, Præfecti filius, qui au-
or erat huius ſceleris, venit ad locum cum ſoda-
bus ſuis iuuenculis, inſultaturus puellæ, cum
ibus libidinis ſuæ ſe poſſe credebat ludibrium
ercere. Et ingreſſos ante ſe furentes pueros, &
rpiter ſæuientes, cum omni veneratione, & in-
nti admiratione egreſſos, cæpit impotenter
guere, atque vanos & molles, ac miſeros iudi-
re: & irridens, locum in quo virgo orabat, au-
cter ingreſſus eſt; & videns tantum lumen cir-
eam, non dedit honorem Deo; ſed irruens in
ſum lumen, priuſquam eam vel manu contin-
eret, cecidit in faciem ſuam, & præfocatus à
iabolo expirauit. Videntes autem ſocij eius

quod moras intus faceret, putabant obſcœnis eum operibus occupari, & ingreſſus eſt vnus ex iuuenibus, qui ei familiarior erat, vt congratularetur inſultationi eius, & mortuum eum inueniens, exclamauit voce magna, dicens: piiſſimi Romani ſuccurrite, magicis artibus iſta meretrix Præfecti filium interfecit. Fit repente concurſus populorum ad theatrum, & varia furentis populi acclamatio. Alij dicebant Magam, alij innocentem, alij ſacrilegam conclamabant. Præfectus autem audiẽs filium ſuum interiiſſe, cum ingenti tumultu venit ad theatrum, & ingreſſus locum in quo corpus filij eius iacebat exanime, cum ingenti clamore dicebat: Crudeliſſima omnium feminarum, ad filium meum voluiſti apodixin, & ſignum tuæ artis magicæ demonſtrare? & cùm talia atque alia huiuſcemodi verba repeteret, & cauſas mortis eius ab ea vehementer inquireret, ait ad eum Beatiſſima Agnes. Ille cuius voluntatem volebat perficere, ipſe in eum poteſtatem accepit: quare autem omnes qui ad me ingreſſi ſunt, ſani ſunt? quia vniuerſi dederunt honorem Deo, qui miſit Angelum ſuum, & induit me hoc indumento miſericordiæ, & cuſtodiuit corpus meum, quod ab ipſis cunabulis Chriſto conſecratum eſt, & oblatum. Videntes ergo ſplendorem Angelicum, adorabant omnes, & abſcedebant illæſi. Hic autem impudens ſtatim vt ingreſſus eſt, ſæuire cæpit, & fremere: cumque manum ſuam ad me contingendam aptaret, dedit eum Angelus Domini in reprobam, quam conſpicis, mortem. Dicit ei Præfectus: in hoc apparebit, quia non magicis artibus iſta geſſiſti, ſi deprecata

is Angelum ipſum, vt reſtituat mihi filium
um ſanum. Cui B. Agnes dixit: licet fides ve-
hoc impetrare non mereatur à Domino, ta-
n quia tempus eſt, vt virtus Domini mei Ieſu
nifeſtetur, egredimini omnes, vt ſolitam ei
tionem offeram. Cumque vniuerſi fuiſſent
eſſi, proſternens ſe in faciem planam, rogare
pit Dominum, vt iuuenem ſuſcitaret. Orante
em illa, apparuit Angelus Domini, qui eleua-
eam flentem: & confortans animum eius, iu-
nem ſuſcitauit, qui egreſſus foras cœpit voce
blicâ clamare, & dicere: Vnus Deus in cælo,
terra, & in mari, qui eſt Deus Chriſtianorum:
m omnia templa vana ſunt, dij qui coluntur
nnes vani ſunt, & penitus, nec ſibi poſſunt, nec
iis aliquod auxilium exibere. Ad hanc vocem
nnes aruſpices & templorum pontifices per-
rbantur, & fit per eos vehementior quàm fue-
t ſeditio populorum. Atque omnes vna voce
amabant: Tolle magam, tolle maleficam, quæ
c mentes mutat, & animos alienat. His Præfe-
tus metuens, cauſam Aſpaſio commiſit, qui bea-
am Agnem primo flammis conatus extinguere,
einde in guttur eius gladium mergi præcepit,
quo exitu Martyrem fecit.

14. Angeli cuſtodis monitu & ope Oſitha ter-
tio ſummerſionis die ex flumine emergit, quam
rem Surius refert in hunc modum: Oſitha cum
tenera adhuc ætate ad Moduvenam Antiſtitem
ſuam, vt Edithæ virginum matri (cui tradita erat
moribus informanda) pareret, libellum quendam
pium deferet, Oſytha vi ventorũ ex ligneo quem
traiiciebat ponte in flumen præceps corruit, at-

que eius impetu rapta, momento temporis absorpta est. Elapsis autem tribus diebus, Angelus Domini Moduuennæ in cella oranti apparens monuit eam, vt festina ad flumen pergeret, remque apprime necessariam expediret. Illa voci Angelicæ obtemperans, inuenit Editham, puellam Ositham anxiè queritantem, tandem Moduuenna, Deprecemur, ait, soror charissima Dominum, vt sanctorum omnium meritis perditam nobis puellam restituat, eiusque potentiam, ac misericordiam perpetuo collaudemus. Post lachrymas igitur multas ab oratione surgens, inclamat Ositha, Ositha, Ositha, in nomine SS. & indiuiduæ Trinitatis, incolumis ex hoc flumine emerge. Et ecce puella è flumine cum codice illæso prodiēs: Ecce ego, ecce ego, ecce ego, Domina mea. Obstupuerunt visa puella, & præ gaudio fluentibus lacrymis immensam Dei & Angeli tutelaris opem extollentes, domum vnà redierunt.

15. Simon Maiulus Vvaltuariensis Episcopus tradit plurimos submersos vndis fuisse, pręter duos infantes, qui enatarunt. In vrbe Astensi, cùm ingens fluuius Tamarus, à multitudine nauigio traiiceretur, anno 1564. demersa in medio naui, omnes etiam nautas, ac reliquos, qui natandi peritiâ valerent, fuisse aquis obrutos, nobis veridicorum virorum testimonio compertum est. Erat verò multitudini admixta mulier inops, quæ in nauigio illo posita puerum triennem dextra tenebat, lactantem alium in sinu fouebat; demersa naue, ipsa cum vtroque filio trans flumen deuecta est incolumis, nec illi fuere adiumento brachia, quibus filiolos complectebatur, sed haud

ié fauor Angelicus.

5. In Menæis legitur, ſar&tum Neophytum
ritum ab Angelo inſtitutumque, cùm eſſet
norum circiter decem, columba deuolans ip-
s cubile complectebatur, humanamque fun-
bat vocem: cùm vero metu correpta exanimis
ruiſſet, hanc oratione peracta excitauit. Vbi
ro mōtem Olympum attigiſſet, ſpecum ſubiit,
am vt ingrederetur, columba viæ dux oſtēdit,
aque inde abacta, illic tuguriolum extruxit:
Angelo verò nutriebatur. Decimo quinto au-
m ætatis anno ſe Decio Præſidi ſtitit, auxilio
ngelorum hunc ad illum deſcenſum inſti-
ens.

17. Adoleſcentulus à ſummerſione liberatur
Angelo cuſtode, vt habetur in litteris Societa-
s Ieſu Molshemis in prouincia Rhenana. Acce-
erat ex ſodalitio Angelorum adoleſcētulus qui-
am verſiculos quoſdam abſque mora memoriæ
nprimendos, quos breui poſt Angeli cuſtodis
fficium repræſentans eſſet recitaturus. Cumque
d cataractam molæ, interdiſcendum, aliud agit,
vt pueris mos eſt) inque rotas molares forte
culos intendit, pede fallente, ferme eſt ipſis ro-
is interceptus; Iam ſupinus ſecundo flumine ad
eas ferebatur, cùm ipſi ſimul Angelus cuſtos in
mentem indidit, vt pariter neſcio, quod vimen
malefidum arripiat, pariter vocem auxilio peten-
do intendat. Molitoris ergo accurſu aquis extra-
ctus, periculum euaſit tenens mordicus chartam,
cui verſiculi inſcripti erant.

18 Multitudo Angelorum Ioſepho infanti
occurrit morienti, vt Ribera in vita Beatæ Tere-

ſiæ narrat lib.1. cap.15. D. Ioanna editæ in lucem proli Ioſephi nomen (quod Thereſia mater ſanctum hunc præcipuo honore veneraretur) indidit. Accedit verò aliquando, vt infantem baiulans mater Thereſia in hunc precaretur modum: Deum oro, inquit, fili mi, vt ſi ab officio boni viri diſceſſurus es aliquando, ipſe ex hac vita te euocet Angelicis adhuc præditum ornamentis, & priuſquam aliqua illum noxa offendas. Poſt tres ſeptimanas Deo ita volente, incidit in morbum infans, & iam morti vicinum cum vlnis teneret B. mater, intueretur que fixis oculis, vidit D. Ioanna radiantem tenentis vultum, non ſecus, ac ſi Angelus fuiſſet; & hos obtutus inter, efflauit infans animam. Thereſia mater vt mærentis animum leuaret dolore, vultu hilaritate ſimul & admiratione pleno: Quantopere, inquit, laudandus eſt Deus, quod tot Angelos videre eſt, cum è vita excedit vnus ex his paruulis, quorum eſt regnum cælorum. Vnde colligere licet eam vidiſſe tum Angelos, qui egredienti animæ infantis occurrerent.

19. Sanctam Herinam de fide ab Angelo inſtructam eſſe Petrus de Natal. lib.4. cap. 122. narrat in hunc modum: Sancta Herina virgo & martyr, filia fuit Licinij Imperat. qui turrim ei nobiliſſimam extruxit, & muro circuncinxit, ac viridarium plantauit, ipſumque locum cunctis delitiis repleuit, ſtatuaſque nonaginta deorum appoſuit, vbi filiam ſuam annorum ſex propter eius elegantiam vſque ad tempus nuptiarum incluſit, datis ei ancillis tredecim ad miniſterium, & Apeliano magiſtro ad litteras edocendas. Cùm eſſet annorum

12. quadam die columba per fenestram tur-
rientalem super mensam paratam detulit oli-
.& per aliam fenestram occidentalem coruus
dem mensa deposuit viperam. Quod cùm
istro retulisset, exposuit coruum Regem im-
um; viperam tribulationem sibi inferendam:
mbam regem cælorum, oliuam verò pacem
cam sibi dandam. Pater vero eius volens il-
nuptui tradere, ipsius animum requisiuit:
lam dierum septem acceptis iudiciis Deos
is super hac re consuluit. Sed ab eis nullo res-
so habito, Deum Christianorum, de quo au-
at, inuocauit. Cum statim Angelus Domi-
pparens, eam in fide docuit, mutatoque no-
e, (nam Penelope ante nuncupabatur) Heri-
vocauit. Sequenti vero die Theotimus qui-
Presbyter ab Angelo in turrim intromissus,
baptizauit: moxque illa patris Idola de turri
iecit. Pater vero post dies septem reuersus,
Idola confracta vidisset, ipsamque Christia-
n didicisset, eam ad ciuitatem duci fecit: quæ
a vrbis portam diabolum sibi apparentem,
comminantem signo crucis fugauit. Cùm
em Christum confiteretur, iussu patris vincta
gulis indomitorum equorum terenda subiici-
. Sed ipsa Angelo assistente nil læsa, pater
rsu vnius ex equis occiditur, quem virgo à
rtuis suscitauit, & conuersum vnà cum matre
in turri reclusit, donec pœnitentiam age-
, &c.

.o. Præsentia tutelaris Angeli magicas artes
sipat, ex Delrio lib. 6. de Magia. cap. 2. & c.
ope Angeli custodis satis clara capio miram

narrationem Salisberiensis lib. 2. polycrat. c.11. his verbis. Dum puer, vt Psalmos addiscerem, sacerdoti traditus essem, qui fortè specularium magicam exercebat, contigit vt me, & alium paulo grandiusculum puerum, præmissis quibusdam maleficiis, pro pedibus suis sedentes, ad speculariæ sacrilegium applicaret, vt in vnguibus sacro, nescio, oleo, an chrismate delibutis, vel in exterso & leuigato corpore peluis, quod quærebat, nostro manifestaretur indicio. Cum itaque prædictis nominibus, quæ ipso horrore, licèt puerulus essem, dæmonum videbantur, & præmissis adiurationibus, quo authore nescio socius meus se, nescio quas imagines, tenues tamen & nebulosas videre indicasset: ego quidem ad illud ita cæcus extiti, vt nihil mihi appareret, nisi vnguis & peluis, & cætera quæ antea noueram. Exinde ergo ad huiusmodi inutilis iudicatus sum, & quasi qui sacrilegia hæc impedirem, ne ad talia accederem condemnatus. Et quoties rem hanc exercere decreuerant, ego quasi totius diuinitatis impedimentum arcebar: sic mihi in ea ætate propitiatus est Dominus. Vtique arbitror (inquit Delrio) per Angelum custodem, sed addit author. Cùm vero paululum processissem, flagitium hoc magis ac magis exhorrui. Et eo fortius confirmatus est horror meus, quod cum multos tunc nouerim, omnes antequam deficerent, aut defectu naturę, aut manu hostili, beneficio luminis orbatos vidi, vt cætera incommoda taceam, quibus in conspectu meo à Domino aut prostrati, aut perturbati sunt, exceptis duobus, Sacerdote videlicet, & diacono quodam, qui specularíam

lentes plagam effugerunt, alter in sinum Canicæ, alter ad portum cellulæ Cluniacensis, sanis vestibus insigniti. Eosdem tamen præ cæte-, in cōgregationibus suis aduersa plurima post odum, perpessos esse, misertus sum.

21. Ado 2. Augusti Euodium cum fratribus obus & matre Theodota in prouincia Bithyæ in vrbe Nicea celebrat, qui tempore Diocleni sub consulari Nicetio, & Comite Leocadio artyrium adimpleuit. Qui Theodotam per ultos dies blandimentis & terroribus cogere oluit, vt eius coniugio necteretur. Sed cùm S. mina nullo modo consentiret, ferro vinctam um filiis consulari Bithyniæ Nicetio destinait. At ille filium eius primogenitum Euodium, Christum fiducialiter confitentem in conspectu atris fecit fustibus cædi, cui mater pia clamaat: Noli fili timere ista verbera, per ipsa enim d æterna Christi gaudia pertinges. Tunc conularis Nicetius iussit cuidam Hirtaco vt apprendens B. Theodotam prius illi illuderet, & post nodum inter publicas meretrices constitueret, uam ille volens tenere, de naribus eius cœpit anguis vehementer effluere: qui clamans dicit Nicetio: *Stat circa eam iuuenis pulcher, auratis vestibus indutus, ex cuius manu pugnum accepi n naribus.* Consularis ergo Nicetius iussit ignē copiosum accendi, & B. Theodotam cum tribus filiis suis immitti. 4. Non. Aug.

22. Angelus custos paruuli nouitij dormientis loco ministrat sacro, vt habetur in Historia Francisc. consueuerat F. Ioannes Parmensis, sextus Generalis Minorum quotidie Missam in aurora

dicere, cui nouitius inseruiebat. Nouitius post matutinas horas semel cùm obdormiisset, profundius, vt inseruiret hora consueta non aderat, adfuit expectanti fratri Ioanni Angelus, qui ei cooperatus est in Missa in habitu nouitij: Missa ergo absoluta visum est nouitio tertiò vocari, qui surgens, & audiens Fratrem Ioannem Generalem, rogauit num vellet Missam celebrare, quo audito F. Ioannes cognouit Angelum in forma illius iuuenis sibi facienti ministrasse.

23. Sed quid opus est tot sanctorum nomina adducere, vbi suppetunt exempla Angelorum sanctissima collata in Christum Iesum, in Matrē eius purissimam, atque in Ioannem Baptistam præcursorem Christi, de quibus tibi afferam Philippum de Berlaymont societatis nostræ virum eruditum, qui in hanc rem effusè loquitur.

24. Christus Iesus Angeli monitu communi infantium cædi subducitur. *Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph, dicens: Surge, & accipe puerum & matrem eius, & fuge in Ægyptum, & esto ibi vsque dum dicam tibi: futurum est enim, vt Herodes quærat puerum ad perdendum eum. Qui consurgens accepit puerum & matrem eius nocte, & secessit in Ægyptum. Defuncto autem Herode, ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph in Ægypto, dicens: surge, & accipe puerum & matrem eius, & vade in terram Israel: defuncti sunt enim qui quærebant animam pueri. Qui consurgens accepit puerum & matrem eius, & venit in terram Israel.* Habes hoc Matth. 2.

25. Ab Angelo Maria nutritur: Cedrenus & Gregorius Nicomediensis affirmant Mariam in

templo, ab Angelo ſancto nutritam fuiſſe, qui frequenter inuſitatam ſpeciem præſe ferẽs, puellam inuiſerit, quod indicat etiam Ambroſius. Ad cuius rei confirmationem ſcribit idem Gregorius: *Tu autem, ô homo admirabilem in templo & nouam viuendi rationem audiens Virginis, noli de eo dubitare, noli examinare ratione, ea quæ capere non poteſt cogitatio: vides ipſum Dei Verbũ, modo ineffabili habitaſſe in eius vtero, & contendes fueritne alimentum, quo nempe Maria veſceretur, materiale an expers materiæ? Vides paterno conſilio Spiritus in ea adumbrationem, & de miniſterio Angelorum dubitas?* Certe Palladius, qui ſub Theodoſio maiore vixit, Angelum ad Abbatem Apollo ſolitum fuiſſe, alimenta deferre ait, tum Abbatem Anuph. inde commendat, quod Angelus illi cœleſtem cibum ſuppeditaret, quemadmodum Ioannis patrem Zachariam vidiſſe, cõfirmat Pantaleon apud Metaphraſtem, & id, ſi Mariæ factum ſit, in dubium reuocabimus?

26. Angelus Ioannis Baptiſtæ cuſtos. Saluator quidem, ita vt dictum eſt, in Ægypto exulabat, filius autem Zachariæ Ioannes, in cuius natiuitate patris vox ſoluta eſt, cum prius ab illo Ioannis nomen in tabula fuiſſet exaratum, alterũ cum dimidio annum agebat, & vnà cum matre Elizabetha in ſpelunca quadam ad regionẽ montanam ſaluus conſeruabatur, fortaſſe Herodis ſanguinariam effugiens manum. Atque inde in ſolis locis libenter verſari ſolitus, Angeloque duce vſus, in remotiores ſyluarum receſſus ſeceſſit. Addit Cedrenus Elizabetham poſt dies 40. in eadem ſpelunca diem obiiſſe, Ioannis verò ab

Angelo curam esse susceptam; S. Chrys. & S. Petrus martyr, dicunt ideo Zachariam neci datum, quòd filium suum occultasset, nec prodere voluisset.

Angeli sunt excellentiores hominibus.

CAPVT XLII.

1. ANGELOS esse hominibus excellentiores & præstantiores Didymus Alexandrinus in Petri secundam epist. explicat, ita dicens: *Angeli manentes in sanctitate quam habent à Deo, sunt potiores hominibus, licèt excellenter beati sint homines. Angeli siquidem custodiunt sanctos viros; & eis auxiliantur, dum homines nequaquam valeant Angelis præbere solatia. Sic vtique & illud quod in Euangelio de Ioanne dictũ est: Quia nullus inter natos mulierum maior sit eo, cum potior illo inueniatur, qui sit in regno minor interpretati sunt sapientes viri, dicentes, quia cum sit perfectus inter homines, nullo mortalium minor est, quando qui inferior est omnium supernorum rationalium maior est eo, quia non solum virtutis sciẽtiæque differentia potiores sunt Angeli, sed etiam quòd non sint grauibus ac passibilibus perplexi corporibus.*

2. Elias Cretensis comment. in Orat. 3. Nazianzeni, explicans Angelorum Symbola id agit, vt intelligamus naturam Angelicam esse præstantiorem humana, inter ea autem quæ asserit id singulariter ad rem facere existimaui: *Ex quibus igneus ardor, nisi me opinio fallit, cælestium*

mentium pene diuinam quandam pulchritudinem designat: quippe cùm diuina Scriptura Deum quoque plerisque locis igni perspicue comparet. Humana autem species, ac gestus rectitudo, intelligendi vim indicat: illudque præterea, eos perspicacem suam facultatem inaltum protensam habere. Quod porro multis oculis depinguntur, hinc scilicet vis ea significatur, qua diuina illuminatione arripiunt, atque ad eas accipiendas idonei, & accomodati sunt. Pennæ verò, celeritatem, qua sursum tendunt, ac vim eam, qua ad supera velut viam muniunt, atque supra id omne, quod humile & abiectum est, elati sunt, nobis sub indicant, luculenta denique vestis, tum singularem eorum claritatem, tum lumen illud, quod benigne ipsis à Deo subministratur. Inde Dydimus Alexandrinus in opere de Spiritus sãcto ab eo quod Angeli auxiliantur hominibus, probat præstantiores esse illis. inquit enim: *Angeli quippe hominibus, & non homines Angelis auxilium tribuunt, ministrantes eis salutem, & annunciantes eis largiora Dei beneficia. Ex quibus liquido ostenditur honorabiliores & multo meliores esse Angelos hominibus, per germaniorem, vt ita dicam, & pleniorem Trinitatis assumptionem.*

3. Vnde Remigius Antissiodorensis in celebratione Missæ totus est in explicando verba illa, *Cumquibus & nostras voces vt admitti iubeas deprecamur, &* homines exoptare hoc ipsum asserit, vt scilicet socientur Angelorum turbis: *Quales ergo oportet esse voces nostras; quas in conspectu Dei, cum Angelicis laudibus deprecamur admitti; id est, intromitti? vtique tales voces non*

sunt in sono oris, sed in desiderio cordis. Voces enim, apud secretissimas aures Dei non faciunt verba nostra, sed desideria. Et quia superna ciuitas ex Angelis & hominibus constat: merito sancta Ecclesia quæ illis socianda est in cælo, & cum illis, in Dei laudibus permansura; iam nunc, ipsis vocibus Deum laudat in terris, quibus eum S. Angeli laudant in cælis. Supplici confessione, id est, humili laude, non superba præsumptione, sic, desiderantes, maiestatem Dei credere & confiteri in mundo; sicut ab Angelis videtur & laudatur in cælis. Hæc enim confessio; non est confessio peccati, sed laudis & gratiarum actionis. Vna ergo confessione, id est laude & gratiarum actione; iam homines cum Angelis sociantur, laudantes de cælestibus & terrestribus, tanquam eum qui fecit cælum & terram. Et dicentes: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Domine Deus Sabaoth, pleni sunt cæli & terra gloria tua. Istæ sunt voces Angelorum, Deum in cælis laudantium, hic hymnus gloriæ Dei, ex volumine Isaiæ Prophetæ sumptus est; vbi Seraphin leguntur id ipsum cantasse; & Ioannes in Apocalypsi legitur audisse. Hinc facile colligitur, homines tunc beatos existimandos, cùm familiæ illi cælesti adiungantur, cùm miseri sint, nisi id assequantur

4. Vnde illud Esther: *Vidi te Domine quasi Angelum Dei,* hyperbolicum aliquid indicat; Angeli enim nomine prouerbiali, vt reor, spicie eximium aliquid, in quocunque genere significant Hebræi. Cùm enim aliquem siue à sapientia, siue à venustate, siue ab alio quouis ornamento commendare volunt, aut Angelum, aut Angelo similem appellare solent. Sic Ezechiel, c. 28. Regem

Tyri, quem ab ſpecie & ſplendore laudat, Angelum appellat: *Tu Cherub extentus, & protegens.* ſic Achis ad Dauid l. 1. Regum. c. 29. *Bonus & in oculis meis ſicut Angelus Dei.* Et Thecuitis ad Dauidem, lib 1. Regum, 14. *ſapiens eſt, ſicut habet ſapientiam Angelus Dei.* ſic ergo dum Eſther maieſtatem Regis cum Angelica maieſtate comparat, eximiam eſſe prædicat. Addo etiam, eam eſſe Angelicæ naturæ præſtantiam, eam excellentiam, vt coram Angelo inferior hominum natura obſtupeſcat, & torpeat. Vidit Daniel Angelum, c. 10. & ait: *Non remanſit in me fortitudo, ſed ſpecies mea immutata eſt, & emarcui, neque habui quicquam virium.* quo loco omnia dedit Propheta ſigna languentis, & deficientis animi: Corruit enim in terram deſtitutus à viribus, & exanguis à metu totus expalluit. Quæ omnia acciderunt Eſtheri, cùm eſſet ante Regem: quare dicere potuit ſibi obiectam videri Angelicam ſpeciem, quæ ipſi ademit animum, & tanquam inferioris naturæ in terram exanimatam abiecit.

5. Quapropter Drexelium è ſocietate noſtra virum pium adducam, qui hominem cum Angelis comparans ita ait: Angelus, velut filius in arce regia, natus, & educatus Rex eſt, verus regni hæres: nunquam deliquit, parentem ſibi nunquam habuit offenſum. Homo iræ filius, heu quam ignobili & fæda prodit origene! non ſine ingenti labore aſſidua lucta, continuis miſeriis atque ærumnis, Dei fauorem & cæli regnum emeretur, & niſi longos ac catenatos labores & dolores, finis optimus coronet, fruſtra tulit fecitque omnia. Ergo Angelus vt filiis, hominibus vt militibus,

obtingit Regnum.

6. Angelus, vnico rerum intuitu, penetrat, peruidet que omnia, Nos vnum ex alio colligimus, nec ſine tædio & moroſè ratiocinamur: & adeò anguſti oris eſt mens noſtra & intelligentia, vt ſi quid pluſculum ſublimius, guttatim ei ſit inſtillandum. Terra cælo comparata, punctum: homo Seraphino collatus, formica eſt. Theologorum eruditiſſimi, ad infinum Angelum puerulí ſunt, balbutientes, & Alphabetarij. Quam verè Eccleſiaſtes: *Cunctæ res difficiles; non poteſt eas homo explicare ſermone.* Multa ſcrutamur & indagamus, & nec ea quidē penetramus cogitatione; quæ oculos incurrunt. Miſelli, hæc infima non capimus, & qui tandem illa cæli arcana rimando peruestigabimus? blanda & ſuaui cæcitate noſmet fallimus, & crebro vaniſſimas cōiecturas, aut ignorantias, pro venerandis ſcientiis adoramus. Scire noſtum nihil eſt, niſi pleraque omnia neſcire nos ſciamus.

7. Loco, ah, quàm diſpari Angeli habitant & homines! celſiſſimam illam arcem, ab omni hoſte vndique ſecuram incolunt; Nos paradiſi exules, in ſordente & vliginoſo vinculo, in combuſto pago degimus, & tamen genus atque proauos noſtros, noſtras terras, & palatia iactamus. Animam Deus ſic affixit corpori, vt ſuum illa carcerem perpetuo ſecum circumferat, miſere compedita. Angelus è cælo in terram, inde in cælum, & quacūque vult, liberrime commeat & celerrime, Angelus à Deo conditore, primæua nobilitate donatus, ſex minimum diebus præuenit hominem, cuius dimidia pars (erubeſcimus) merum lutum

eſt, ſed ſcite compactum. Angelus ab omni tabe immunis, nullum pendit vectigal morti, Homo, ipſa putredo, ad mortem ſenſim defluit; tandem fit cadauer, & abiicitur; nec ante hac vllus restitit, quin ſe ſe præberet vermibus, expectatum epulum, ſpes ſola nos alit, tales futuros olim, quales nunc ſunt Angeli: oportet mortale hoc induere immortalitatem.

8. Voluntas Angeli efficaciſſima, memoria tenaciſſima, iudicium electioque rerum immobilis. Hic nos omni infante prorſus infantiores ſumus. Male iudicamus, ſæpe peius eligimus, nũmum aureum piro, equum fiſtula mutare, lucrum putamus: humana diuinis, caduca æternis anteferre, conſuetam & facilem iacturam cenſemus. Velle noſtrum, & pigrum, & inſtabile eſt: *Vult & non vult piger.* Memoria noſtra, pene dixerim, nulla eſt, in iis planè labilior, quæ vtiliſſimè retinerentur. Quoties vix à ſacro confeſſionis tribunali abimus, & eiurata mox repetimus; peccata ſobriè defleta, breui velut ebrij denuò perpetramus, dãnoſiſſimâ obliuione. Ob hoc ipſum Chryſoſtomus auditores ſuos non ſemel verborum mordaci aceto perfudit. Erant Antiochiæ frequentes terræ motus: videbantur iis etiam pectora moueri, & in pœnitentiam flecti. Sed quamdiu durabat hæc morum emendatio? quamdiu ferè terræ motus. Paucis poſt diebus, omnia in ventum, & vanam obliuionem abibant; iterum vt antè, paſſim omnes in vetitum ruebant. Sic viuimus; hæc memoriæ noſtræ labes eſt: iam peccaſſe dolemus, mox iterum hilariter peccamus. Sic pigrum velle ſæpiſſimè ſepelit maligna obliuio. Accuſare ſe,

nec se tamen emendare, est Deum ad sumendum de se supplicium incitare.

9. Formam nostram quandoque ipsi adeò suspicimus, vt veluti cælo delapsos homines, aut instar Deorum vel Dearum nos coli non indignemur. Sed hem quo purpurisso rubicundulas genas, vel leuis tingit febricula? mors & morbus omnem oris purpuram extingunt, & vultum vel venustissimum furore cereo sic fœdant, vt non tantùm alij, sed nec ipsi nos amplius norimus, & ad speculum quæramus. Quis es tu? Vbi nunc quæso formosissimi Adonides, vbi laudatissimæ Helenæ? fuerunt. Non tantùm fragile, sed breue quid est, humana forma, & ad formam Angeli ah neutiquam accedit. Confer in vnum humanas elegantias omnes, & vna fiat, nondum sat digna erit, vel infimo Angelo. Nitet quidem etiam aurichalcum, sed quàm illud exiguæ dignitatis est, auro collatum? Angelorum pulchritudini, cum hominum forma minùs conuenit, quàm auro cum aurichalco. Narrat Guilielmus Baldesanus, à Francisca Romana miræ sanctitatis & pudicitiæ fœmina, tutores eius Angelos (duos habuit) visos sæpiùs. *Vestis illorum niuis aut cæli colorem habuit, brachia in crucem pectori appressa, oculi cælo elati, aurea cæsaries, vultus decora maiestate longe fulgentißimus, & qui vere deceret Angelũ.* Si vlla Dei sit effigies, Angelus erit. De Lucifero Ezechiel: *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia & perfectus decore, in delitiis paradisi Dei fuisti.* Sic omnis hominum venustas, cinerea & lutea deformitas est, Angelorum formæ collata.

10 Fortitudo & vires Angelorum eæ ſunt, vt ipſi gigantes ſint, nos imbecillimi pumiliones. Sapiens quidem aſtris dominari dicitur, ſed heu quàm debile hoc, & remotum eſt dominium. Stellis & orbibus cæleſtibus ius dicunt Angeli, qui vti Thomas Aquinas loquitur, admiranda poſſunt. Facillimum illis, ventos, pluuias, tempeſtates, tenebras, terræ tremores momento producere; flumina ſiſtere, fontes durare, montes diluere, ſidera extinguere, tartara illuminare, cælum deponere, terram ſuſpendere; poſſunt vnico, ſic loquimur, digituli motu elementorum certè partes ſi non tota, de loco in locum transferre poſſunt. Æque facile illis eſt, homines, pecudes ſanare, necare; annonæ caritatem aut vilitatem inducere, incendia ſine aquis præfocare, famelicos leones ieiunium docere, corpus ex aëre formoſiſſimum momento efformare, & æquè celeriter in auras diſſoluere. Claues habent Angeli ad omnes ſeras & repagula: atque hæc omnia celeritate conficiunt incredibili. Vnicus Angelus ſummum cælum tot millibus annorum, velut per otium circumducit, rotatu tam aſſiduo ac præcipiti, vt ſol hora vnica, 260000. ducenta, ſexaginta millia milliarum germanicorum percurrat, & hic ſupremi cæli curſus eſt, quo & orbes cæteros ſecum rapit, incredibili prorſus velocitate, quam ei confert Angelus, & quã lacertoſum hoc brachium ſit, quod immenſam hanc molem ſic gyret! Et quæ noſtræ ſunt vires, quæ illa potentia noſtra? Iſaias exprobrans: *Væ qui potentes eſtis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miſcendam ebrietatem.* Hæc fortitudo ac potentia

humana, copiosum vinum doliis egurgitare in ventrem, cetera, tam debiles sumus, vt Iob miratus dixerit: *contra folium, quod vento rapitur, ostendis potentiam tuam & stipulam siccam persequeris.*

11. Ergo, quid nos homunculi, viles formiculæ, potentiam, aut genus, aut scientiam nostram crepamus? delira vanitas est, & quæso ponamus cristas; Angelos cognatione proxima sane non attingamus, neque de nobis pronunciauit illud Rex Dauid: *Minuisti eum paullo minus ab Angelis*: parum ad nos laus ista; propria Christi est. Paulus id disertissime affirmans: *Eum autem qui modico quam Angeli minoratus est, videmus Iesum, propter passionem mortis, gloria & honore coronatum.* Nos verò Angelis multo inferiores sumus, nihilominus tamen Angeli, nobis tanquam dominis suis inseruiunt fidelissime. Angelis toga candida, pacis ac lætitiæ signum; nobis gladius, galea, clypeus, lorica conuenit. *Militia est vita hominis super terram*: quotidie in acie standum, quotidie tela tentationum excipienda, nunquam non pugnandum. Angeli suo nectare & ambrosia fruuntur, gaudiis æternùm non desituris. Ob nostras dapes ingemiscens Dauid: *Cibabis nos pane lachrymarum, & potum dabis nobis in lachrymis, in mensura.* Isaias: *Dabit vobis Dominus panem arctum, & aquam breuem.* certe nunc Angelis quà plurima dissimillimi sumus. Spes vnica solatur: olim in plurimis fore quàm simillimos. Veritatis oraculum est: *In resurrectione neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei in cælo.*

12. Angelos hominibus ſuperiores perfectio-resque ſecundùm gradum naturæ nulli rationis capaci dubium eſſe poteſt: cùm ſpiritualis creatura ex naturalis conditionis ſuæ iure in corporalem ſui imperij autoritatisque fines extendat. Vnde in familia omnium creaturarum Principis Dei Angelum natu maiorem; cui paternæ maieſtatis iuridica inſignia iuxta primogenituræ rationem debeantur: hominem verò minorem iuniorem que appellari ſcripta ſancti Spiritus oracula ipſa nobis veritate ſignificarunt. Et ideo Dauid hominis naturalem præ ceteris creaturis perfectionem admirans, non tamen eum Minutum paulo minus ab Angelis, minoratumque diffitetur.

13. Cùm hoc tamen verum ſit, mirum eſt qua ratione Angeli pij & benigni homines ipſos reuereantur, cuius rei autorem præfero S. Chryſoſtomum in Pſalmum.II. cuius hæc ſunt verba. καὶ ἄγγελοι ᾐδέσθησαν ἀνθρώπους, καὶ ἐτίμησαν μεθ᾽ ὑπερβολῆς: *Quin etiam Angeli quoque reueriti ſunt, & inſigniter honorarunt homines.* Et notanda græca, ait enim *cum hyperbole dicam*, hyperbolice enim hominibus miniſtrant & famulantur.

14. Quod vt videas Paphnutij tibi referam exemplum, quod eſt in vita ſancti Onuphrij ad principium: Quodam die dum ego Paphnutius ſolus tacituſque ſederem, cogitaui in corde meo, quod deſerta peterem, & vniuerſa loca ſanctorum monachorum, piæque conuerſationis habitum luſtrarem, ac qualiter Deo miniſtrarent, cõſiderarem. Vnde factum eſt, vt tacitus iter arriperem, & in eremum curſu deſiderabili propera-

rem. Panes itaque cum aqua exigua mecum portaui, ne deficerem à labore itineris cœpti. Quarto autem die peracto, alimenta quæ mecum sumpsi defecerunt: meaque membra nullo victu refocillata vires perdiderunt. Moxque diuina illustrante gratia, mors imminens ablata est: sumptis quę viribus iter arripui, atque dies alios quatuor nihil gustando peregi. His itaque completis nimiùm fessus, humo prostratus iacui velut mortuus. *Extemplo quoque cælesti solatus adiutorio, assistere mihi vidi virum, gloria mirabilem, splendore terribilem, pulchritudine laudabilem, magnitudine procerum, aspectu præclarum. Quem, vt adspexi, vehementer obstupui: sed tamen ille vultu placido accedens, nunc manus, nunc labia mea tetigit, mihique vires potenter restaurauit.* Continuo lætus surrexi, Deoque fauente, per solitudinem ex inde decem & septem dierum cursum direxi: quo vsque ad locum, quem Dominus mihi famulo suo indigno prouidebat ostendere, perueni: illic ob itineris labore cessaui.

15. Hæc omnia cesserunt in laudem Christi Domini, qui homo factus pro nobis est, quid mirum Angeli reuererentur homines. Hanc enim rationem Gregor. affert Homilia 8. in Euangel. his verbis: *Hinc est enim, quod Lot. & Iosue Angelos adorant, nec tamen adorare prohibentur, Ioannes verò in Apocalypsi sua adorare Angelum voluit, sed tamen idem, hunc, Angelus, ne se adoraret, compescuit. Quid est, quod ante Redemptoris aduentum Angeli ab hominibus adorantur, & tacent, postmodum verò, adorari refugiunt, nisi quod naturam nostram, quam prius despexerant, post-*

quam

quam hanc supra se assumptam conspiciunt, prostratam sibi videre pertimescunt, nec iam sub se velut infirmam contemnere iussi sunt, quam supra se, videlicet in cæli Rege venerantur, nec habere dedignantur hominem socium, qui supra se adorant hominem Deum. Itaque si supernaturalia gratuitaque dona consideremus, & priuilegiorum fœcunditatem, quæ diuina sanctio & autoritas est, in homines dignata conuertere, in fauorem & meritum Dei filij hominis naturæ personali societate cōfœderati; non incongrue vocem Sancti Spiritus audientes, hominem multis in rebus gratia diuina naturæ terminos extendente sublimatum, Angelo dignitate & excellentiâ præire clamabimus.

16. Est etiam alia ratio, propter quam superiores homines sint Angelis, scilicet in ea esse natura, vt pati possint pro Christo, quod negatum est Angelis. Affero Chrysostomum Hom. 8. in cap. 4. Epist. ad Ephes. vbi sic: *Hic si mihi quispiam dixisset, elige vtrum velis; vis esse Angelus Petrum stimulans, ac soluens; an Petrus seruatus? Petrus vtique maluissem, propter quem Angelus descendit. Vinculis istis potiri libuisset.* Et Augustinus serm. 228. de tempore. *Ad hoc Tobias cæcitatis incurrit exitium, vt Angelum susciperet medicum. Quid meruistis Tobias pater, filiusque Tobias? Mercenarium habere cælestem, & tanquã operarium locare terrestrem. Celauit vobis Angelus nomen, Azarias sum, inquit, & non dixit, Ego sum Raphael Angelus. Si enim diceret, Ego sum Angelus, non esset Tobiæ mercenarius.* In tanta quippe erat gloria senex Tobias propter

ærumnas, quas patiebatur, vt Angelus esse eius mercenarius & seruus ambiret; & ne tantam dignitatem amitteret, sub alieno vocabulo esset Angeli nomen.

Angeli Custodes sæpe assumpti vt nuntient viros, qui futuri sunt sancti.

CAPVT XLIII.

1. ILLVD peculiare est, multorum virorum qui egregiè in sanctitate floruerunt, assumptos Angelos qui eorum ortum nuntiarent, siue eorum qui iam nati essent processum vitæ parentibus contexerent, vt & illi, & isti spem arriperent nutriendi infantes ad Dei laudem & gloriam. Incipio verò ab Scriptura sacra, vbi in libro Iudicum dicitur cap. 13. ortus Samsonis, hoc modo: *Erat quidam vir de Saraa, & de stirpe Dan, nomine Manue, habens vxorem sterilẽ, cui apparuit Angelus Domini, & dixit ad eã. Sterilis es & absque liberis: sed concipies & paries filium. Caue ergo ne bibas vinum ac siceram, nec immundum quicquam comedas, quia concipies, & paries filium, cuius non tanget caput nouacula: erit enim Nazaræus Dei ab infantia sua, & ex matris vtero, & ipse incipiet liberare Israel de manu Philisthinorum.*

2. Sancti Eucherij mater cũm se quieti dedisset, vidit toro suo virũ adstantẽ, miri cãdoris vestibus indutum, capitis veneranda canitie splendidum, oculis instar gemmarum coruscantibus terribilem, sibique dicentem: Aue Deo dilecta, benedictum in vtero tuo ferens puerum, olim in hac

vrbe à Deo electum futurum antistitem. Cui venerabilis matrona: Obsecro te, inquit, vt benedictionem tuo ore largiaris, priusquam à me discedas: intueor enim vultum tuum veluti Angelicum. Ait illi Angelus: Recte quidem cernis; ego enim Angelus Dei sum, missus ab eo vt benedicam proli, quæ est in vtero tuo.

3. Vt verò hic fuit Angelus, ita credo Angelum fuisse eum qui sancti Vrsmari natiuitatem nunciauit, de qua Ratherius Veronensis Episcopus. Matri eius grauidæ senex quidam venerandus apparuit per visum, dicens: Accipe, inquit, hunc puerum, (ducebat manu infantulum) & nutri eum. Verum cùm maxima tunc fames grassàretur, ait mulier seni: Vnde hoc faciã, Domine, cũ desit mihi panis? Hoc, inquit, pane nutries illum, deditque ei panem valde candidum, quem in manibus suis multùm creuisse cùm vidisset mulier, Quid hoc, inquit, sibi vult, Domine? respondit senex: Filium es paritura, qui de regno aliquam Christo lucrifaciet partem: fecitque; nam tantam à Deo cõsecutus est gratiam, vt quotque ad eum alloquendi gratia venirent, omnes diuini Verbi pabulo reficeret.

4. Similiter matrem Nortberti & Claræ Angelicas voces audiuisse crediderim. De S. Nortberto, mater eius audiuit per somni quietem sibi dici: æquo animo esto Hadeuuigis, Archiepiscopus futurus est, quẽ gestas in vtero. Sanctæ Claræ mater, quæ dicta est Hortulana fructiferam Horto Ecclesiæ plantulam editura, cùm non parum de partus periculo solicita, ante crucem in templo oraret, vocem sibi audire visa est: Ne paueas

mulier, ſalua enim lumen quoddam parturies, quod ipſum mundum clarius illuſtrabit. Quo edocta oraculo natam infantulam Claram appellari voluit. Sicut ſanctæ Brigittæ mater Angeli vocem procul dubio audiuit, cùm euaſiſſet in littus prægnans, audiuit eadem nocte vocis ſonum cuiuſdam perſonæ quæ illi aſtitit veſte luculenta, & dixit: Salua euaſiſti propter bonum illud quod habes in vtero. Itaque nutri illud pro amore Dei, ſciens id ſpecialiter tibi diuinitus eſſe donatum.

5. De ſancto Stephano Rege primo Hungariæ refert Surius, & accepit Baronius narrationem in hunc modum: Geïſa Dux Hungarorum, cùm iam factus Chriſtianus, omnes ſuæ ditionis homines ad Chriſtum perducendi cogitationes, ſane ardentes, ſuſcepiſſet, & de edomandis rebellibus ac ſacrilegis ritibus abolendis conſilia ſecum agitaret, ſecundùm quietem iuuenem eximiâ ſpecie fulgentem conſpicatus eſt, qui blanda voce, Faceſſat inquit, hæc ſuperuacanea ſolicitudo: nam tu, quod meditaris, propter manus humano ſanguine pollutas effectui mancipare non potes: naſcetur autem tibi filius, qui Regis titulo decorandus, id efficiet, quod animo concepiſti. Experrectus Princeps, humi proſtratus, principatum ſuum cum naſcituro filio lachrymabundus Deo commendat: quin & vxori eius S. Stephanus, habitu leuitico ornatus, apparuit, his vtens verbis: Confide mulier in Domino, & certa eſto te filium parituram, cui primo huius gentis regnum & corona debetur: tu verò illi nomen meum imponito. Ego namque Stephanus, qui primus pro Chriſti nomine ſanguinem profudi, eum meo tutabor

patrocinio, precibus in fide promouebo.

6. Benedictus (id erat Patri S. Romani nomen) hoc vno infortunij genere anxius tenebatur, quod filium non habens, alieno censum seruabat hæredi. Post igitur varias preces, & opera pia, quibus Dei numen solicitabat, mittitur eo insperati gaudij nuncius, Angelus scilicet de Cælo, qui sub nocte, viro consolationis verba intulit: Ne paueas, inquit electe Dei; Ecce ego ad te à Deo missus sum: ne ergo suspectus verearis phantasiæ spiritu illudi; ego sum Angelus ille, qui vestra bona studia & orationes Deo obtuli; quæ diuinę gratiæ conspectibus proximo tempore implebuntur, quia Fælicitas vxor tua pariet tibi filium à Deo electum, nomine Romanum: hunc tu immunem ab omni labe corruptionis seruare memento, quia ipsum needum genitum superna prouidentia ad regimen sanctæ Ecclesiæ præordinauit. Quod quidem visum vbi vxori apparuisset, fit èleemosynarum largior distributio.

7. Sanctus Vigor nobilissimo genere procreatus, olim monachus sancti Vedasti, Childeberti tempore fuit sanctus ab Angelo pronunciatus, priusquam nasceretur.

8. De sancto Nicolao Tolentinate. In castro Sancti Angeli, territorij Firmanæ ciuitatis, quæ est in Marchia Anconitana, honesta quædam matrona, Amata nomine, multo tempore sterilitatis opprobrio obnoxia, cum marito suo vixerat, nullis interim non precibus ac lachrymis à Domino postulans, vt prolem largiri dignaretur, quam perpetuo ipsius obsequio consecrare posset. Hæc

obtingit Regnum.

6. Angelus, vnico rerum intuitu, penetrat, peruidet que omnia, Nos vnum ex alio colligimus, nec sine tædio & morosè ratiocinamur: & adeò angustioris est mens nostra & intelligentia, vt si quid plusculum sublimius, guttatim ei sit instillandum. Terra cælo comparata, punctum: homo Seraphino collatus, formica est. Theologorum eruditissimi, ad infinum Angelum pueruli sunt, balbutientes, & Alphabetarij. Quam verè Ecclesiastes: *Cunctæ res difficiles; non potest eas homo explicare sermone.* Multa scrutamur & indagamus, & nec ea quidē penetramus cogitatione; quæ oculos incurrunt. Miselli, hæc infima non capimus, & qui tandem illa cæli arcana rimando peruestigabimus? blanda & suaui cæcitate nosmet fallimus, & crebro vanissimas cōiecturas, aut ignorantias, pro venerandis scientiis adoramus. Scire nostrum nihil est, nisi pleraque omnia nescire nos sciamus.

7. Loco, ah, quàm dispari Angeli habitant & homines! celsissimam illam arcem, ab omni hoste vndique securam incolunt; Nos paradisi exules, in sordente & vliginoso vinculo, in combusto pago degimus, & tamen genus atque proauos nostros, nostras terras, & palatia iactamus. Animam Deus sic affixit corpori, vt suum illa carcerem perpetuo secum circumferat, misere compedita. Angelus è cælo in terram, inde in cælum, & quacūque vult, liberrime commeat & celerrime, Angelus à Deo conditore, primæua nobilitate donatus, sex minimum diebus præuenit hominem, cuius dimidia pars (erubescimus) merum lutum

est, sed scite compactum. Angelus ab omni tabe immunis, nullum pendit vectigal morti, Homo, ipsa putredo, ad mortem sensim defluit; tandem fit cadauer, & abiicitur; nec ante hac vllus restitit, quin se se præberet vermibus, expectatum epulum, spes sola nos alit, tales futuros olim, quales nunc sunt Angeli: oportet mortale hoc induere immortalitatem.

8. Voluntas Angeli efficacissima, memoria tenacissima, iudicium electioque rerum immobilis. Hic nos omni infante prorsus infantiores sumus. Male iudicamus, sępe peius eligimus, nũmum aureum piro, equum fistula mutare, lucrum putamus: humana diuinis, caduca æternis anteferre, consuetam & facilem iacturam censemus. Velle nostrum, & pigrum, & instabile est: *Vult & non vult piger.* Memoria nostra, pene dixerim, nulla est, in iis planè labilior, quæ vtilissimè retinerentur. Quoties vix à sacro confessionis tribunali abimus, & eiurata mox repetimus; peccata sobriè defleta, breui velut ebrij denuò perpetramus, dãnosissimâ obliuione. Ob hoc ipsum Chrysostomus auditores suos non semel verborum mordaci aceto perfudit. Erant Antiochiæ frequentes terræ motus: videbantur iis etiam pectora moueri, & in pœnitentiam flecti. Sed quamdiu durabat hæc morum emendatio? quamdiu ferè terræ motus. Paucis post diebus, omnia in ventum, & vanam obliuionem abibant; iterum vt antè, passim omnes in vetitum ruebant. Sic viuimus; hæc memoriæ nostræ labes est: iam peccasse dolemus, mox iterum hilariter peccamus. Sic pigrum velle sæpissimè sepelit maligna obliuio. Accusare se,

nec se tamen emendare, est Deum ad sumendum de se supplicium incitare.

9. Formam nostram quandoque ipsi adeò suspicimus, vt veluti cælo delapsos homines, aut instar Deorum vel Dearum nos coli non indignemur. Sed hem quo purpurisso rubicundulas genas, vel leuis tingit febricula? mors & morbus omnem oris purpuram extingunt, & vultum vel venustissimum furore cerco sic fœdant, vt non tantùm alij, sed nec ipsi nos amplius norimus, & ad speculum quæramus. Quis es tu? Vbi nunc quæso formosissimi Adonides, vbi laudatissimæ Helenæ? fuerunt. Non tantùm fragile, sed breue quid est, humana forma, & ad formam Angeli ah neutiquam accedit. Confer in vnum humanas elegantias omnes, & vna fiat, nondum sat digna erit, vel infimo Angelo. Nitet quidem etiam aurichalcum, sed quàm illud exiguæ dignitatis est, auro collatum? Angelorum pulchritudini, cum hominum forma minùs conuenit, quàm auro cum aurichalco. Narrat Guilielmus Baldesanus, à Francisca Romana miræ sanctitatis & pudicitiæ fœmina, tutores eius Angelos (duos habuit) visos sæpiùs. *Vestis illorum niuis aut cœli colorem habuit, brachia in crucem pectori appressa, oculi cælo elati, aurea cæsaries, vultus decora maiestate longe fulgentissimus, & qui vere deceret Angelũ.* Si vlla Dei sit effigies, Angelus erit. De Lucifero Ezechiel: *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia & perfectus decore, in delitiis paradisi Dei fuisti.* Sic omnis hominum venustas, cinerea & lutea deformitas est, Angelorum formæ collata.

10 Fortitudo & vires Angelorum eæ ſunt, vt ipſi gigantes ſint, nos imbecillimi pumiliones. Sapiens quidem aſtris dominari dicitur, ſed heu quàm debile hoc, & remotum eſt dominium. Stellis & orbibus cæleſtibus ius dicunt Angeli, qui vti Thomas Aquinas loquitur, admiranda poſſunt. Facillimum illis, ventos, pluuias, tempeſtates, tenebras, terræ tremores momento producere; flumina ſiſtere, fontes durare, montes diluere, ſidera extinguere, tartara illuminare, cælum deponere, terram ſuſpendere; poſſunt vnico, ſic loquimur, digituli motu elementorum certè partes ſi non tota, de loco in locum transferre poſſunt. Æque facile illis eſt, homines, pecudes ſanare, necare; annonæ caritatem aut vilitatem inducere, incendia ſine aquis præfocare, famelicos leones ieiunium docere, corpus ex aëre formoſiſſimum momento efformare, & ęquè celeriter in auras diſſoluere. Claues habent Angeli ad omnes ſeras & repagula: atque hæc omnia celeritate conficiunt incredibili. Vnicus Angelus ſummum cælum tot millibus annorum, velut per otium circumducit, rotatu tam aſſiduo ac præcipiti, vt ſol hora vnica, 260000. ducenta, ſexaginta millia milliarum germanicorum percurrat, & hic ſupremi cæli curſus eſt, quo & orbes cæteros ſecum rapit, incredibili prorſus velocitate, quam ei confert Angelus, & quã lacertoſum hoc brachium ſit, quod immenſam hanc molem ſic gyret! Et quæ noſtræ ſunt vires, quæ illa potentia noſtra? Iſaias exprobrans: *Væ qui potentes eſtis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miſcendam ebrietatem.* Hæc fortitudo ac potentia

humana, copiosum vinum doliis egurgitare in ventrem, cetera, tam debiles sumus, vt Iob miratus dixerit: *contra folium, quod vento rapitur, ostendis potentiam tuam & stipulam siccam persequeris.*

11. Ergo, quid nos homunculi, viles formiculæ, potentiam, aut genus, aut scientiam nostram crepamus? delira vanitas est, & quæso ponamus cristas; Angelos cognatione proxima sane non attingamus, neque de nobis pronunciauit illud Rex Dauid: *Minuisti eum paullo minus ab Angelis*: parum ad nos laus ista; propria Christi est. Paulus id disertissime affirmans: *Eum autem qui modico quam Angeli minoratus est, videmus Iesum, propter passionem mortis, gloria & honore coronatum.* Nos verò Angelis multo inferiores sumus, nihilominus tamen Angeli, nobis tanquam dominis suis inseruiunt fidelissime. Angelis toga candida, pacis ac lætitiæ signum; nobis gladius, galea, clypeus, lorica conuenit. *Militia est vita hominis super terram*: quotidie in acie standum, quotidie tela tentationum excipienda, nunquam non pugnandum. Angeli suo nectare & ambrosia fruuntur, gaudiis æternùm non desituris. Ob nostras dapes ingemiscens Dauid: *Cibabis nos pane lachrymarum, & potum dabis nobis in lachrymis, in mensura.* Isaias: *Dabit vobis Dominus panem arctum, & aquam breuem.* certe nunc Angelis quà plurima dissimillimi sumus. Spes vnica solatur: olim in plurimis fore quàm simillimos. Veritatis oraculum est: *In resurrectione neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei in cælo.*

12. Angelos hominibus ſuperiores perfectioresque ſecundùm gradum naturæ nulli rationis capaci dubium eſſe poteſt: cùm ſpiritualis creatura ex naturalis conditionis ſuæ iure in corporalem ſui imperij autoritatiſque fines extendat. Vnde in familia omnium creaturarum Principis Dei Angelum natu maiorem; cui paternæ maieſtatis iuridica inſignia iuxta primogenituræ rationem debeantur: hominem verò minorem iuniorémque appellari ſcripta ſancti Spiritus oracula ipſa nobis veritate ſignificarunt. Et ideo Dauid hominis naturalem præ ceteris creaturis perfectionem admirans, non tamen eum Minutum paulo minus ab Angelis, minoratumque diffitetur.

13. Cùm hoc tamen verum ſit, mirum eſt qua ratione Angeli pij & benigni homines ipſos reuereantur, cuius rei autorem præfero S. Chryſoſtomum in Pſalmum.11. cuius hæc ſunt verba. ϗ ἄγγελοι ᾐδέσθησαν ἀνθρώπους, ϗ ἐτίμησαν μεθ' ὑπερβολῆς: *Quin etiam Angeli quoque reueriti ſunt, & inſigniter honorarunt homines.* Et notanda græca, ait enim *cum hyperbole dicam*, hyperbolice enim hominibus miniſtrant & famulantur.

14. Quod vt videas Paphnutij tibi referam exemplum, quod eſt in vita ſancti Onuphrij ad principium: Quodam die dum ego Paphnutius ſolus tacituſque ſederem, cogitaui in corde meo, quod deſerta peterem, & vniuerſa loca ſanctorum monachorum, piæque conuerſationis habitum luſtrarem, ac qualiter Deo miniſtrarent, cōſiderarem. Vnde factum eſt, vt tacitus iter arriperem, & in eremum curſu deſiderabili propera-

rem. Panes itaque cum aqua exigua mecum portaui, ne deficerem à labore itineris cœpti. Quarto autem die peracto, alimenta quæ mecum sumpsi defecerunt: meaque membra nullo victu refocillata vires perdiderunt. Moxque diuina illustrante gratia, mors imminens ablata est: assumptis que viribus iter arripui, atque dies alios quatuor nihil gustando peregi. His itaque completis nimiùm fessus, humo prostratus iacui velut mortuus. *Extemplo quoque cælesti solatus adiutorio, assistere mihi vidi virum, gloria mirabilem, splendore terribilem, pulchritudine laudabilem, magnitudine procerum, aspectu praclarum. Quem, vt adspexi, vehementer obstupui: sed tamen ille vultu placido accedens, nunc manus, nunc labia mea tetigit, mihique vires potenter restaurauit.* Continuo lætus surrexi, Deoque fauente, per solitudinem ex inde decem & septem dierum cursum direxi: quo vsque ad locum, quem Dominus mihi famulo suo indigno prouidebat ostendere, perueni: illic ob itineris labore cessaui.

15. Hæc omnia cesserunt in laudem Christi Domini, qui homo factus pro nobis est, quid mirum Angeli reuererentur homines. Hanc enim rationem Gregor. affert Homilia 8. in Euangel. his verbis: *Hinc est enim, quod Lot, & Iosue Angelos adorant, nec tamen adorare prohibentur, Ioannes verò in Apocalypsi sua adorare Angelum voluit, sed tamen idem, hunc, Angelus, ne se adoraret, compescuit. Quid est, quod ante Redemptoris aduentum Angeli ab hominibus adorantur, & tacent, postmodum verò, adorari refugiunt, nisi quod naturam nostram, quam prius despexerant, postquam*

quam hanc supra se assumptam conspiciunt, prostratam sibi videre pertimescunt, nec iam sub se velut infirmam contemnere iusi sunt, quam supra se, videlicet in cæli Rege venerantur, nec habere dedignantur hominem socium, qui supra se adorant hominem Deum. Itaque si supernaturalia gratuitaque dona consideremus, & priuilegiorum fæcunditatem, quæ diuina sanctio & autoritas est, in homines dignata conuertere, in fauorem & meritum Dei filij hominis naturæ personali societate cōfœderati; non incongrue vocem Sancti Spiritus audientes, hominem multis in rebus gratia diuina naturæ terminos extendente sublimatum, Angelo dignitate & excellentiâ præire clamabimus.

16. Est etiam alia ratio, propter quam superiores homines sint Angelis, scilicet in ea esse natura, vt pati possint pro Christo, quod negatum est Angelis. Affero Chrysostomum Hom. 8. in cap. 4. Epist. ad Ephes. vbi sic: *Hic si mihi quispiam dixisset, elige vtrum velis; vis esse Angelus Petrum stimulans, ac soluens; an Petrus seruatus? Petrus vtique maluissem, propter quem Angelus descendit. Vinculis istis potiri libuisset.* Et Augustinus serm. 228. de tempore. *Ad hoc Tobias cæcitatis incurrit exitium, vt Angelum susciperet medicum. Quid meruisti Tobias pater, filiusque Tobias? Mercenarium habere cælestem, & tanquā operarium locare terrestrem. Celauit vobis Angelus nomen, Azarias sum, inquit, & non dixit, Ego sum Raphael Angelus. Si enim diceret, Ego sum Angelus, non esset Tobiæ mercenarius.* In tanta quippe erat gloria senex Tobias propter

ærumnas, quas patiebatur, vt Angelus esse eius mercenarius & seruus ambiret; & ne tantam dignitatem amitteret, sub alieno vocabulo esset Angeli nomen.

Angeli Custodes sæpe assumpti vt nuntient viros, qui futuri sunt sancti.

CAPVT XLIII.

1. ILLVD peculiare est, multorum virorum qui egregiè in sanctitate floruerunt, assumptos Angelos qui eorum ortum nuntiarent, siue eorum qui iam nati essent processum vitæ parentibus contexerent, vt & illi, & isti spem arriperent nutriendi infantes ad Dei laudem & gloriam. Incipio verò ab Scriptura sacra, vbi in libro Iudicum dicitur cap. 13. ortus Samsonis, hoc modo: *Erat quidam vir de Saraa, & de stirpe Dan, nomine Manue, habens vxorem sterilē, cui apparuit Angelus Domini, & dixit ad eā. Sterilis es & absque liberis: sed concipies & paries filium. Caue ergo ne bibas vinum ac siceram, nec immundum quicquam comedas, quia concipies, & paries filium, cuius non tanget caput nouacula: erit enim Nazaræus Dei ab infantia sua, & ex matris vtero, & ipse incipiet liberare Israel de manu Philisthinorum.*

2. Sancti Eucherij mater cūm se quieti dedisset, vidit toro suo virū adstantē, miri cādoris vestibus indutum, capitis veneranda canitie splendidum, oculis instar gemmarum coruscantibus terribilem, sibique dicentem: Aue Deo dilecta, benedictum in vtero tuo ferens puerum, olim in hac

vrbe à Deo electum futurum antiſtitem. Cui venerabilis matrona: Obſecro te, inquit, vt benedictionem tuo ore largiaris, priuſquam à me diſcedas: intueor enim vultum tuum veluti Angelicum. Ait illi Angelus: Rectè quidem cernis; ego enim Angelus Dei ſum, miſſus ab eo vt benedicam proli, quæ eſt in vtero tuo.

3. Vt verò hic fuit Angelus, ita credo Angelum fuiſſe eum qui ſancti Vrſmari natiuitatem nunciauit, de qua Ratherius Veronenſis Epiſcopus. Matri eius grauidæ ſenex quidam venerandus apparuit per viſum, dicens: Accipe, inquit, hunc puerum, (ducebat manu infantulum) & nutri eum. Verum cùm maxima tunc fames graſſaretur, ait mulier ſeni: Vnde hoc faciã, Domine, cũ deſit mihi panis? Hoc, inquit, pane nutries illum, deditque ei panem valde candidum, quem in manibus ſuis multùm creuiſſe cùm vidiſſet mulier, Quid hoc, inquit, ſibi vult, Domine? reſpondit ſenex: Filium es paritura, qui de regno aliquam Christo lucrifaciet partem: fecitque; nam tantam Deo cõſecutus eſt gratiam, vt quotque ad eum alloquendi gratia venirent, omnes diuini Verbi pabulo reficeret.

4. Similiter matrem Nortberti & Claræ Angelicas voces audiuiſſe crediderim. De S. Nortberto, mater eius audiuit per ſomni quietem ſibi dici: æquo animo eſto Hadeuuigis, Archiepiſcopus futurus eſt, quẽ geſtas in vtero. Sanctæ Claræ mater, quæ dicta eſt Hortulana fructiferam Hortum Eccleſiæ plantulam editura, cùm non parum de partus periculo ſolicita, ante crucem in templo oraret, vocem ſibi audire viſa eſt: Ne paueas

patrocinio, precibus in fide promouebo.

6. Benedictus (id erat Patri S. Romani nomen) hoc vno infortunij genere anxius tenebatur, quod filium non habens, alieno censum seruabat hæredi. Post igitur varias preces, & opera pia, quibus Dei numen solicitabat, mittitur eo insperati gaudij nuncius, Angelus scilicet de Cælo, qui sub nocte, viro consolationis verba intulit: Ne paueas, inquit electe Dei; Ecce ego ad te à Deo missus sum: ne ergo suspectus verearis phantasiæ spiritu illudi; ego sum Angelus ille, qui vestra bona studia & orationes Deo obtuli; quæ diuinę gratiæ conspectibus proximo tempore implebuntur, quia Fælicitas vxor tua pariet tibi filium à Deo electum, nomine Romanum: hunc tu immunem ab omni labe corruptionis seruare memento, quia ipsum necdum genitum superna prouidentia ad regimen sanctæ Ecclesiæ præordinauit. Quod quidem visum vbi vxori apparuisset, fit eleemosynarum largior distributio.

7. Sanctus Vigor nobilissimo genere procreatus, olim monachus sancti Vedasti, Childeberti tempore fuit sanctus ab Angelo pronunciatus, priusquam nasceretur.

8. De sancto Nicolao Tolentinate. In castro Sancti Angeli, territorij Firmanæ ciuitatis, quæ est in Marchia Anconitana, honesta quædam matrona, Amata nomine, multo tempore sterilitatis opprobrio obnoxia, cum marito suo vixerat, nullis interim non precibus ac lachrymis à Domino postulans, vt prolem largiri dignaretur, quam perpetuo ipsius obsequio consecrare posset. Hæc

illa assiduò precante, nocte quadam Angelus Domini vtrique parenti adstitisse dicitur, eisque mandasse vt ad sanctum Nicolaum Barrensem properarent, cognituri illic quis ex iis propediem nasciturus esset: ea visione mirifice exhilarati, nihil de Angelica promissione hæsitantes, sanctum arripiunt iter, ac peregrinorum instar, ad B. Nicolai Barrensem perueniunt Ecclesiam: Vbi cùm ante altare preces, ac munera obtulissent, ex longo defessi itinere, dulci sopore corripiuntur. Et ecce mox in habitu Pontificis visus adesse Nicolaus, cuius precibus meritisque innixi in spem concipiendæ prolis veniebant. Is verò diuturnum eorum mærorem consolans, nascituri pueri prædicit sanctitatem, hortaturque: vt disciplinis & exemplis pia eius studia promoueant.

9. De sancto Remigio ait Hincmarus in eius vita: Erat venerabilis quidam, ac professione sua non minùs quàm nomine dignus Montanus Monachus, qui in vita solitaria à prophanorum hominum congressu, ac familiaritate penitus seclusus, cælestibus sepe & Angelicis fruebatur alloquiis; is cùm nocte quadam in oratione peruigil anxiè pro pace sanctæ Ecclesiæ, quæ multis ac diuersis apud Galliarum & Belgicarum prouincias calamitatibus affligebatur, laboraret, & indefessis precibus Omnipotētis Dei clementiā exoraret, tandē leui præ nimia lassitudine oppressus sopore, subitò Angelorū choris, & beatissimarum animarū visus est sibi interesse cætibus; qui humanæ salutis auidi, de Gallicanæ Ecclesiæ deiectione queritabantur: cumque varia inter se crebro sermone conferrent, subitò vox à supe-

rioribus adytis intonans, gratulabunda huiusmodi suauissimè promulgabat sententiam: Dominus prospexit de excelso sancto suo, &c. in conueniendo populos in vnum & reges, vt seruiant ei. Porro Cillinia cum marito suo Æmilio, ambo genere nobiles, sed effœto corpore steriles, & ab omni concipiendæ spe prolis prorsus exclusi, audito venerabilis viri Montani oraculo, hæsere animis, ægrèque nimis dictis eius fidem commodare potuerunt. Tum verò Montanus, qui vtroque lumine orbatus erat, vt (inquit ad Ciliniam) vera me nunciare scias, tu ablactato infante oculos meos tuo lacte perunges, & ego eiusdem infantis meritis pristinam videndi facultatem recipiam. Quæ omnia contigerunt.

10. De sancto Vincentio. Patri dormienti visum est per noctem, quod cùm in templo Fratrum Prædicatorum esset, quendam in ipsorum Fratrum habitu, virum pulcherrimum ac venerabilem concionantem audire: cumque eius dicta exciperet auidis auribus, hæc ei verba ab illo dici videbantur; congratulor tibi, ô charissime fili, post paullulum vxor tua pariet tibi filium, cuius tanta erit vitæ integritas, tanta doctrinæ vtilitas, tanta famæ, ac mirabilium operum claritas, vt omnes Galliarum, Hispaniarumque populi eum tamquã Apostolum veneraturi sint, eritque Frater ordinis cuius me vides. Post quæ dicta, multitudo quæ ibi adesse videbatur, magnis vocibus Deo gratias referebat: itaque dum & ipse suas gratiarum actiones adiungere conaretur, somno solutus est, conatuque vocis vxorem excitat, eique visa narrat. Nondum decimum ætatis annum

attigerat Vincentius, cùm iam eo natu maiores lõgè ſuperaret: pueris rariſſimè colludebat: quòd ſi tamen quandóque contigiſſet, poſt breuem, honeſtumque luſum, conſcenſo terræ tumulo ſocios conuocans: Audite pueri, ait, quæ loquor, & iudicate aptusne an ineptus prædicator ſim futurus. conſidentibusque ac ſilentibus aliis, facto ſigno Crucis, quæ Valentiæ à concionatoribus audiuerat, pronunciabat; & tam feliciter, vt neminem vnquam audierit, quem geſtibus, dictis, aut ſententiis quibuſdam non potuiſſet æmulari.

11. De ſancto Dunſtano ait Oſbertus monachus Cantuarienſis, quod vt primos infantiæ annos exiuit, à parentibus ad ſacræ Virginis templum ductus eſt, vt pro eius vita atque prouectu Deo preces offerrent; vbi pernoctantibus apparuit vir quidam Angelico ſpecioſus veſtitu, qui puerum per manum accipiens, & eum hinc inde modeſto diſcurſu per atrium ducens, dixit illis: ſic ædificabitur locus iſte ad conuerſationem illorũ, qui ſimul à pueritia in ſeruitio Dei nutriendi, ſiue à prauitate veteris vitæ, in nouitatem gratię Chriſti per hunc puerum ſunt conuertendi. Quo viſo mirificè recreati in gratiarum actionem prorumpentes, in eo ipſo templo literis ac pietate imbuẽdum pio ac docto magiſtro Dunſtanum relinquunt. Qui cùm adhuc infans ad Eccleſiam Dei Genitricis cum oblationibus delatus eſſet, illis in oratione pernoctãtibus apparuit vir æthérei vultus, dicens locum illum ſublimandũ, puerum ibi Deo relinquendum, ipſumque per ſæcula beatum prædicandum.

12. De Sancto Iuliano Epiſcopo quo tempore

baptizatus est, super lauacrum iuuenis eminere visus est, mitra redimitus, tenensque manu pedū, qui diceret; *Iulianus vocabitur*, & rursus suauissima à multis audita est harmonia Angelorum, hæc identidem recinentium: *Hodie natus est infans, qui parem sibi non habet in gratia.*

13 De sancto Carolo Borromæo refert Ernestus Colinus in eius vita, quo tempore nascebatur, apparuit supra cubile matris insolens quidam fulgor, radio solis similis, latitudine quidem cubitorum sex, longitudine verò non minore quàm glande sclopetaria traiiceres: quem palam contemplati sunt præsidiarij milites, & custodes loci, alijque plurimi.

14. Cùm Heriberti pater (ait Rupertus Tuitiensis apud Surium) cum familiari suo quondam Iudæo decumberet, vidit vterque ea ipsa hora, qua nascebatur infans, lucem ingentem in cubiculum partui destinatum infulsisse; & cùm alter alteri visum narraret, nesciretque illud vtrique commune, continuo affuit ancilla, quæ natum infantem nunciaret, non sine ingenti lucis diuinitus circunfusæ miraculo.

15. Sanctus Franciscus Assisij conditor, quo die natus est Pica eius mater hunc tantum infantem enixura, dolores partus sensit acutissimos, atque interea mendicus quidam (quidni Angelum intelligas?) pro foribus ei qui sibi stipem erogabat: deferte, inquit, parturientem in vicinum stabulum, & continuò partus difficultate liberabitur: creditum est, siue mendico, siue oraculo Angelico, & vix illata in stabulum mulier, par-

tum feliciſſime effudit. Atque humilis Franciſcus humilem Chriſtum in humili ſtabulo naſcentem imitatus eſt; cui deinde in cruce morienti acceptis ſtigmatibus, meruit eſſe non abſimilis. Erectum eſt ad perpetuam rei memoriam, eo ipſo loco, ſacellum, quod à ſancto Franciſco paruulo etiamnum nomen retinet; & miraculi ſeries parietibus appicta viſitur.

16. Placet vero aliquem ſermonem huius capitis inſerere de Chriſti Ieſu infantia, & matris eius. Quos enim poſſum aſſumere ad præſtantiam mei argumenti magis idoneos quàm Chriſtum, eiuſque matrem, cum fuerunt in ætate infantili ac puerili. Incipio ab infantis Ieſu præſentia, quæ in feſtis Natalibus, refert Vincentius Beluacenſis in ſpeculo Hiſtoriali lib. 26. cap. 7. & Petrus Venerabilis lib. 1. Miraculorum. Ait itaque Vincentius, quia mos eſt Cluniacenſis Monaſterij, præ cæteris ſolemnitatibus Natiuitatem Domini quodam ſingulari affectu agere, cantum melodiis, quodque lõgè præſtantius eſt, ſpirituali deuotione, multa cum lachrymarum profuſione, cum Angelis ſolemniſare. Hac igitur inſtãte feſtiuitate, fratres more ſolito ſe & ſua omnia præparauerunt. Venerabilis ille pater Hugo, qui adhuc ſenex ſupererat, Capitulum, vbi fratres conuenerant, ingreſſus, hæc ad omnes verba protulit. Noueritis, fratres, benignum Ieſum diſpoſuiſſe noſtris intereſſe ſolemniis, ac cõtrà, hoſtem nequam inuidia laborare, vt aliquas tenebrarum ſuarum nebulas tãto ſplendori poſſit immiſcere. Frater enim, ait, quidam (ſe vtique dans intelligi) hac nocte vidit matrem

misericordiæ, ipsumque filium, quem præsenti genuit nocte, dulcissi no gremio continere, eique sanctorum Angelorum multitudinem cum immenso lumine adstare, & cum ih Natiuitate Domini Monachi cantando recognoscerent, beneficium incarnationis Domini, Hugo Abbas Cluniacensis vidit ordines Angelorum psallentium, & omne genus musicorum dicentium: Gloria in excelsis Deo. Idem Deus puer exultabat, & cordis lætitiam gestu corporis & plausu manuum demonstrabat: & conuersus ad matrem, aiebat, Cernis Mater noctem natiuitatis meæ, quæ imminet, gaudiis illustrandam, in qua & prophetarum oracula, & Angelorum præconia reuelabuntur, & de meo ex te ortu, omnia simul, cælestia, & terrestria lætabuntur. Vbi & nunc hostis mei damnata perfidia? vbi est potestas quæ ante hoc singulare gaudium dominabatur? Quo ille impudens audito, de latibulo suo egressus, à longe se pręsentabat, & ignominiose deturbatus, cum multo planctu, & eiulatu, vt admitteretur orabat; Et si, ait, in nulla parte Ecclesiæ admittor, in aliquo saltem reliquarum officinarum loco suscipiar. At filius Virginis, vade, inquit, Lucifer, & ne te mea sententia præiudicatum lamenteris, tenta quod poteris. At ille solum aditum Capituli petiit, & intrare non potuit: in tantum enim se tumidum, & capituli introitum angustum inuenit, vt nullatenus introire valeret. Inde ad dormitorium Fratrum gressum conuertit, & phantasiis solitis se eos inquietare posse confidens, introire tentauit: sed eadem crassitudine sua ab ostio repulsus est. Postremo ad refecto rium nocendi spem

contulit, ibi propter aliquantulam corporis curam, maiorem ſuſpicans mentium incuriam, ibi etiam tot obices ex diuinorum verborum lectione, tot trabes ex deuotione auditorum, tot repagula reperit, ex charitate ſibi inuicem ſeruientium, vt nullo modo vltra valens procedere, cogeretur retrocedere: ſic & ab omnibus officinis deiectus, à conſpectu piiſſimi Redemptoris & glorioſæ Mariæ matris eius, cum ea qua dignus eſt confuſione, peſtifer ille receſſit.

17. In India Orientali non ita pridem extructum fuiſſe præſepium in honorem nati Saluatoris accepimus, ad quod per dies viginti continuos tantus fuit hominum concurſus, vt ad quatuor hominum millia creditum ſit facilè confluxiſſe. Quid quod ab Ægyptiis hic mos reſeruatus fuit diu ante ipſum Chriſti ortum? nam ſi Epiphanio credimus, cùm Hieremias vnà cum Iudæis apud Ægyptios aliquando exularet, ſacerdotibus eorum prædixit demolitionem ſimulacrorum, quæ manu facta ipſi tam vane colerent, in hæc verba: *Oportere olim cuncta eorum ſimulacra concidere, ſimulque manu omnia facta præcipitari, vbi Ægyptum aſcendet, cum ſuo infante Virgo enixa, Deo ſimilis.* Huic vaticinio tantum Ægyptij tribuerunt, vt ſolemnem induxerint morem Virginem quandam in lecto, & infantem in præſepio paſſim côllocandi, ſimulque adorandi. Rogati à Rege quodam poſtea, quid ſibi vellet hic ritus, hoc eſſe myſterium reſponderunt, quod maiores ipſorum à S. Propheta traditum iampridem accepiſſent. Quid igitur mirum, ſi nos tantum myſterium tranſactum in me-

moriam hoc ritu reuocemus, oculisque subiiciamus? Hinc stramineam extruunt casam, imminentem tecto stellam defiguunt, medium inter Virginem & Iosephum collocant in præsepi infantem, Pastoribus Angelos admiscent, idque tam apposité, vt intuentes maximum pietatis sensum experiantur, & se tanto mysterio interesse, vagitus aure excipere, fascias ipsas contrectare, Angelorum concentum audire, non sine horrore quodam sacro, existiment.

18. Veridica relatione didicimus, quendam defunctum, & subito ad pœnas ignis purgatorij transeuntem, cuiusdam sanctissimi viri precibus ad vitam reuocatum. Hic tale quid visum, & auditum in purgatorio, referebat. Anima cuiusdam, quem prius in vita cognouerat, grauissimè torquebatur: in mediis vero ignibus subito illa gestiẽs exclamat: Eia misericordissime Deus, nec in finem oblitus es mei. Cui anima consors in pœna; Vnde, inquit, tibi miserrima, in tam horrendis suppliciis ista exultatio? & illa, Merito, inquit, lætabundè tripudio, quia mihi scire à Domino datum est, in hoc instanti puerum natum, in cuius Missa, quam ipse celebrabit primam tandem sacerdos, ab his pœnis ad requiem euolabo sempiternam. Quanto iustius exultare poterant in Limbo Patres, ob salutiferam Christi Natiuitatem, qui oblato in ara crucis sacrificio summus sacerdos, & Pontifex, totum genus humanum erat redempturus! & putant aliqui (vt notat Ribadeneyra) nato Christo, Angelum ad patres illos fuisse transmissum. Sed quid tandem de Iesu dicam? Nonne subductus est cædi Hero-

dis Angelo nunciante? Matth.2.

19. Sed quid (etiam si nulla sit mentio de Angelis) de infante Iesu loquar, qui Angelus est, & maior Angelis? illud tantùm dicam de quodam, qui in die Natalis Christi, rogauit Dominũ, vt ei ostenderet faciem pueritiæ suæ; & ecce post aliquot dies in ecclesia more suo commoranti, & oranti, adstitit puer pulcherrimus, à quo quæsiuit, si sciret *Aue Maria*, qui respondit, prædic mihi; & dicente eo, *Benedictus fructus ventris tui*, tunc dixit puer, Ego sum ille, & euanuit. Ille iubilando clamauit, Reuerte charissime, dulcissime, & amantissime puer. Et sic per triginta dies non cessabat vociferans. Venit Iesus dicens: Ego vocatus venio ad te, modò autem tu venies post me, vt mecum conregnes, quæ sic iubilans feliciter expirauit.

20. Absoluo hoc caput cum eo, quod de sancta Lyduuyna refert Surius, cum ei à Parocho suo Sacrosancta Eucharistia, quam multis precibus & lacrymis postulauerat, denegaretur, adstitisse illi Angelum multa luce coruscum, qui monebat eam, ne contristaretur, propediem enim futurum, vt Christus ipse visitaret eam, & omnes contritiones eius sanaret. Dedit igitur se totam orationi, ac contemplationi: cumque huic intenta esset, vidit paulo post aduentantes Angelos, seu iuuenes fortissimos, atque alium crucem, alium lanceam, alium clauos, alios alia Passionis Dominicæ insignia ferentes, suoque lectulo assistentes, posteà etiam Matrem Domini, cum sanctis non paucis aduenire conspexit. Demũ Christus ipse venit in forma speciosissimi pueruli blã-

diſſimè Virginem aſpiciens: eo ſpectaculo liquefacta gratias egit ei, quòd ſe indignam ancillam ſic viſitare dignatus eſſet; cumque abitum pararet, rogauit eum, vt ſi verè eſſet is in quem crederet, euidens aliquod ſignum præſentiæ ſuæ relinqueret. Mox ille in ſpeciem formoſæ hoſtiæ mutatus eſt: quæ cùm ſe aliquoties conuertiſſet, tandem conſtitit in munda mapula ibi poſita. Erat Hoſtia illa; nec tam parua, vt ſunt quæ plebi porriguntur, nec tam magna, vt eæ quas accipiũt ſacerdotes ſacrificantes. Radij autem eius extremam oram articulatim ambiebant: intus habebat Crucifixi effigiem cum cruentis vulneribus; in latere verò vno ſpeciatim hærebat ſupernè gutta vna piſi dimidij magnitudine. Hanc denique admirabilem Hoſtiam cùm à ſeipſa ſumere auſa non eſſet, accerſiri iuſſit Parochum, qui ſacram Communionem ei denegauerat, atque ex illius manibus eam ſumpſit maxima cum animi conſolatione. Quid mirum contigiſſet ſanctæ Lyduuinæ in ipſa adhuc pueritia nuptias reſpuere? Ad quas cùm pater ipſius hortaretur, mater verò impensè virgini faueret, & patrem oraret ne filiam moleſtaret; ipſa verò filia patri reſpondit conſtantiſſimè, quod ad hoc nullo modo poſſet ſe inducere; imò ſi alium modum euadendi non inueniret, ſeipſam ita tractaret, quod nemo eam in matrimonium poſtularet. Quapropter Dominum quotidie rogabat, vt omnem noxium & carnalem amorem de corde & corpore diligere poſſet, cuius & deſideria pius & miſericors Deus, qui eam in ſponſam elegit, incunctanter exaudiuit. Cùm enim ageret annum ætatis quin-

tum ſupra decimum, accidit circa feſtum Purificationis B. Virginis, vt inuitata à ſodalibus virginibus cum eis ſuper glaciem induta ſandaliis graderetur, vbi vna de ſodalibus eius curſu rapido ſuper glaciem pergendo, nec greſſum figere valens, Lyduuinam manu apprehendit, moxque ſuper fragmenta glaciei improuiſè ipſa cecidit, & grauiter læſa vnam paruam coſtam dextri lateris ſui cõfregit, ex qua fractura primo quidem apoſtema durum circa locum coſtæ cõfractæ, excreuit; pro cuius curatione licèt parentes eius multa poſuiſſent, optatam tamen eius ſanitatem cõſequi non valuerunt: rupto deinde apoſtemate, ſanies per os eius cum vomitu profluxit, cuius occaſione ita debilitata eſt, vt quaſi mortua putaretur. Exinde iam cepit continuis infirmitatibus laborare, omnique morborum genere exerceri, quos quidem reliquo vitæ decurſu ſemper ſuſtinuit, hoc eſt, totos triginta octo annos. Verùm dum corpus tabeſcebat, animam vaſe fictili per occultam gratiam ad magnum meritum in futuro ſeruabatur, vt in ea compleretur, quod de B. Iob legitur: Ecce Sathan in manu tua eſt, verumtamen animam eius ſerua.

Apparens

Apparent Angeli in forma puerili ad imitationem Christi, qui sæpe visus eadem forma. Angeli adsunt pueris excarnificendis pro Christo, & alia quæ pertinent ad pueros.

Caput xliv.

1. Qvot Angeli Custodes apparuerunt in forma puerorum suis clientulis? Abbas Zenon, dum esset in Scythia, egressus est nocte de cella sua ad ambulandum per eremum; & factum est, dum longiùs processisset, errauit tres noctes diésque ambulans, & cecidit fatigatus vsque ad mortē; & ecce stetit ante eum infans habens in manu sua panem, & dixit ei, exsurge, & comede. At ille exsurgens orauit, timuit enim phantasiam esse. Cui infans dixit, Bene fecisti, quod orasti, modò exurge & comede. Cui Abbas Zenon non acquieuit, nisi secundò & tertiò orasset: & cùm ille laudaret, quia oraret; iam nunc surrexit, & comedit; post hæc dixit ei infans. Quantum tempus ambulasti, tantum longè es à cella tua: sed surge, sequere me, & mox inuentus est ante cellam suam. Dixit ergo ei senex, ingredere in cellam meam, & fac orationem, & ingresso sene in cellam suam ille non comparuit. Habetur narratio hæc in vitis Patrum. Ecce Angelum in forma puerili, & infantili, qui custos erat Abbatis Zenonis, reficientem senem, & trahentem in cellam.

2. An hoc ad exemplum Christi? omnino. Audi rem admirandam, quam narrat Cantiprat. l. 2. de Apibus cap. 1. Algore niuium terra Brabantiæ resperſa per totum, monachus Ciſtercienſis vir pietate plenus, præmiſſo in villam famulo, ſolus in campis per deuia veniebat; & ecce inuenit puerum elegātiſſimæ formæ, quaſi triennem, magno fletu & eiulatu, ſolum in niuis frigore reſidentem: compaſſus igitur tali puero, equo deſcendit, & complexus flentem flere cepit cum eo, & quærere quid haberet: tacente autem puero, iterum ingeminat, & ingemiſcit quærens, vbi eſt mater tua? nunquid perdidiſti matrem? Ad interrogationes igitur illius puer fortiùs ciulans, tādem dixit. Heu me! quare non flerem? quare non eiularem? Quæ vides, quod egens, ſolus, & in frigore ſedeo, & non eſt qui colligat me, & hoſpitium mihi præſtet. Mox Monachus ſurgens, & puerum in brachiis eleuans, oſculatus eſt eum dicens; Ceſſes flere dilectiſſime, quia ad hoc hoſpitium portabo te, & faciam enutriri. Hoc dicens, cum puero equum aſcēdere voluit, ſed puer de brachio tenentis exſiliens repente diſparuit, quia Chriſtus filius Virginis fuit. In terram igitur cadens Monachus, eiulare & flere cepit acerrimè, & cùm diu ſic eiulans iacuiſſet, tandē quæſitus à ſeruo, inuentus eſt, & eleuatus in equum ad hoſpitium ducitur: à quo cum quæreretur, cur fleret, nil aliud vna nocte dicere potuit: Heu me, puer bone, puer pulcherrime, quare me dereliquiſti? cur tam cito abiiſti, cur te perdidi? Poſt hæc Monachus conſolationem recipiens, cuidam rei euentum retulit, qui illis, per quos ſciui rei

tantæ miraculum & piaculum, patefecit: Quis enim sine lachrymis audire potest piaculum tale & tantum, quod filius vnicus Patri Deo Deus exsistens hospitium in terra quærit, eget cibo, algore contrahitur, & præ abundantia iniquitatis refrigescente charitate multorum; non est qui eum recipiat cordis hospitio, reficiat patris placiti benefica voluntate, reuoluat & foueat deuotionis sinu, veste contegat charitatis!

3. Sed & aliud exemplum tibi referam, quod Cantipratensis narrat lib. 2. cap. 40. num. 2. de Christo Domino in Sacramento, vbi puer esse ostensus est. *Oppidum Duacense amplum, & magnum est inter Cameracũ à dextris viæ, & Atrebatum, nobilissimas ciuitates. Hic in Ecclesia Canonicorum S. Amati Episcopi cum Sacerdos in Pascha communicato populo Corpus Christi super nudam terram stupefactus inuenisset, & flexis genibus eleuare tentasset: mox per se in aëra subleuatum, panniculo, quo consecratos digitos Sacerdos detergere solet, inhæsit. Clamans ergo Presbyter Canonicos vocat: accurrunt illi, spectant in panno corpus viuificum in specie faciei venustissimi pueri.* Sed & vlterius procedit visio, quam dignam duxi hîc apponi propter admirabilem eius vim, quæ etiam mihi frigido, & tepido animos iniecit efficacissimos ad spiritualia persequenda. Inquit itaque: *Et mox conuocato populo ad spectaculum præsentatur, & indifferenter nulli tanta cœlitus visio denegatur. Hæc cùm audissem, fama vulgante, veni in oppidum, quod prædixi. Accessi ad Decanum Ecclesiæ, cui optimè notus eram. Petij videre miraculum. Annuens ille præcepit vt fieret, aper-*

ta est theca, concurrit populus, moxque vbi pixis reuoluitur, clamant omnes. Ecce iam video: Ecce conspicio Saluatorem. Stabam ego attonitus nihil videns nisi tantùm speciem panis albissimi, nihil quidem conscius mihi, quare sacro-sanctum corpus cũ cæteris non viderem. Nec diu mecum ista voluebam, cùm ecce vidi faciem in mensuram ætatis plenitudinis Christi spineam habentem in corpore coronam, & duas guttas sanguinis de fronte ex vtraque parte nasi per faciem descendentes. Mox igitur genibus flexis cum lachrymis adoraui. Surgens autem nec coronam in capite, nec sanguinem vidi, sed faciem hominis super omnem effigiem honoratam conuersam ad dexteram, ita vt vix dexter oculus videri possit. Nasus erat admodum longus, directus valde, supercilia arcuata, oculos simplicissimos, & demissos habebat, cæsariem longam super humeros descendentem, barbam intonsam, & sub mento curuatam exterminatamque sub rictu iocundissimi oris. Ex vtraque parte menti nudas prope à pilis habebat valliculas, vt in iuuenibus apparere solet, qui à puero barbam nutrierunt, frontem latam, macilentas genas, & collum longum cum capite parum inflexum. Hoc schema, hic decor benignissimæ faciei. Eam autem diuersi, diuersimode sub vnius horæ spatio videre solebant. Alij in cruce extensum, alij quasi ad iudicium venientem, plerique & hoc ex magna parte sub pueri forma viderunt.

4. Audi secundum exemplum Angeli pueri: Aderat sanctæ Franciscæ Romanæ (ait Andreas Valladerius in eius vita) à pueritia Archangelus perpetuus comes & protector castitatis, alba in-

dutus, nonnunquam cærulea. Et addit de hoc Archangelo, *statura puerum non excedebat.* Vidisti in superioribus Angelos senes, viros, iuuenes. De senibus vide caput 43. n. 2. & deinceps. De viris, in Daniele est, *Ecce vir Gabriel.* De iuuenibus, hisque pulcherrimis & speciosissimis, abundant testimonia, cùm in hãc formam sæpe dati Angeli. Iam de pueris, in sancta Francisca Romana, vides Archangelum factum vt puerum. Vt videas quoque hoc ad exemplum Christi factum, audi Societatis Nostræ annuas litteras Prouinciæ Goanæ anno 1609. quæ talem habent narrationem.

5. Benedictus de Goez natus in insula S. Michaelis, vicina Lusitaniæ, in Indiam militaturus soluit; vbi post aliquot annorum stipendia, mutato cõsilio Societatẽ nostram expetiit, in quam tanquam coadiutor temporalis admissus est. Mutationis porrò occasionem præbuit eiusmodi prodigiosus euentus anno 1543. Lusitana classis circa oram Trauancoram versabatur sesquimilliari ab oppido Colecth, tẽplum erat cuiusdam pagi, in quod cum Goesius ludis, & grauioribus vitæ militaris vitiis perdite addictus, & penè desperabundus ingressus esset cum commilitone, tabulæ altaris conspectu (illa depictam B. Virginis filiũ gestantis effigiem continebat) stimulis actus conscientiæ, procidit in genua, fusoque copioso lachrymarum imbre obnixè petiit à Deipara Virgine, vt à filio peccatorum veniam ac remissionem impetraret. Res mira, Ecce infantulus Iesus in brachiis matris efformatus vbertim lachrymas lactei coloris effundit, tam copiosas, vt vndi-

que in ſuppoſitum altare defluerent; ſcilicet vt pœnitens diſceret quàm pie pater miſericordiarum matris accedentibus precibus quodammodo compatiebatur. Rei nouitate attonitus vterque aliquot commilitones in templum aduocat, oſtentum explorant, comperiunt eum liquorem ex oculis picti pueruli emanare: dubitatione eximebat ſumma per eos dies ſiccitas, & æſtas in his locis præferuida. Intingũt ſtrophiolum eo liquore in pignus veritatis. Concurrere mox plurimi, & rem obſeruatam feſta bombardarum maiorum & minorum exploſione Claſſiarij omnes celebrarunt, ramisque templum ſatis alioquin deſpicabile, inumbrarunt. Id contigit Anno 1583. Et hoc anno 1609. facta diligenti inquiſitione à Patribus noſtris veritas comprobata eſt, cuius etiã veſtigia imago ipſa retinet. Hac ergo viſione compunctus Goiſius de tota vita apud Patrẽ ſocietatis cõfeſſionem inſtituit, religionis ingreſſũ vouit, & in Noſtrã anno inſequẽti, hoc eſt, 1584. ingreſſus eſt. Quis nõ ſtupeat ad has lachrymas? Felix Goeſius, qui tametſi initio fallax, in fine tamen ſobrius fuit, operante proculdubio Angelo.

6. Tertium exemplum Pueri Angeli eſt illud, quod B. Auguſtino contigit elaboranti librum de Trinitate, cui tale miraculum Deus oſtendit. Hipponenſis ciuitas Africæ nobilis, in qua B. Auguſtinus Epiſcopatum adminiſtrauit, ſuper littus maris pulcherrimè ſita erat. Auguſtinus in more habebat, vt poſt diuinum ſtudium & laborem, veſpere ſuper littus maris, ſequentibus à longe epiſcopis & clericis, qui pro conſilio &

negotio vniuersalis Ecclesiæ eum frequentabant, solus antecedens deambularet; ne scilicet eius contemplationem aut studium colloquentium fabulatio impediret. Cùm ergo sic solus incederet; puerulum miræ pulchritudinis super littus maris sedentem inuenit, qui facta in terra fossa paruula (sicut pueri in plateis ludentes solent) cochleari argenteo aquam de mari hauriebat, & in illam fossam paruulam effundebat. Quem vt Augustinus ita serio sedentem vidit, pedem mox pressit, & stetit. Procedens inde, salutat puerum, & inquirit quid agat, & puer cum magno serio respondit: Volo, inquit, totum istud exhaurire mare; & isti fossæ, si possem, infundere. Quo responso quasi puerili vir sanctus in risum decentissimum concitatus, respondit: &, quomodo, inquit, ô bone puer hoc poteris? ingēs est mare, & paruum cochlear, quo hauris; fossa verò paruula, in quam fundis? & mox puer: Possibilius, inquit, mihi hoc facere, quod intendo; quàm te implere, quod cogitas. Ad hoc Augustinus mirabiliter stupefactus, quid hoc esset, interrogat. & puer, cogitatu, ait, voluis, & altimas volumine breui concludere, quid sit illud indiuiduæ Trinitatis inexplicabile sacramentum; & hoc quidem ante quàm possis, isti paruulæ fossæ potius maris vndas infundam. Hæc dicens puer, repente disparuit. Augustinus verò Christum in facto glorificans, quàm verum puer dixerat, mox aduertit.

7. Accipe bina exempla breuissima Christi pueri. Stanislao Kostkæ Societatis Nostræ ægrotanti Virgo Dei mater paruulum filium in

sinu gestans præsens adfuit, consolans clientem suum, ac recreans: quem quo vberiori suauitate perfunderet, puellum Iesum in eiusdem lectulo collocauit. Inde omnis languor ab ægroto discessit. Præterea Virgo gaudium cumulauit, cùm monuit, vt Societati IESV se traderet, quod fecit. Alterum narratur in Chronicis S. Dominici de sancta Stephana de Sancino, eam cum aliquando Missæ sacrificio interfuisset, vidisse in sacra hostia puerulum admirandæ pulchritudinis, à cuius facie procedebant radij cor eius penetrantes: simulque audiuisse cantus suauissimos. Quam gratiam illi Deus concessit, propter victoriam, quam de diabolo, qui eam in sacramenti fide tentauerat, reportarat.

8. Quartum exemplum de Angelo puero narrant Antoninus. 1. t. tit. 8. cap. 2. & Petrus de Natalib. in hũc modum. Cùm duceretur B. Dorothea ad martyrium, capitis diminutione complendum, Theophilus quidam scholasticus dixit ei ridendo: Eia tu sponsa Christi, mitte mihi rosas aut mala de paradiso sponsi tui; cui illa respondit: planè hoc faciam. Cumque orasset Dorothea, ecce puer apparuit ante eam quasi quattuor annorum, ferens in sportula tria mala optima, & tres rosas (erat autem mensis Februarij, & totam Cappadociam glaciale frigus tenebat,) cùm illa; Obsecro te, inquit, vt illa Theophilo deferas, & dicas ei: Ecce quod à me petisti, vt tibi de sponsi mei paradiso transmitterem. Ipsa autem percussa gladio, cum triumpho martyrij perrexit ad Christum. Cùm igitur Theophilus narraret promissionem Virginis circunstantibus irridens, puer

ſtetit ante eum, & ait: Ecce tibi petẽti mittit Dorothea virgo ſacratiſſima quod promiſit de Paradiſo ſponſi ſui, qui accipiens ſtatim conuerſus eſt ad fidẽ Chriſti, quã etiam paulo poſt equuleo diſtẽtus, & capite trũcatus, egregie profeſſus eſt.

9. Hoc etiam ad exemplum Chriſti factum eſt, qui in forma puerili apparuit venerabili Patri Dominico Carthuſianorum Treberenſi, vt ait Dorlandus in Chron. Carthuſ. lib. 7. cap. 2. qui cùm vno dierum ſolus in cella ſederet ad menſam, quæ paupere erat cibo referta, cœpit attente cogitare quo pacto Ieſus infans voluit vbera virginea ſugere, panniculis inuolui, faciis ſtringi. Quod flens & lacrymans Chriſtus nuce potuit vel pomo quietari, vel prouocatus floſculis, vel munuſculis in gratiam reduci. Hæc vir ſanctus penſitans ad ſua peccata oculis reflexis, orat obnixe paruulum Saluatorem, vt offẽſus ſæpe ab eo ſecum velit in gratiam redire, dicens: Tu omnium dulciſſime paruulorum, cùm in virgineo matris ſinu recubares, paſſus te es pomis, & nucibus mitigari; quæſo te vt pro peccatis meis omnibus, quibus te, ô Deus, offendi, tanquam duo viduæ minuta, & tanquam quædam mitia poma, pænitentiæ meæ exiguum laborem libens lætusque ſuſcipias, & tuæ me gratiæ reconcilies. Hæc dicens: lachrymæ illi ab oculis decurrebant, & ecce humilium conſolator à ſupernis adueniẽs ſubiecto ſibi cuſſino ſuper menſam eius paruulus Ieſus inſedit, ſpecioſus nimis & admirabilis. Tũc oculis lætiſſimis faciem Dominici mentemque reſpiciens, ingenti cum lumine & exultatione impleuit: & loquens dulciter ad cor eius, ſcriptu-

rarum profunda, & quædam secretorum arcana illi patefecit. Dehinc cum suauitatis fragrantia superna repetiit.

10. Persistam in Annalibus, si non Carthusianorum, certe Cisterciensium, ex quorum notitia elicio Fastredum genere quidem nobilē, virtute tamen illustriorem, Camberonensem Abbatem, qui cùm de Clareuallensi Abbate eligendo conuentus haberetur, ad quem & ipse conuocatus esset, veritus (quod accidit) ne in defuncti locum eligeretur, ad ineunda suffragia interesse subterfugit, sed frustra: vna omnium voce summaque animorum consensione electus est Fastredus, quo nuncio accepto turbatus, animoque prostratus, Camberonam deserens, festino gradu vallem S. Petri vbi Carthusianorum monasterium visitur, petiit, ibique diebus aliquot latuit: dumque noctem precibus feruentissimis insistens diei coniungeret, in extasim rapto, Dei Mater Maria Angelorum Domina sese vnà cum vnigenito suo Iesu Christo, quem in vlnis gestabat, videndā exibuit: quā vir Dei aduertens, genibus statim in terram prouolutus, humillime rogauit, vt ipsius misereri dignaretur. Cui B. Virgo & Mater, O homo, inquit quid turbaris? Deinde onus nobile (si onus dici potest) quod in vlnis gestabat, veluti alteri Symeoni tradens, Accipe, inquit, filium meum, illiusque fidelem curam gere. Quibus factis, ex oculis fugit, ad seque vir Dei rediēs verbum hoc ab ore Altissimi prodiisse, illosqui suæ curæ committebantur, verè filios Dei, & membra Iesu Christi esse, intellexit.

11. Rem narrat mirabilem ex Ioanne Taulero Ludouicus Blosius de virgine Monacha, quæ diuino amore flagrans, optauit videre Christum. Cui statim adstitit petenti, forma pueruli: cumque ad commune opus cum festinatione accerseretur ex obedientia, paruulo Iesu ait: En dulcissime Domine mi Iesu Christe, pro explenda obedientia abeo; tu interim me hîc expecta, obsecro, si tibi placet, donec ad te redire liceat. His dictis, è cella exiit, & quod facere iussa erat, animo voluntario, hilarique vultu peregit: deinde magna cum celeritate ad cellam reuersa est; quam cùm aperiret, mira quædam & radiantissima lux oculis eius se ingessit, adeo vt vix eam sustinere posset. Vidit igitur amantissimum Dominum in perfecta ætate, tanquam elegantissimum iuuenem 24 annorum adstantem. Qui interrogatus ab ea, cur ex pusillo tam grandis factus esset, respondit: *Filia charissima, profunda velocis atque impigræ obedientiæ tuæ humilitas, me tam breui tempore tam grandem effecit.*

12. Hactenus persequutus sum, & enarraui sanctorum Angelorum puerilem formam, quibus annexui Christi Domini sub eadem forma exempla: nunc tendo ad alteram partem Capituli, quæ est de pueris martyribus, quibus sancti Angeli mirè fauent. Quam partem capitis consulto abscidi à capite trigesimo septimo, quod de Martyribus est, vt coniungerem omnia quæ ad pueros pertinent in hoc loco.

13. Incipio itaque à sancto Venantio puero quindecim annorum, qui sub Decio Imperatore & Antiocho præside, vnà cum aliis decem, glo-

riosi certaminis cursum ceruicibus abscissis impleuit, de quo Petrus hæc addit. Postquam fuisset in carcerem missus, fustibus cæsus fuit: sed ab Angelo confortatus est. Inde eductus, leonibus exponitur: sed ipsi eius pedibus procumbentes, mansuetissimi redduntur. Deinde pedibus appensus, capite deorsum verso, faculę ardentes eius vertici supponuntur. Et cùm hoc etiam genus supplicij tolerasset, manibus & pedibus extenditur, & ignis in eius ventre solummodo accenditur, & sic in mediis partibus diutiùs incensus affligitur. Nouissimè cùm omnia superasset, gladio caput eius præciditur: corpúsque ipsius in eadem ciuitate à fidelibus tumulatur.

18. Flocellus Martyr puer decennis, passus est apud vrbem Augustodunensem, temporibus Antonini Imperatoris sub Valeriano Præside. Cùm enim præses audisset, quod Flocellus sanctos Martyres in eorum passionibus confortaret, iussit eum teneri, & suspensum in equuleo diutius flagellari: deinde carcere vnà cum leone recludi, vt ab eo deuoraretur. Orante verò puero, leo subito moritur. Statimque septem lucernæ cum candelabris ei præsentantur: quarum lumine tenebræ carceris repelluntur. Quod audiens gentilis quidam, filium suum cæcum, surdum, & mutum ei obtulit. Cui sanctus Martyr confestim visum, auditum, & loquelam restituit: & ipsum cum patre ad Christum conuertit. Quæ cùm præses audisset, ipsum in ignem magnum extra vrbem mitti fecit. Sed puer ab Angelo sibi à dextris assistente hortatus ignem ingressus est; & continuo tempestate, & imbre valido ingruente, ignis

extinctus est. Quem præses iussit lingua & palmis clauis configi. Et dum nihilominus Christum confiteretur, stola indutus linea, feris in platea exponitur, & ab eis discerptus, martyrio coronatur. 14 Cal. Oct.

15. Non possum non recensere vitam sancti Marini, quam refert Vincentius in Speculo Hist. lib. 14. c. 58. à quo sumpsit Antoninus prima parte, & Marulus lib. 5. c. 5. ea autem vita longiuscula est: quoniam autem Angeli in ea visuntur, totam recensebo. Marinus puer Romanæ vrbis cuiusdam Senatoris filius fuit, qui capessendi Martyrij desiderio accensus à Martiano Præside comprehensus est. qui cùm interrogatus genus suum, seu conditionem, Christianum se libere profiteretur, & sacrificare, vt ei suadebatur, contemneret, nec minas timeret, iussu tyranni extensus est, & durissimis loris in dorso & ventre concisus: postea in carcerem trusus. Sequenti verò die in equuleo suspensus est, & corpus eius vngulis dilaniatum. Deinde serra lignea, cum lapide immisso desuper, facta est, vt super eum positas membra eius diuideret, quæ in nullo eum læsit. Post hæc iussus super craticulam igne supposito poni; sed statim fluuius de terra egrediens, ignem extinxit. Addidit tyrannus frixorium super ignem vehementem positum, & in eum mitti Marinum iubet. Qui in eo positus Deum glorificabat, & ad tyrannum aiebat: parasti carnes ad edendum, iam nunc accipe partem tuam aliquã, & ede, donec aliæ parentur. Hæc eo dicẽte, descẽdit ros de cælo, & ignem extinxit. Missus inde in caldariam pice plenam, igne succensam, vt capite in ea

merſo deficeret. Qui ſponte in caldariam ſe iniecit, ſed caldaria in duas partes ſciſſa eſt, & pix effuſa. Sanctus autem in medio ſtans, Deum glorificabat. Non contentus Martianus, arenam præparari iuſſit, ibique ad eum poſitum leonem & leopardum mitti, vt eum deuorarent. Quæ feræ inſtigatæ, de cauea exeuntes, ad ſanctum puerum acceſſerunt, & leo humeros eius blandiendo conſtringebat, pardus ad pedes iacebat. Et Tyrannus: quæ eſt iſta phantaſia quam video? cùm autem iuſſiſſet beſtias reduci in caueam ſuam, quantuncunque ad hoc moleſtarentur, non poterant à pedibus ſancti amoueri, ſed ſancto hoc eis iubente regreſſæ ſunt ad locum ſuum. Iterum ad eum mitti fecit leænam & vrſam, quæ currentes ad eum, ſciderunt veſtimenta eius, & corruentes ad pedes eius mortuæ ſunt. Poſt immitti fecit pardum, cum tigride, qui aſcendentes ad collum eius, complexæ ſunt eum, & vna ex eis ipſum oſculabatur, alia ſudorem de facie eius extergebat. Iuſſit & taurum adduci, & in dorſo cauteriari, vt magis fureret: ipſumque puerum ad cornua eius ligari: & ardentibus cornibus taurus non ſentiebat, nec cauterium curabat, ſed ſanctum Dei lingua lambebat. Poſt illa, in pyra lignorum accenſa fecit poni, nihilque illum tetigit ignis. Ex eo autem mouentes, miſerunt in caminum ſeu furnum ignitum, ſed Angeli duo deſcendentes ad eum, cum eo benedicebant Deum, nihilque doloris expertus eſt. Adductus inde eſt in templum Idolorum, factaque oratione, omnes dij corruerunt, & in puluerem redacti ſunt. Videns hoc Romanus populus, exclamauit: Verè magnus eſt

Deus Christianorum. Confusus ergo per omnia Martianus, mandauit eum decolari. Exultans autem Sanctus, ait: Veni pater gloriæ, accipe caput pueri tui. Pater quoque eius, & mater hortabantur eum felici agone cursum suum perficere, scientes eum suscepturum coronam victo rix. Qui oratione facta consignans se, pacem fratribus dedit, & flectens genua spiritum Dei reddidit. Scurra tamen iam mortuum percussit, & caput amputauit. Cùm autem præcepisset Martianus, corpus eius inter corpora latronum proiici, & custodiri, ne à Christianis acciperetur; facta inundatione aquarum & multiplicatione tonitruorum, & fulgurum, territi ministri fugerunt, & à fidelibus corpus acceptum sepulturæ est traditum. Martianus autem à Deo percussus terribili iudicio, vt vermes de ore eius ebullirent, coactus est confiteri Deum Christianorum verum esse Deum; & miserabiliter expirauit.

16. Ex Metaphraste dicam de Celso puero & sancto Nazario, qui Nazarius cùm obiret Galliæ ciuitates, accessit ad eum femina quædã illustris, & ex præcipuis Meliæ ciuitatis, adducens quem habebat filium, nomine Celsum iam tres annos natum, & deponit ipsum in eius manibus; sequetur te, hic puer, dicens, in omni vita, donec ipse quoque dignus euaserit, qui sistatur ante thronum Domini Christi, & illa quidem discedit. Nazarius autem infantulum lubenter accepit, quem propemodũ in vlnis circumferebat. Cumque preces dixisset consuetas, eum per baptismũ efficit Dei familiarem. Verum cum Neroni Imp. significatum esset de Nazario, isque vbique quæ-

reretur, comprehensus est facile; sed quem nullis vel promissis inducendum, vel minis frangendũ speraret. Iubet eum in profundum maris cum puero Celso iniici: cùm iam essent in profundo; & qui eos iecerant, crederent fortè vt à multis piscibus deuorarentur magna contentione, Angelica quædam virtus desuper aduolauit, & è profundo seruauit, & illęsos eos terrę reddidit puero Celso, propter ætatem adhuc imperfectam nauseâ & fastidio pleno, vt est consentaneum. Sed precibus & signo Crucis, & diuino osculo eum sanum reddidit Nazarius. Hoc item miraculo, serui Neronis, qui ipsos in mare demiserant, conuersi sancto adhæserunt; Sancti tandem capitibus amputatis martyrium consequuti sunt.

17. Sanctæ Eulaliæ vitam in compendium redigam, tantùm quæ ad Angelos pertinent, & alia quæpiam breuissime referens. Hæc cùm rumor percrebuisset, Datianum Hispaniæ Præsidem ab Imperatoribus destinatum, vt Christianam religionem penitus exterminaret, multosque Christi athletas fide & pietate robustissimos horrendis suppliciis excarnificaret; hæc virgo nobilis & diuitiis inclyta, spretis vitæ huius oblectamentis, sponte ad præsidem contendere, eumque tyrannidis arguere decreuit. At verò parentes eius de filiæ suæ dignitate ac vita corporali vehementer soliciti, eam domi, quam ruri procul ab vrbe habebant, inuitam retinuerunt, ne in apertum se periculum coniiceret, & crudeli morte, perpetuum parentibus atque cognatis luctum relinqueret. Itaque domi aliquandiu summo paren-

tum ſtudio & diligentia detenta, cum Chriſti amore æſtuaret incredibili, nocte quadam reſeratis clanculum foribus per mura ſentibus & vepribus plena ad vrbem, Angelico comitata præſidio contendit; & primo diluculo tribunal intrepidè adiens, exclamauit: Quis furor aut mentis inſania, mauos, ô ciues exagitat, vt mutis & nullo ſenſu prædictis ſimulacris honores ſupplici corpore deferatis? Dij omnes, Deæque nihil ſunt: ſed & ipſe Maximianus nihil. Mitto carnificinam in illam exercitam, quæ pice & viuá calce eam cremare intendit, & reliquos labores viragine dignos, & quos non alii toleraſſent, niſi quos diuina virtus per Angelos confortauit, quorum præſidio Dacianum increpauit. illis enim adiutoribus vicit, donec Cælum aſſequuta eſt.

18. Illud rarum eſt quod commemorabo, de puella quatuordecim annorum, quæ mortua eſt amore Chriſti, eſtque in Speculo exemplorum: ad quam rem ſancti Angeli operam ſuam exhibuerunt. Hæc virgo & puella rogauit Virginem Mariam ſeptem continuos annos, vt ſibi dignaretur oſtendere filium ſuum. Quæ cùm in vigilia Natiuitatis Domini orationis causâ, ſola capellam intraſſet, apparuit ei Virgo pulcherrima, tenens filium in manibus, & alloquuta eſt virginem Dei: Accipe filium meum, & lude cum Deo, quæ gaudens fecit. Cui puer; Diligis ne me? Et illa: Omnino. & ille: quantum? Tunc illa, Plus quàm corpus meũ. Cui puer: Si diligis me? Et illa plus quã cor meum. Et Ieſus ait: quantum plus corde tuo diligis me? & illa: Neſcio dicere, ſed ipſum cor loquatur. Quo dicto ſtatim cor eius

præ amore scisum est. Tunc B. Virgo, acceptam animam eius, in concentu Angelorum adduxit in Cælum. Ad cantum verò Angelorum familia accurrit, & virginem mortuam inuenientes, odore inenarrabili sunt repleti. Et Fratres Prædicatores qui aderant, cor eius aperientes, scissum inuenerunt, & in eo scriptum aureis literis: *Dilige te, plus quàm me, quia tu creasti, redemisti, dotasti me.*

19. Quin quod Bencius narrat de adolescentulo, cui in Collegio Coloniensi in Germania virgo se visendam præbuit simul cum Angelo custode, aggrediar. Hunc enim sedulo venerandis sanctorum imaginibus deditum, acutus morbus lecto affixerat: Ipse interea totus in Dei paræ cogitatione defixus, eam tantum habebat in ore, quam vnam habebat in mente. Pridie quàm migraret, matrem appellat, ait visam sibi Virginem cum filio, quibus additus erat Angelus minister, ab iis se accersi; proinde eam hoc supremũ orat, vt flosculos quos haberet domi acu pictos opere plumario, ad congregationem Dei matris mittat. Ipse postridie vultu in eam ipsam partem conuerso, vbi cœleste apparuerat visum, ridenti similis decessit.

20. Sanctus Gregorius Turonensis patrem sanat vt alter Tobias, idque Angeli monitu: Gregorius itaque prima characterum discebat elementa, cùm pater graui conflictatus ægritudine, lecto affixus iaceret: intimis ossibus ardor furere: humor fons podagricus intumescere, aridus ora vapor perurgere. Verùm ecce puero quidam per visum apparens, legisti, inquit, librum, Iesu Naue? ille. Nihil aliud litterarum attendo, præter notas,

quarum nunc exercitio constrictus affligor: vtrum verò sit hic liber, prorsus ignoro. Vade, inquit ille, fac hastulam ex ligno, quæ possit hoc recipere nomen, inscriptumque afflicti patris ceruicali suppones. Prima luce matri visum narrat, non suo, sed matris iudicio, rem gerendam ratus; iubet illa diuina impleri monita; & pater repente conualuit. Verùm post biennium rediit malum: apparet puero idem qui prius, sciscitatur num Tobiæ librum cognitum habeat. Nequaquam verò, ait puer: tum ille: Noueris hunc fuisse cæcum, & à filio iecore piscis sanatum. Tu ergo fac similiter, & sanitati restitues parentem: mater igitur iterum monitis diuinis parendum rata, seruos piscatum mittit: ingentem hamo adductum piscem exenterant, iecur prunis stillat, & vix nidor depositi parentis nares ferit cùm statim omnis abscedit dolor.

21. Maria de Oignies (vt refert Maurulus l. 4. c. 8. puellula duodecim annos nata, parentum (non sua) voluntate cuidam Ioanni nuptui tradita; vitæ districtione ac sanctitate commouit virum vt intactam dimitteret. In virginitate ergo perseuerans, multâ virtute, multisque miraculis celebris euasit; è vita decedenti, Christus, Angeli, Apostoli in visu apparuerunt. Quorum consolationibus iucundata, mortis angustias nō sensit. Solutam deinde à corpore animulam à B. Virgine cum Angelorum comitatu in cælum ferri conspexit Episcopus Tolosanus. Haud immeritò tantam consequuta est beatitudinem, quæ viro quidem iuncta virilem copulam non admisit, & matrimonij iugo, cui iam subdita fue-

rat, excuſſo, incorrupta & corpore & mente permanſit.

22. Sanctus Maclovius (vt ait Sigebertus) virginitatem amplectitur adhuc puer, frigus & inediam lubens tolerabat, ne ipſi carnis petulantia dominaretur. Vnicè enim quam Angelis eſſe gratiſſimam didicerat mentis corporisque caſtimoniam, diligebat, ideóque etiam tum perpetuam Deo vouit virginitatem, eamque vt minori cum periculo illibatam conſeruaret, Religionem puer ingreſſus eſt.

23. Beda in vita ſancti Cuthberti pueri narrat mira quædam de nauibus, quas ad littus reuocauit demerſas iam, initio autem ait oraſſe Dominum Angelicâ protectione fultum, vnde apparet reliquam narrationem tribuendam eſſe Angelis. Quoniam verò res eſt deuota, integram recenſebo: Deuotus Domino puer Cuthbertus, ſicut ipſe familiaribus ſuis atteſtari ſolebat, in anguſtiis ſe vallantibus, orans Dominum Angelicâ meruit opitulatione defendi: necnon etiam pro aliis in periculo conſtitutis ſæpe exaudiebatur. Eſt monaſterium non longè ab oſtio fluminis Thini ad meridiem ſitum, tunc quidem virorũ, nunc mutato (vt ſolet) per tempora, rerum ſtatu, virginum Chriſto ſeruientium nobili examine pollens; qui videlicet famuli Chriſti, dum ligna monaſterij vſibus per memorati alueum fluminis de longè ratibus veherent, iamque è regione eiuſdem monaſterij vehendo aduenirent; ac rates ad terram educere conarentur, ecce ventus ſubitò ab occaſu intempeſtiuus aſſurgens, abripuit rates, atque ad oſtium fluminis trahere

cœpit; quod vidẽtes è monaſterio fratres, emiſſis in fluuio nauiculis, eos qui in ratibus laborabant, adiuuare nitebantur, ſed fluminis ac ventorum violentiâ ſuperati, nequaquam valebant: vnde facta deſperatione humani adiutorij, confugerũt ad Diuinum; egreſſi namque de monaſterio, & labentibus in Oceanum ratibus, collecti in proxima abice flectebant genua, ſupplicantes Domino pro his quos in tantum mortis diſcrimen iam iamque irruere cernebant: ſed prouiſione diuina ſatis diu precantium vota ſunt dilata, vt videlicet quanta eſſet in Cuthberto virtus precandi, pateſceret, ſtabat enim in altera amnis ripa vulgaris turba non modica, in qua ſtabat & ipſe, quæ cùm à ſpectantibus cum triſtitia monachis raptas porrò cerneret naues, adeo vt quaſi quinque aues paruulæ (quinque enim erant rates) vndis inſidentes, apparerent, cœpit irridere vitam cõuerſationis eorum, quaſi merito talia paterentur, qui communia mortalium iura ſpernentes, noua & ignota darent ſtatuta viuendi. Prohibuit probra deridentium Cuthbertus, Quid agitis, inquiens, fratres, maledicentes his quos in lethum iã trahi videtis? nonne melius eſſet & humanius Dominum pro eorum deprecari ſalute, quàm de illorum gaudere periculis? at illi ruſtico & animo & ore ſtomachantes aduerſus eum, Nullus, inquiunt, hominum pro eis roget, nullius eorum miſereatur Deus, qui & veteres culturas hominibus tulere, & nouas qualiter obſeruare debeant nemo nouit: quo accepto reſponſo ipſe oraturus Dominum genua flexit, caput in terram declinauit, ſtatimque retorta vis ventorum rates

cum his qui ducebant gaudentibus integras ad terram eiecit, & iuxta ipsum monasterium in loco opportuno, erubescentibus de sua infidelitate rusticis,& Cuthberti virtutem deprædicantibus, deposuit.

24. Iam cùm sim in Cuthberto, placitum ex eodem Beda alia duo exempla recensere quæ pertinent ad Angelum custodem. Verum quia omni habenti dabitur,& abundabit, id est, habenti propositum amoremque virtutum harum copia superno munere donabitur: quoniã puer Domini Cuthbertus, qui per hominẽ accepit hortamẽta. sedulo corde retinebat,etiam Angelico visu & affatu confortari promeruit. Nam subito dolore genu correptum illius acri cæpit tumore grossescere, ita vt neruis in poplite contractis, pedem primo à terra suspensum claudicans portaret, dehinc ingrauescente molestia, omni pene priuaretur incessu. Qui die quadâm deportatus foras à ministris, atque sub diuo recumbens, vidit repente venientem de longe equitem albis indutum vestimentis, & honorabilem vultu: sed & equum cui insidebat, incomparandi decoris. Qui cùm adueniens mansueto illum salutaret alloquio, addidit quasi per iocum inquirere, si aliquid tali hospiti præbere vellet obsequium. At ille, iam, inquit, promptissime tuis cuperem adstare deuotus obsequiis, si non exigentibus culpis huius compede languoris retinerer. Diu namque est quod molestia genu tumentis oppressus, nulla cuiuslibet medicorum industria possum sanari. qui dissiliens equo, ac genu languidum diligentiùs considerans: Coque, inquit,triticeam in lacte farinam

& hac confectione calida tumorem supervnge, & sanaberis: & his dictis, ascendens equum, abiit. Ille iussis obtemperans, post dies paucos sanatus est, agnouitque Angelum fuisse, qui hæc sibi monita dedisset, mittente illo qui quondam Raphaelem Archangelum ad sanandos Tobiæ visus destinare dignatus est. quod si cui videtur incredibile, Angelum in equo apparuisse, legat historiam Machabeorum, in qua Angeli in equis & ad Iudæ Machabei, & ad ipsius templi defensionem aduenisse memorantur.

25. Videt Cuthbertus animam sancti Aidani in cælum ab Angelis deferri. At vbi gubernatrix vitæ fideliũ gratia Christi voluit famulum suum arctioris propositi subire virtutem, altioris præmij gloriam promereri, contigit eum remotis montibus commissorum sibi pecorum agere custodiam: qui dum nocte quadam dormientibus sociis, ipse iuxta morem peruigil in oratione duraret, vidit subito fusum de cœlo lumen, medias longæ noctis interrupisse tenebras, in quo cælestium choros agminum terras petisse, nec mora rapta secum anima claritatis rediisse ad patriam: Compunctus est multum hoc visu Deo dilectus adolescens ad subeundi gratiam spiritualis exercitij, ac promerendæ inter magnificos viros vitæ felicitatisque perennis, confestimque Deo laudes gratiarumque referens actiones, sed & socios ad laudandum Dominum fraterna exhortatione prouocans: Heu miseri, inquit, qui somno & inertiæ dediti, non meremur semper vigilantium ministrorum Christi cernere lucem. En ipse cum modico noctis tempore peruigil orarem, tanta

Dei magnalia conspexi; aperta est ianua cæli, & inductus illuc Angelico comitatu spiritus cuiusdam sancti, qui nunc nobis in infima caligine versantibus supernę mansionis gloriam, ac Regem illius Christum perpetuo beatus intuetur: & quidem hunc vel Episcopum quemlibet sanctum, vel eximium de fidelium numero fuisse existimo, quem tantæ splendore lucis, tot ducentium choris Angelorum cælo illatum vidi. Hæc dicens, vir Domini Cuthbertus, non parum corda pastorum ad reuerentiam diuinæ laudationis accendit, agnouitque mane facto antistitem Lindisfarnensis Ecclesiæ Aidanum magnæ vtique virtutis virum, per id temporis quo viderat raptum de corpore cælestia regna petisse, ac statim commendans suis pecora, quæ pascebat dominis, monasterium petere decreuit.

26. De sancto Hilario Abbate. Hilarius Abbas, tēpore Theoderici Regis Longobardorum claruit. Hic de Tuscia oriundus, dum puerulus Epistolas Pauli legeret, diuino spiritu inspiratus, & à seniore de vita solitaria informatus, annorum tredecim relicto sæculo Deum orauit, vt eum ad locum duceret, vbi solitarius Deo seruire posset. Cui Angelus Domini apparuit, ipsumque de vrbe Roma, in qua habitabat, eduxit, & vsque ad montem Emiliæ ei ductor extitit, vbi in sanctitate vitæ Deo soli vacare cæpit.

27. De visione Alberici pueri ita refertur lib. 4. Chronici Casinensis cap. 68. *Huius tempore, in Campaniæ prouincia insigne miraculum, & antiquis per omnia simile contigit. Namque in castro Sanctorum septem fratrum Albericus quidam no-*

bilis puer cum decimum ageret ætatis annum morbo correptus ad extrema perductus est. Quo tempore diebus nouem, & totidem noctibus immobilis, ac sine sensu quasi mortuus iacuit. Hoc autem interuallo à B. Petro Apostolo duobusque Angelis per loca pœnarum deductus ad infernale baratrum deuenit, demum ad paradisi amœna delatus vidit sanctorum mansiones; at ue in cælum sublenatus aëreum, & à B. Apostolo sufficienter edoctus, de veteri testamento, de peccatorum pœnis, gloriaque sanctorum vidit arcana quædam, quæ loqui prohibitus est. Sicque per septuaginta duas prouincias ab eodem Apostolo deductus vitæ redditus est.

Angelica salutatio magnæ dignitatis, & Angelicus habitus sumptus pro Religioso.

CAPVT XLV.

1. DIgnitas Angelicæ salutationis magna fuit, ex quo Gabriel Virginem salutauit. Cæsarius lib 7. cap. 50. iuxta Ecclesiam sancti Seuerini in Colonia inclusus quidam habitabat Marsilius nomine, in Tuscia ad sanctum Sebastianum quandoque Episcopus, & tempore schismatis, quod fuit inter Alexandrum & Paschalem, ab ipso Alexandro depositus. Hunc cũ matronæ ciuitatis frequentarent, & vna ei confessa fuisset, quod Dominæ Nostræ nomen dicere non posset sine quadam mira dulcedine, de caussa tantę gratiæ requisita respondit. Singulis dieb⁹ in honore eius quinquaginta Aue Maria, cum totidem veniis dicere consueui, per quæ

tantam dulcedinem meruit, vt omnis oris mei labia orationis tempore in mel videatur conuersa. Quod cum audisset iam dictus inclusus, exemplo deuotæ fœminæ, vbi per sex hebdomadas Angelicam salutationem præfato modo & numero compleuerat, ecce tantam dulcedinem sentire cepit in illius dulcissimę salutationis prolatione in ore & gutture, vt mellis dulcedinem longe transcenderet ipsa dulcedo. Eandem dulcedinem meruit de ordine nostro quidam monachus, exemplo illius prouocatus. Hæc mihi relata sunt ab eodem incluso. Ecce his tribus exemplis ostensum est nomen eius esse super mel dulce, & quod hereditas eius sit super mel & fauum.

2. Idem lib. 8. cap. 8. in Francia virgo quædam Christum in ætate trium annorum quando iam loqui per naturam poterat, videre desiderans, hoc vt fieret precibus instabat. Erat enim tam perfectæ vitæ, vt non immerito talia præsumeret, & exaudiri speraret. Die quadam cum dicta Missa, ipsa, populo omni egresso, sola in Ecclesia moram faceret, & oraret, infantē quasi triennem circa altare deambulantem conspexit, putans à matre illum ibidem neglectũ. Erat autem speciosissimus, & tantæ gratiæ vultus eius, vt in illius aspectu delectata ad se vocaret, & manibus demulceret, sic dicens: Dic mihi bone puerule, vbi est mater tua? Qui dum ei nihil responderet, æstimans illa, vtpote infantem, cum nondum posse fari, subiunxit: Nosti dicere Pater Noster tuum? Ad quod dum non responderet, vt prius adiecit: Dic post me, Aue Maria,

gratia plena, Dominus tecum. Et dixit post eam infatulus eadem verba, tam hilariter & tam distinctè, vt illa miraretur. Similiter factum est de clausula secunda scilicet, Benedicta tu in mulieribus. Cùm verò ei prædiceret: Et benedictus fructus ventris tui; totius humilitatis magister, sua inspiratione sciens scriptum: Non te laudet os tuum, sed alienum, eandem clausulam dicere noluit; sed mox, illa intuente, per ostensam formam cœlos penetrauit. Tunc primùm virgo venerabilis se exauditam intelligens, gratias egit Christo, qui tam celeriter impleuit desiderium suũ ex semetipso. ipse re vera Dominus IESVS est fructus ille benedictus, de quo Isaias cecinit: Et erit fructus terræ sublimis, fructus terræ, filius Mariæ. Benedixisti, inquit Psalmista, Domine terram tuam. Non poterit gignere terra benedicta nisi fructum benedictum.

3. Tantæ autẽ efficaciæ est Angelica salutatio, vt fuget tentationes dæmonum, quapropter idẽ Cæsarius narrat lib. 7. cap. 33. de quodam milite ætate adolescentulo, qui simul habitabat cum alio milite, cuius beneficiatus erat, qui licèt floreret ætate, magis tamen florebat virtute virginitatis. Inuidia operante diaboli, de vxore domini sui grauissimè cepit tentari: qui cũ per annũ eadẽ incessanter tentatione laboraret, iãque ei intolerabilis esset, submotâ verecundiâ, dominæ suæ quid pateretur aperuit: à qua repulsam passus, ampliùs affligebatur; casta enim erat matrona, & viro suo fidelis. Veniens ad quemdam heremitam, à cuius consilio totus pendebat, passionem suam illi cum lacrymis confessus est: cui vir

ſanctus fiducialiter reſpondit: O nihil aliud nocet tibi? Ego tibi dabo conſilium, vt deſiderium tuum conſequatur effectum. Per annum iſtum ſingulis diebus, ſi fieri poteſt, in Eccleſia Dominam noſtram Dei genitricem Mariam centies cum totidem veniis Angelico verſiculo ſalutabis, & quicquid volueris, per eam impetrabis. Sciebat enim quod caſtitatis amatrix iuuenem caſtū, licèt in errore poſitum, non deſereret. Cumque iuuenis in multa ſimplicitate Dominæ Noſtræ iniunctum obſequium impenderet, die quadam ſedens in menſa domini ſui, recordatus eſt, quia dies eadem terminus eſſet anni: & ſtatim ſurgēs aſcendit equum ſuum, vicinamque intrans eccleſiam, orationes ſolitas expleuit; qui cùm exiret de eccleſia, vidit matronam pulcherrimam, omnem decorem humanum tranſcendentem, equū ſuum per frenum tenentem; miranti quænam eſſet, illa reſpondit: Placetne tibi ſpecies mea? dicente milite: nunquam pulchriorem te vidi. Illa ſubiunxit: Sufficeret tibi ſi me poſſes habere vxorem? Qui cùm reſponderet: Cuilibet Regi bene ſufficeret ſpecies tua, & beatus iudicaretur tuo conſortio. Subiecit illa: Ego ero vxor tua, accede ad me, & da mihi oſculum, & coëgit eum, dixitque: Modò initiatæ ſunt nuptiæ, & in tali die coram filio meo perficientur. Ex quo verbo cognouit eam eſſe Matrem Domini, cuius caſtitas humanæ congaudet integritati. Apprehendensque ſtrepam equi eius, vt aſcenderet præcepit, cuius auctoritate miles preſſus, obediuit. Ab illa hora tam plenè à tentatione prædicta liberatus eſt, vt etiam vxor Domini ſui miraretur. Hoc cùm he-

remitæ recitasset per ordinem, ille Genitricis Dei pietatem simul & humilitatem admiratus, respõdit: Ego interesse volo diei nuptiarum, interim de rebus tuis disponas. Quod cùm fecisset, & heremita venisset ad diem præfixum, dixit iuueni: Sentis aliquid doloris? Respondente illo, non: cùm secundò post horam idipsum ab eo sciscitaretur, respondit: modò sentio. qui post paululum agonizans spiritum exhalauit, & cælestem thalamum, promissas nuptias celebraturus, intrauit.

4. Ad martyrium præparat, quod visum in Francisco & Matthæo Arimandoni Ioannis filiis, quæ res ex litteris Societatis Iesu anno 1613. gesta est hoc modo: Arimandonus Ioannes ex Iusta secunda vxore susceperat filios Franciscum & Matthæum: ille erat octennis, iste sexennis; vterque egregiæ indolis, qui iussu Arimandoni Michaelis natu maioris fratris impiè necati sunt, hac ratione. Arimandonus dum in curia subsistit, Gubernatoribus per litteras mandat, vt quamprimùm & secretò Franciscum & Matthæum occidant. Gubernatores in tenebrosam domum detrudunt infantes, dumque inibi inclusos per quadraginta dies detinent, falso rumore in vulgus spargunt, infantes Meacum versus cum sororibus profectos. Innocentes pueri pro suo se modulo ieiuniis & orationibus adeò strenuè exercuerunt, vt aduentantem mortem præsagire viderentur, aut peculiari Spiritus Sancti instinctu ad hæc moueri. Neque hæc omittenda, quæ ab his gesta sunt ea ipsa nocte qua necati sunt. Cœnæ instabat hora cũ Franciscus ad suos cõuersus: ego, inquit, in pœnam criminis, quod hodie ad-

misi,abstinere cogito. Forte militi cuidam per iocum caput attrectauerat manu, eaque re eum contristasse ratus, tantum crimen ieiunio vindicandum statuerat. Verum hunc ex animo eius scrupulum euulsit ille ipse miles, nihil se ea re læsum asserens, vnà cum Matthæo cænaret, rogat obnixe, & ille acquieuit homini. Itaque Matthæus cubitum discesserat, cùm Franciscus quinquies, prouolutus in genua, recitauit salutationem Angelicam: & eo penso absoluto, meditabundus aliquandiu steterat, cùm ad Ignatium (erat hic honorarius puer) heus tu, inquit, ego cruciatuũ Christi in cruce acerbitatẽ paullo ante meditans, lachrymas tenere non potui, eorum vicem dolens, qui tantum beneficium non agnoscunt. Fleuit vbertim Ignatius, tam maturum in tam immatura ætate iudicium admiratus. Cùm ergo tantum deuotionis sensum cerneret Ignatius in Francisco, vt eum ad mortem, quam imminentem sciebat, pararet, ita eo audiente, B. Virginem est precatus: Sanctissima Deiparens Virgo Maria, per acerbissimæ Passionis Iesu Christi filij tui merita, te supplex rogo, vt si fortè me hac nocte mori contigerit, mei memineris: Pia Mater, tuis virgineis manibus animam corpusque committo. Hæc eadem verò ingenti animi sensu iterauit Franciscus, & trigesies ter Iesu & Mariæ nomina inuocauit; quæ cùm auctore Ignatio quinquies iterum repetiisset, lustrali aqua frontem muniens, se ad somnũ composuit. Intereà Ignatius magno animi sensu, atque ingenti lachrymarum vi orare perseuerauit pro his, quos antequam euigilarent, trucidandos nouerat. Plurima igitur nocte ingre-

ditur miles, Matthæum pugione transfuerberat, Franciscum iugulat: & in hunc modum innocentes pueri dormientes hanc vitam cum æterna procul dubio commutarunt.

5. Quin illud lubet adnotare ex epistola Iaponica Patris Cosmæ de Torres anno 1561. cùm æris sonitu signum ad orationem datur, magna alacritate ad orandum in genua sese prouoluunt etiam pueri, qui per ætatem rationis vixdum capaces videri possunt, parentum studium imitantes. Puella quædam Christi sacramento imbuta, cum ad vinum afferendum emissa esset, & vino iam prompto, forte ad salutationem Angelicam signum ære campano daretur, statim humi deuolutis genibus preces fūdere cepit, nec sese erexit, priusquam quinque orationes Dominicas, & totidem salutationes Angelicas recitasset. Quæ res circumstantes Gentiles vsque ad stuporem commouit: adeò vt dixerint, non esse alium Deum Christianorum similem, quandoquidem quisque Christianorum vsque ad infantes suis moribus aliis exemplum præberet.

6. Adiungam his pueris alium puerum admirabilē Aloysium Gonzagam ex Nostra Societate; qui, vt Cæparius in eius vita scribit lib. 1. cap. 1. vix dum fari poterat, cùm & ipsamet illum mater manus in speciem Crucis ducere, sanctissimū Iesu & Mariæ nomen pronuntiare, orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, aliasque preces de memoria dicere cōsuefecit. Quibus piæ matris studiis factum est, vt tantam erga Deum, sanctosque reuerētiam, & præcipuè erga matrem Domini indueret, vt testatæ sint ancillæ, quibus

eum vestire & exuere negotium erat, singularem se in eo etiam infante religionem, Deique timorem comperisse. Neque desunt, qui iurati affirmant solo se eius amplexu perinde intimo pietatis sensu affectos esse, quasi cælestem aliquem Angelum brachiis sustinerent. His præludiis Aloysius ad tantum sanctitatis gradum ascendit, vt vix credi possit.

7. De sancta Catharina Senensi, inquit Surius, quod multæ puellæ ad eam confluebant, vt salutiferis eius sermonibus fruerentur,& pia studia imitarentur;à quibus cum vellet,nunc orationem Dominicam, nunc salutationem Angelicam exigebat,& quinque non amplius annos nata Angelicam salutationem edocta, illam crebro repetebat; cùm deinde cælitus permota cepit gradus ascendendo ac descendendo ad singulos singulas flexis geniculis Virgini Matri salutationes promere. Quid de S. Clara dicam? quæ cum signacula illa, quæ Rosaria nuncupamus, ad manum non haberet,velletque seriem consuetarum nuncupationum B. Virg. Mariæ annumerare, congerie lapillorum orationum numerum signare consueuerat. quid de S. Margarita Hungarica? quæ in singulis festiuitatibus B. Virginis, ac intra Octauas,offerebat eidē sanctiss. Virgini mille salutationes Angelicas,ad singulas quasq; humilillimè se prosternēs. quid de S. Lyduuina? quæ iuuencula fratribus suis duobus prandium ad scholas deferēs, antequā domum rediret, Ecclesiam desideranter intrans Virginem Mariā visitabat, & eandem per Angelicam salutationem, prout poterat, deuotè studebat honorare. Et hoc quidem

dem bonum & laudabile initium in puerili ætate lucebat, quod maioris gratiæ futuræ, ab initiis adolescentiæ eius vsque ad terminum vitæ, præsagium erat. Cum ergo de moroso reditu à matre comperetur, respondit Columba sine felle, Ecclesiam ad salutandum Virginem se intrasse, illamque sibi vicissim arrisisse. Quo audito mater eius satisfactionem accepit, & benignè contenta ab ea quieuit. Dilecta enim & vnica filia erat, & in opere Dei, & B. Virginis decenter est inuenta, nec ob id à sua deuotione reprimenda.

8. De fugato dæmone ad Salutationem Angelicam exemplum est apud Cęsarium lib.3. cap.13. huiusmodi. Erat in Bonna Coloniensis diœcesis monialis quædam Alheydis nomine, cui sæpiùs dęmon apparebat. Die quadam cùm stans in dormitorio de fenestra prospiceret, & contemplata esset iuuenem, imò de iuuene dæmonem stantem iuxta puteum muro dormitorij contiguum, qui ea vidente vnum pedem super lignum, quo ambiebatur puteus, posuit; & altero se quasi volitando ad ipsam in fenestra deposuit; quam cùm extensą manu per caput rapere conaretur, territa retrorsum cecidit, & clamauit, veluti exanimis facta. Audito eius clamore accurrerunt sorores, in lectulum suum illam reclinantes. Recedentibus illis, cùm paululùm respirasset, solaque iaceret, dæmon iterum adfuit, & verbis quibusdam amatoriis eam sollicitare cepit: quæ cùm contradiceret, intelligens spiritum eum esse malignum, respondit ille: Bona Alheydis, noli sic dicere, consenti mihi, & ego te habere faciam virum honestum, probum, nobilem, diuitemque. Quarę

ſame te crucias in hoc loco paupere, vigiliis, aliiſque multis ante tempus te interficiendo? Reuertere ad ſæculum, & vtere deliciis, quas Deus homini creauit, nihil tibi, me duce, deeſſe poterit. Tunc illa: Doleo quod tam diu te ſecuta ſum, recede, quia non acquieſcam tibi. Poſt hæc verba, dæmon naſum emungens contra eam, ipſam immunditiam ad parietem lecti tam fortiter proiecit, vt pars aliqua reſiliens veſtimento eius adhæreret, ſicque diſparuit: eratque emunctio ipſa ſicut pix nigerrima, & tanti fœtoris, vt tolerari non poſſet. Deinde cùm ſpiritus ille nequiſſimus die noctuque eſſet ei infeſtiſſimus, ſuaſerũt quædam ex ſororibus, vt aquam benedictam ſemper paratam haberet, qua venientem aſpergeret: aliæ verò, vt eundem, ſi aquam non timeret, thurificaret. Omnia quidem hæc tentauit, ſed modicũ ei profuit. Nam quoties contra ſe ſignum Crucis factum vidit, aſperſionem etiam, ſiue thurificationem, ad modicum quidem ceſſit, ſed ſtatim rediit. Tunc vna cæteris ſororibus ætate maturior atque prudentior, ſuaſit ei, quatenus dæmonem propiùs accedere ſineret, & tunc altâ voce ſalutationem Angelicam in eius facie iacularet. Quod cùm feciſſet, diabolus, ac ſi ſagitta eſſet percuſſus, vel turbine impulſus, aufugit; nec vnquã propiùs ei ex illa hora accedere præſumpſit.

¶ 9. Idem lib. 5. cap. 44. narrat Euphemiam ſimili caſu à dæmone liberatam, quæ cùm eſſet ſanctimonialis puella paruula in domo patris ſui, diabolus illi ſæpiùs in diuerſis formis viſibiliter apparuit, & teneram eius ætatem diuerſis modis terruit, ac contriſtauit. Quæ cùm incurrere ti-

muisset amentiam, ad ordinem nostrum conuerti proposuit, verbis voluntatem exprimens. Nocte quadam in specie viri diabolus illi apparens, conuersionemque dissuadēs, ait: Euphemia, noli cōuerti, sed accipe virum iuuenem pulchrumque, vt cum illo deliciis mundi fruaris, vestes enim pretiosæ, & cibaria delicata non deerunt tibi. Si autem intraueris Ordinem, semper eris misera & pannosa, famem, sitim, frigusque patieris, nec vnquam de cætero bene tibi erit in hoc sæculo. Ad quod illa respondit: Quid de me tunc erit, si in illis delitiis, quas tu mihi promittis, mortua fuero? Ad quod verbum Diabolus nullum respōsum dedit, sed puellam rapiens, & vsque ad fenestram solarij in quo iacebat, deportans, præcipitare eam conabatur. Quæ cùm angelicam salutationem diceret, inimicus eam dimisit, & ait: Si ieris ad claustrum, semper tibi aduersabor: quod si in hac hora mulierem illam non inuocasses, occidissem te. Et hoc dicto, valde virginem comprimens, in canem maximum transmutatus, de fenestra exiliuit, & nusquam comparuit.

10 Idem lib 7. cap. 26. retulit mihi Vualterus de Birbach monachus de Hemmenrode, diabolum cuidam conuerso ordinis nostri ita fuisse infestum, vt non per signationem, non per aliquam orationem ab illo posset liberari. Visibiliter illi apparens, multis modis eum terruit. Suasum est ei à quodam viro religioso, vt Angelicam salutationem contra occurrentem proferret. Quod cùm fecisset, malignus spiritus, quasi turbine impulsus, clamauit: Diabolus dentes ei excutiat, qui te hoc docuit, sicque liberatus est ab eo.

11. Scribitur in lib. qui dicitur Scala cæli, quod cùm quædam mulier docuisset puerum suum salutationem B. Virginis, & quod quandocunque timeret, vel in aliqua necessitate fore contingeret, eam diceret. quadam vice dum cum aliis pueris iuxta flumen luderet, subitò à flumine rapiuntur incidentes, & cùm alij clamarent, iste salutationem Virginis, prout fuerat edoctus, dicebat. Tunc vna pulcherrima domina ad eum accessit, & in flumine eum confortauit; & fouit, aquisque iam transactis puer saluus & incolumis apparuit. Et dum ceteræ matres natos suos requirerent, inuenerunt submersos. Iste verò narrauit quomodo protegente pulcherrima Domina, i. B. Maria fuerit protectus, & liberatus, & sic in laudes Virginis omnes proruperunt.

12. Cæsarius lib. 7. cap. 29. Adam sacerdos & monachus in Lucka, cuius supra memini cap. 17., considerans me in huiusmodi miraculis delectari ex multa charitate mihi de seipso retulit, quod dicturus sum: Cum inquit, essem puer, ita caput habebam scabiosum, vt præ fætore putredinis eius mecum sedere vel legere scholares recusarẽt. Prima oratio, quam didici, salutatio erat Angelica, adhuc puerulus satis eam frequentans, cùm apud monasterium Vvestphaliæ positus fuissem ad litteras, & eũdo ad scholas siue ad matutinas quotidie transirem per quandam ecclesiam conuentualem ex necessitate viç sine intermissione ad oratorium, in honorem Dei genitricis Mariæ dedicatum, cum tribus veniis, totidem feci salutationes. Nocte quadam putans ad matutinas fuisse compulsatum, surrexi tremens, & cùm venissem ad

iam dictum monasterium, essetque oratorium clausum tribus vicibus, secundùm consuetudinem, genua flectendo, Dominam nostram Angelico versiculo salutaui; surgens verò, inueni ostium apertum, & tanta erat in ecclesia claritas, vt fulgori meridiano assimiletur: quam cùm stupidus intrassẽ, vidi ante maius altare sep.ẽ matronas pulcherrimas residẽtes, vnã in medio, quę cęteris clarior erat, & sex hinc inde, id est tres à dextris, & tres à sinistris. Media verò me vocans, cũ propiùs accessissẽ, ait: Bone puer, quare nõ adhibetur cura capiti tuo? Respõdẽte me, Domina, satis circa me laborauerũt amici mei, sed nihil profecerunt, subiunxit illa: Nosti quæ sim? cui cùm dicerem: non Domina, Respondit: Ego sum mater Christi, & Domina huius oratorij: quia mei memoriam solitus es habere, ego tibi curam adhibeo: Accipe fructus ligni Susilis, & fac tibi hodie ex eo lauari caput tribus vicibus ante Missam, in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, statimq; curaberis, & adiecit: ad me accede Adã, quod & feci. Flectente me coram ea genua, manum super caput meum ponens, ait: Ab hac hora vsque ad diem mortis tuæ non dolebis caput. Manè vero cuidam fratri, qui me nutriuit, omnia retuli, qui in vallem proximam descendens, & ostensos fructus colligens, prædicto modo caput meum lauit, statimque conualui. Dolorem verò capitis nunquam ab illa hora passus sum, cùm tamen hoc in ordine satis sit miraculosum.

13. In Chronica Franciscana legitur, quod quo tempore S. Bernardinus Patauij concionabatur, nobilis quædam matrona prolibus suis eum indi-

derat morem, vt quotidie antequam litterarum peterent ludum, flexo in terram poplite, & complicatis manibus, coronam precatoriam in honorem V. Matris euoluerent. Cùm ergo penſo abſoluto de more ſcholas pariter reuiſerent, eorum vnus ex ponte præceps delabitur: quo audito pia mater, non ad filium pereuntem, ſed ad commune pereuntium perfugium Mariam confugit. Mater Dei, inquit, tu mihi ſolamen vnicum ſemper fuiſti, ſubueni etiam nunc afflictæ; & filium, ſi placet, fluctibus eripe. His dictis orationem Dominicam, & ſalutationem Angelicam ſubiungit, ad fluuium properat, vixque adfuit ipſa, cùm ſuper aquæ faſtigium fluitat puer matrem compellans. Ad ripam ergo facili agmine ductus, matri reſtituitur incolumis: & illa, ô fili, inquit, Virginis Mariæ ope tot caſibus erepte! ô Mater, ſubdit ille, ſcito venerandam illam Dominam, ante cuius imaginem Coronam globulis precariis diſtinctam quotidie percurro, ex vndarum vorticibus me eripuiſſe. Quo quidem miraculo factum eſt, vt non parum creuerit ardor apud multos recitandi ad eum modum Roſarij.

14. De iuuene quotidie tria roſaria recitante, qui reuixit, & pœnitentiam egit, ita ait Cantipratenſis lib.2. cap.29. num. 8. Quid iterum de triplici quinquagena in ſalutatione verſus angelici, Aue Maria, anno ab Incarnatione Domini M. CC. LI. contigerit, referamus. Vidi & cognoui iuuenem in Brabantiæ partibus generoſum, qui quamuis eſſet totaliter ſæculo deditus, Beatæ tamen Virgini Mariæ deuotus, quotidie tres dictas quinquagenas in ſalutationibus exoluebat. Infir-

matus autem ad extrema perductus est. Cumque per horas diei plurimas mortuus iacuisset, reuixit subitò, & sorori moniali, quæ iuxta se sedebat, inclamauit dicens: Soror, ecce redij, citò aduocari facias sacerdotem. Mirantibus omnibus presbyter aduocatur, & in magna cordis lætitia palam omnibus confitetur, dicens: Ad tribunal Christi iudicis raptus, cùm in tribus maximè à dæmonibus accusarer, ferrique deberet sententia contra me, piissima Christi Mater rogauit filium, vt ad corpus reducerer locum pœnitentię suscepturus. Nec mora factum est vt rogauit. Vnum de peccatis erat, pro quo damnandus eram, quia decimas de bonis & agris meis sacerdoti subtraxeram. Secundum erat, quòd cum sodalibus meis pisces quorumdam Religiosorum furto subtraxeram. Tertium erat, quòd segetes, & fruges pauperum cum canibus venaticis vagabundus destruxeram. Hæc cùm coram omnibus loqueretur, quidam ex mansionariis respondit: Et cur, inquit, pro damno isto extremo damnandus eras, cùm nos omnes illud vobis puro corde remiserimus? Et ille: Mihi quidem vestra remissio nequaquam suffecerat ad salutem, cùm copiosior essem vobis in iniuriis refundendis, quàm vos mihi in iniuriis dimittendis, & his dictis restituenda damna protinus assignauit, sicque disponens rebus, & domui, in spe, & pace mirabili spiritum exhalauit.

15. Idem narrat de Monacho quodam Cisterciensi, è cuius demortui ore processit arbor, cuius foliis, aureis literis insculptum erat *Aue Maria*. Hinc de ipso versiculo Salutationis Angelicæ ali-

quod specialius attollamus, potissimum etiam laudis eius illud Euangelicum reputamus, in quo eam decentissime Paranymphus Gabriel honorauit. Et ad hoc quod iam à Cisterciensibus tam plane miraculum recitatur. Erat quidam emeritæ militiæ veteranus, qui sæculo etsi tarde renuncians sanctum Cisterciensium ordinem introiuit. quæsitus autem à Magistro Nostro Nouitiorum, si sciret Orationem Dominicam, scilicet Pater noster, negauit, numquam se discere potuisse contestans. Quid plura? fit labor inanis vt discat, & cùm non posset, præcepit Abbas, vt saltem illi breuem Angelicę salutationi versiculum inculcarent. Quod etsi multo, & diuturno labore, factum est tamen. Cum enim ad exhortationẽ magistri sui ipsum versiculum inter prandendum ad vnamquamq; buccellam fere, ne obliuioni traderet, ruminaret, ex frequenti, & longo vsu, tanquam in ipsa salutatione mentis concepit dulcedinem, vt cordi eius, & ori sola memoria Matris Christi, quamquam alias auccatus indelebiliter adhæreret. Contigit ergo, vt post aliquanta annorum curricula veteranus ille deuotissimè moreretur, & inter fratres in cæmiterio sepeliretur. Mira res, de tumulo eius non multo post à parte capitis arbor nasci ignoti generis visa est, cuius folia literis aureis insignita, *Aue Maria gratia plena*, notabiliter singula continebant. Quod vbi notum fit diœcesano Pōtifici, ad locum venit, ipse miraculi radicem arboris per effosionem diligenter scrutatus est, & eam de ore veterani illius ortum habere probauit. Nec mora, vbi diuinæ ostensionis arbuscula debitum officium exe-

cuta eſt, in oculis omnium aruit,& defecit. quicumque igitur Matri Chriſti cupis eſſe deuotus, ſalutationem iſtam frequens, & deuotus ingemines, nec credo, quidquam illi gratius vocalis laudis offerri. Aliud exemplum eiuſdem fere materiæ eſt in Alano, quod quia peculiarem habet guſtum ſpiritus, & aliquam ſuperadditam circunſtantiam, ipsũ narrare aggrediar. Tempore S. Bernardi venit quidam deuotus miles deuotionis gratiâ ad S. Bernardum petens humiliter ſe recipi ad fratrum congregationem. Quem ſtatim beatiſſimus Pater Bernardus gaudenter ſuſcepit, atque habitum fratrum laïcorum eidem tradidit, qui aliam orationem in monaſterio diſcere non potuit, quàm Salutationem Angelicam, quam etiam frequenter cum mira deuotione ruminabat. Videns autem B. Bernardus hominis ſimplicitatem, & bonam conuerſationem, quamuis erat illiteratus, in choro tamen monachorum ſacerdotum more eum ſtare fecit. Qui bonus homo Virginem glorioſiſſimam ſincero amore diligebat, atque ei deuotiſſimè in ſua ſalutatione ſeruiebat. Tandem vocante Domino diem clauſit extremum, atque ad gaudia æterna feliciter peruenit: ſepultusque eſt in cæmiterio, vbi alij viri Religioſi ſepulturam accipiebant. Poſt paucos autem dies ſuper ſepulchrum eius excreuit quoddam lilium pulcherrimum, in quolibet lilij folio erat ſcriptum literis aureis, Aue Maria. Sanctus autem Bernardus præcepit eiici terram, vt viderent vbi ſuas lilium haberet fixas radices, & eiectâ terrâ, viderunt haſtile lilij ex ore defuncti procedere. Tandem iubente S. Viro inſciſſus

eſt defunctus, & viderunt lilij radices in corde eſſe fixas. Atque corde inſciſſo inuenerunt ſcriptum in eo literis aureis *Aue Maria.* Quod cùm vidiſſent admirati ſunt vniuerſi, intelligentes id ideo accidiſſe indubiè, quia Salutationē Angelicam, & cordiali deuotione aſſiduè proferebat.

16. Ludouicus Froes Societatis Ieſu de rebus Iaponicis hæc ſcripſit, quæ etiā Delrius Noſter in librum de Magia tranſtulit. Nobilis quidam homo olim magna authoritate in hoc regno Fūgano potens habebat filiam matrimonio cum Gentili copulatam, cuius mater cum tota familia quoque erat gentilis, nullus verò Chriſtianus niſi dictus nobilis vir bonus & religioſus. Accidit filiam ex improuiſo infirmari, & quidem intra ſex dies vſque ad mortem: quidam aiebant à dæmone obſeſſam, propterea quod tam furioſos, & inſolitos geſtus ederet, vt ægrè à duobus vel tribus hominibus teneri poſſet. Maritus & ſocer implorant opem Bonziorum, ſed ſuis illi ritibus, & nugis ſuperſtitioſis ne hilum quidem eam iuuare potuere. Verùm quia fœminæ impendebat mors, certiorem reddidere eius parentem octodecim milliaribus inde diſiunctum. Is celerrimè aduolat, inuenit filiam quidem ſpirantem, ſed mentis impotem, vt patrem ſuum non agnoſceret. Pater illico mandat ſubmoueri omnes Bonzios, aliosque Ethnicos lectum ſtipantes, ipſe verò accepto Roſario ter Dominicam orationem, & ſalutationem Angelicam aggreditur pronuntiare: Fœmina interim nihil mitatur, ſed horribiliores potius geſtus quàm priùs edidit, vt à multis teneri vix poſſit. Pater reddit ad præſidium Roſa-

rij, eo verberat tergum filiæ dicens: Tu videro mihi dæmon aliquis, excede ex hoc corpore. Et respondit dæ non:non excedam. Pater vt erat homo virtute præstans, Rosarium inijcit in eius collum, dicens: Velis nolis, excedes. Tum dæmon: Tollite inquit Rosarium, quia abscindit mihi collum, & tunc excessero. Respondit Pater: Minime tollam; imo funes quasdam arripiens minatus est sic eum diuerberaturum, & sic excessit.

17. Ex Annalibus Societatis Iesu, anno 1593. de Prouincia Mexican. Cōstat dæmoni Rosariū Virginis plurimùm displicere. Adolescenti enim cuipiam, quem diabolus omni ope irretire conabatur, confessio saluti fuit. Hunc dæmon primo oblata eximia mulieris specie illexit, blāditusque captum extra vrbem in remotissimum ab arbitris locum multa iam nocte seduxit. Ibi hominem magnopere monere, orare, postremò imperare, vt B. Mariæ coronam, quam circumferebat statim abijceret si sua forma frui vellet. Mirari adolescens, qui corona in veste abdita ibi suboluisset, cur tantopere B. Virginis cultus inuisus esset. Ad extremum suspicatus, id quod erat, illum diabolū esse, omnino negat se id facturum. Hic Satan, vbi nihil impetrat, ita furens abiecta mulieris forma sese in horribilem belluam conuertit, & vnguibus, cornibusque attonito rei nouitate adolescēti exitium minatur. Sed furor vltra minas progressus non est, B. Maria belluæ impetum prohibente. Illo autem metu quidem exanguis, sed tamen incolumis sese inde proripuit. Nihilo secius illi dæmon alias aliis spectris insidias struere instituit, ac modò aurum, voluptatum modò ille-

cebras obiiciens incautum subinde captabat. At ille vt se aliquando his molestiis, ac periculis liberaret, sacerdotem quemdam nostrum adire constituit. Huius suasu sacramentis armatus, omnes aduersarij importunissimi conatus elusit. Ita adolescens B. Virgini deditus, eius secundum Deum ope præsens periculum vitauit.

18. Albertus Castellan. lib. de Rosario & Guillielmus Valdesan lib. 3. de virtut. Adolesc. cap. 12. astruunt Rosarij recitandi consuetudinem vtilissimam esse, si fiat corde puro. Fuit quidam Adolescens, cui sic aliquando B. Virgo apparuit, vt potionem illi suauissimam calice immundo bibere dare videretur. Admiratus adolescẽs, quid hoc rei sit. At virgo, cui gratior puritas, & salus animi esset, quàm quod ab illo quotidie percurrebatur: Rosarium vide, inquit, fili preces Rosarij tui sunt mihi gratissimæ, sed calix quo porrigis, eo quod tu minus puriter viuas, auersioni mihi, atque horrori est. Quibus verbis permotus ita est Adolescens, vt continuò nouam, & meliorem viuendi rationem inierit.

19. Alanus Seraph. in horto exemplorum, tit. de B. Maria §. 26. docet quemadmodum ex consilio S. Dominici Blãcha impetrauerit filium Ludouicum Regem Franciæ virtute Rosarij. Cùm concionaretur Patriarcha D. Dominicus cum magno feruore in regno Franciæ, Christianissima Regina nomine Blancha rogauit ipsum vt vellet sibi orationibus à Deo impetrare filiolum. S. verò Dominicus respondit: Regina te exhortor, vt recites Rosarium B. Marię Virginis, & compares tibi multa Rosaria, desque illis, qui volent lege-

ic, promittens ipsi his verbis. Regina, spera in Deo, quod si hoc feceris, & fueris deuota B. Virgini, Deus per ipsius preces, & aliorum, qui legent hoc Rosarium, dabit tibi filium sibi charum, virumque sanctum. Hoc facto deuota Regina tempore statuto peperit filium, qui fuit Christianissimus Rex Ludouicus, inter sanctos relatus ob suam virtutem, opera, & miracula.

20. Ioannes Lopes lib. de Rosar. cap. 15. impugnantes Rosarij huius pietatem, horrendis modis puniri, hunc in modum astruit: Anno Domini 1472. senescentem Rosarij pietatem D. Dominici sectatores, iubente Deipara Coloniæ renouandam curarunt. Procedente eorum industriâ, & sodalium augescente numero. prospera Rosarij principia duobus illius vrbis concionatoribus ingrata, & iniucunda fuerunt. Honorabat concionatorum hoc par, & celebrabat maxime populus ob eloquendi artem. ideoque ad horum vtriusque concionem audiendam innumera multitudo confluebat. Igitur Rosarij crescentis inuidia tacti, pium illum ita precandi morem vituperare adorti, seque versutè ac veteratoriè in auditorum animos insinuant Rosarij Religionem, & sanctitatem perfidiose, impieque vexarunt. Alter enim eorum incredibili audaciâ cum sodalitatis pernitie, & sacri iniuria Rosarij è superiore loco multa iactauit, multa impudenter effutiuit, quibus retardati quamplurimi, & ab ea pietate deterriti, partim sodalitatem, quam iam coierant deseruerunt, partim ineunda consilia prorsus abiecerunt. Sodalitas ergo quæ multos numerabat, ad paucos redacta solitudinem deplorabat; Cum

verò nugator ille quoſdam animaduertiſſet, & roſarij adhuc tenaces eſſe, & ſodalitia frequentare ad eam religionem funditus euertendam, & eius exinanienda collegia concionem in proximum Dominicum diem cum applauſu auditorum ... dixit, in ea ſe monſtraturum, quàm eſſet inanis & futilis ea religio. Aduenerat dies, populuſque in maximam concionis expectationem adductus, templum omne compleuerat; cùm eundi tempus eſſet, neque tamen Orator appareret quæſitus à ſuis inuetus eſt mortuus. Nam proximi ſabbati nocte cùm ſanus & valens decubuiſſet, & minacem illam concionem habiturus eſſe , Dei iudicio omnia contuentis ac regentis repente obiit, nullo teſte, nullo adiutore, nemine qui ſalutitera Ieſu & Mariæ nomina identidem inuocaret, aſſiſtente. Alter ille Orator erroris concors, & ſocius Roſarij exagitator impius illud humanitus eueniſſe cenſens mortui conſiliorum ſe profeſſus hęredem, Roſarij reliquias delere conſtituit, & in eum finem concionem aduocauit, dumque in ſuggeſtum parat aſcendere, tota vrbe inſpectante paralyſi repentina correptus in terram ſubito cócidit: Integra tamen Dei beneficio mens muto, infantique relinquitur. Cùm igitur intellexiſſet improbati Roſarij ſe pœnas dare meritas, & ſupplicij cauſam agnoſceret eſſe iuſtiſſimam, cæli Reginam cùm voce non poſſet, animo, & corde compellat, leniſſimæque matris opem mutatus implorat, & linguam à Deipara poſtulat, quæ prædicet, dilaudetque Roſarium, quod furiis agitatus impugnaſſet; impias ac nefarias conciones commendandi pro dignitate Roſarij tum aſſidui-

tate, tum alacritate, & studiose correcturum esse promittit. Diligentioremque se ad restituenda sodalitia fore, quàm fuisset ad euertenda furiosus. Vix sponsionem, votumque finierat, cùm vox illi, linguaque redditur, & valetudo pristina reparatur. Inde ad suggestum lætus ascendit, & in illa maxima frequentia Rosarij laudes suauissime, verissimeque prosequitur, taleque ei pietati testimonium dedit, quale eius esse oportebat, qui beneficio Virginis ex tanto, & tam graui tum periculo, tum supplicio incolumis euasisset.

21. Demum quid in Angelica salutatione gratius sit Beatæ Virgini commemorat his verbis dignis quouis pretio: Proinde fateor à me quæsitũ, quid in ipso versu Salutationis Angelicæ, audiret lætius mater Christi, ego autem nihil ambigens mox respondi: lætanter quidem audisse Virginem gratia se plenam, secum Dominum Maiestatis, & se in mulieribus, id est, præ cunctis mulieribus benedictam: sed in eo Mariam gratulantius exultasse confido cùm audierit fructum ventris sui singulariter benedici: Quid mirum? Ipsa dilecto suo, & ad eam conuersio eius: Benedictum autem, id est, bono addictum, ecce benedictum, id est digne dictum dicimus fructum eius, quia ipse malo pœnæ crudelis mortis addictus, bono addicitur sedẽs in potioribus Patris. Vnde per Prophetam dicitur, *Maledictus omnis qui pendet in ligno*, qui vtique Christus fuit: Propter quod & Deus exaltauit eum super omne quod est, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen. Benedictus etiam dicitur, quasi bonus dictus, quia nemo bonus, nisi solus Deus. Et hoc essentialiter, vt in

nomine eius omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum. Quoties ergo Christum benedicimus, fructum vteri virginalis bonũ simpliciter, vel bono addictũ dicimus, & in hoc Mariam potissime gratulari credimus.

22. Ludouicus Blosius Monil. Spirit. cap. 3. ait salutationem Angelicam, etiam media ex parte ab infirma Getrude lectam, Deiparæ Virgini placere. Sancta Getrudis aliquando ægrotans, & lecto decumbens cùm horas suas legere non posset, neque etiam iuxta desiderium suum ad honorem Beatissimæ Virginis Mariæ valeret dicere ex integro salutationem Angelicã, conata est sæpius iterare, saltẽ hæc verba: Aue Maria gratia plena, Dominus tecum. Huic Virgo Deipara apparuit induta pallio aureis floribus mirè exornato, quibus designabantur salutationes ab ista cum labore lectæ, & in his excellentissime relucebat pius affectus, quo ipsam gloriosam Virginem salutare desiderauerat: relucebat etiam sacra discretio, quia illa tantum verba legerat, cùm sentiret se alia legere non posse. Relucebat item integra fiducia, qua confidebat matrem Domini benigne suscipere hoc ipsum exiguum seruitium suum.

23. In vita S. Catharinæ Suedicæ, vt ait Surius, Angelica salutatione hominem confractum sanat. Cùm quidam è familia B. Catharinæ Suedicæ virginis, & viduæ somno correptus è curru decidisset inter equorum pedes succedentes mox rotæ adeò eius costas attriuerunt, vt vix anhelitũ ducere videretur, in currum autem subleuatus animum Catharinæ multo dolore affecit; itaque

suo

suo more dicebat Salutationem Angelicam, & leuiter hominis quassatum latus contrectabat. Mox adeò ille restitutus est, vt qui præ doloris acerbitate spirare vix poterat, eodem die lætus discurreret, Christum laudans, & sanctam Catharinam, cuius meritis esset salutem tam celeriter adeptus. *Mirè etiam* (vt ait Blosius in Specul. Spirit. ca. 4.) *valet salutatio Angelica piè lecta, & sanctorum inuocatio, metus item, & horror amittendi gratiã Dei; diligens quoque consideratio quidnam sit perpetuo separari à Deo, & cunctis amicis eius, atque cum Diabolo æternis suppliciis in inferno affici.*

24. De sancto Eumundo ita ait Surius. Hic præcipuè puritatis studiosus, vt eius per omnem vitam seruandæ sibi legem statueret, coram imagine Virginis Deiparæ castitatis votum emisit, & se commendans impensè patrocinio Virginis, eã sibi in sponsam delegit. Vtque fœdus initum stabile foret, annulo (cui inscripta erat Angelica salutatio) in statuæ digitum insito, eam sibi despõsauit. Nec frustra. Ex eo enim tempore (vt ipse ante obitum confessus est) quoties clementissimæ matris opem implorauit, toties eam expertus est. Habuit vero & ipse in digito annulum, cum quo terræ solent mandari Pontifices: huic itidem Angelica salutatio, non sine stupore omnium, insculpta fuit, vt eum beatissima Virgo sponsum suum & habere, & agnoscere vicissim fateretur.

25. Idem Surius de sancto Elzeario narrat, quod Garsenda eius nutrix, dum noctu in templo pro Elzeario suo preces sollicita fundit, Christum ita loquentem audit: *Isti, quem mihi tam auide cõmendas, meam ego Matrem dedi magistram.* Gar-

ſenda his vocibus obſtupefacta, Deo enixè ſupplicauit, vt ſi forte antiqui veteratoris ſemper illudentis verba illa fuiſſent, re ipſa detegeret; ſin autem ex diuino oraculo profecta vox eſſet, ipſa veritas magis ac magis ſe aperiret. Garſendæ iuxta poſcenti Chriſtus exemit ſcrupulum; ſacrũ enim intentis animi viribus audienti, illapſa cœlitus vox eſt, ſuperiora confirmans. Rem totam Garſenda ad ſuum refert confeſſarium virum ſapientem, & religionis famâ conſpicuum. Ille de Elzeario, remotis arbitris, quærit, quemadmodum ſe gerat in precibus, exercitationibusque diuinis, quemve ex cæleſtibus patronum adſciuerit? Elzearius ſanctiſſimam Virginem eſſe ſuã magiſtram patronamque reſpondet. Cùm enim inquit ille, ad precandum, meditandumque me comparo, propriæ indignitatis memor, Matri gratiæ totum me regendum permitto: eam obſecro, obteſtorque ſuppliciter, vt quæ filio ſunt grata ſuggerat; ſalutares opiniones animo inſerat, inſitasque cuſtodiat. Deinde, qua poſſum religione Angelicam ſalutationem in Mariæ laudem vſurpo, quâ oblatâ nunquam mihi deeſt ſeges & materia contemplandi. Ex his Elzearij dictis bonus ille ſacerdos vera eſſe comperit, quæ Garſenda narrauit. Porrò vſum pulſationis meridiæ ad ſalutationem Angelicam, ſunt qui tribuant Petro Eremitæ, in bello quod geſtum eſt in Terra ſancta contra Saracenos à Chriſtiano exercitu, nam meridie committebatur bellum, & ad ſonitum campanæ flectebãt milites genua, & orabant pro pugnantibus. Vide Guillelmum Archiepiſcopum Thyrienſem, Paulum Æmiliũ

lib. 4. Historiæ Francorum, Antonium, Sabellicum, & præsertim Philippum Bergomat. vbi vocat hunc Eremitam prudentissimum, religiosissimum, & incomparabilis sanctitatis virum. erat autem natione Gallus.

26. Hactenus de Salutatione Angelica dictum est, vbi vidisti dæmones effugatos eius orationis virtute, vitam restitutam, à morbis liberatos, perditam spem recuperatam. Sed posui quoque in capite *Angelicum habitum* dici de habitu Religiosorum, quod probandum restat, idque breuiter. De S. Hermanno refert Surius, inspectorem cuiusdam incendij fuisse, cùm non dum Præmonstratensium habitum induisset, & maximum effectum fuisse visi incendij, quod ipsemet nouo ad religionis habitum assumendum desiderio accendebatur, eoque tam valido, vt præ vi illius flammæ medullitus conceptæ vix se contineret. Iam & ipse totus in diuinum quendam ignem cõuersus erat, *vt illis in habitu Angelico ministraret, qui facit Angelos spiritus, & ministros suos ignem vrentem.* Idem Surius ex Metaphraste de Ioanne Calybita poscente religionem ait: *Archimandrita puerum Calybitam contuens; nimium, inquit, adolescẽs es ô fili, enimvero mos nobis est, vt qui monasticam vitam apud nos cogitat profiteri, quadraginta diebus hic demoretur, & considerata nostræ exercitationis regula, tandem tondeatur. Ad hæc Ioannes: Obtestor te, ait, per sanctissimam Trinitatem, vt me hodie tondeas, isto enim Angelico habitu indui nimium quantum desidero. Tunc Archimandrita puerum benedictione impertiens totondit, & veste religiosa donauit.*

De Angelorum officio erga nos, & vt se gerant contra dæmonia.

CAPVT XLVI.

1. AD bellum ácre, quod Angeli pro nobis gerunt contra diabolum, præmitto verba Augustini in Soliloq. cap. 27. cuius licèt aliqua verba vsurpauerim ad aliam, tamen integrum locum hîc dabo. is autem est: *Ambulant nobiscum in omnibus viis nostris, intrant & exeunt nobiscũ, attente considerantes quam pie, quamque honestè in medio nationis prauæ conuersemur, quantoque studio & desiderio quæramus regnum tuum, & iustitiam eius, quantoque timore & tremore seruiamus, & exultemus tibi in lætitia cordis nostri. Adiuuant laborantes, protegunt quiescentes, hortantur pugnantes, coronant vincentes, congaudent gaudentibus, de te inquam gaudentibus, compatiũtur patientibus, pro te inquam patientibus. Grandis est eis cura de nobis. Magnus est affectus dilectionis eorum erga nos; & hoc totum propter honorem tuæ inæstimabilis charitatis, qua dilexisti nos. Diligunt enim quos tu diligis; custodiunt, quos tu custodis; & deserunt, quos tu deseris. Nec diligunt operantes iniquitatem, & perdes omnes qui loquuntur mendacium. Quoties bene agimus, gaudent Angeli, & tristantur dæmones. Quoties vero à bono deuiamus, diabolum lætificamus, & Angelos tuos suo gaudio defraudamus: gaudium est enim eis super vno peccatore pœnitentiam agente: sed diabolo super vno iusto pœnitentiam deserente.* Ho-

rum munia etiam Philo attigit, ἃς μὲν γὰρ ἕλληνοι φιλοσοφήσαντες ἥρωας καλοῦσι καὶ δαίμονας, μωϋσῆς δὲ εὐθυβόλῳ χρώμενος ὀνόματι ἀγγέλους προσαγορεύει, πρεσβευομένας, καὶ διαγγελλούσας, τά τε παρὰ τοῦ ἡγεμόνος τοῖς ὑπηκόοις ἀγαθά: *Quas virtutes, potestates, mentes, philosophi gentiles Heroas vocant & dæmones, Moses legitimo nomine vsus Angelos nominauit, qui legationes obeunt & nuntiant.*

2. Hęc omnia ex mēte August. Angeli pro nobis obeunt: iuuat Augustinū Laurentius Iustinianus de spirituali animæ interitu, ad finem: *Fit pro peccatoribus conuersis Angelis Dei gaudium in cælis, qui de ipsorum propinqua perditione vtcumque gemebant, non dolendo, sed compatiendo, sed intercedendo, sed eorum emendationem anhelando.* & nota, *gemere* dici *Angelos, non dolendo, sed intercedendo.* Hoc ita verum est, vt etiamsi puniant, sine ira puniant, dicente Augustino in lib 9. de Ciuit. cap. 5. *Sancti Angeli cùm & sine ira puniant, quos accipiunt æternâ Dei lege puniendos, & miseris sine miseriæ compaßione subueniant, & periclitantibus eis quos diligunt sine timore opitulentur: tamen istorum nomina paßionum consuetudine locutionis humanæ etiam in eos vsurpantur, propter quandam operum similitudinem, non propter affectionum infirmitatem: sicut ipse Deus secundùm Scripturas irascitur, nec tamen vllâ paßione turbatur. Hoc enim verbum vindictæ vsurpauit effectus, non illius turbulentus affectus.* Hoc idem perspicuum fit in messoribus, cùm dicit Christus in Matth. cap. 13. *Messores autem Angeli sunt*, vbi sermo est de bonis Angelis tritici collectoribus. Hîc dicuntur immitti, vt colligant de regno Do-

mini omnia scandala. Nonnulli putant indignú, vt tormentis malorum sancti Angeli occupentur. Verùm non indignum est hoc munus. In dæmonum pœnis id certò constat, victos enim ad inferos detruserunt. Deinde, ne Deo quidem indecorum est, multo minùs Angelis. Nec verendum, ne prauè politi homines vereantur, Angelos lictorum & carnificum loco haberi; nihil enim illi indecorum existimant, quod Deus imperat; non enim res ipsas, sed iubentis voluntatem intuentur. Vnde Anselmus in Matth. 18. *Tristitià Angeli non possunt affici, quia perfectè beati sunt, sed hoc quod eis mala nostra displicent, vocatur eorum tristitia: Valde ergo contristati sunt, id est, valde displicuit eis, quid inique fieri viderunt.* Iam verò demunt timorem, quamuis immo perterrefaciant, vt visum est in Pastoribus, quos Angeli alacres reddunt, qui tamen initio perterrefacti sunt.

3. Hæc omninò vera sunt. Iam ad pugnam, quam dæmones excitant, & à qua valide Angeli nos defendunt. Anastasius Sinaïta quæst. 57. affert Theodoretum sic dicentem: *Quoniam paulo ante memini dæmonum, operæ pretium esse existimo ea ostẽdere quæ de iis sẽtimus: eos enim, & eorum principem diuina eloquia Sathanam appellant. significat autem nomen sermone Hebræo, Apostatam: id est, eum qui defecit. Vocatur quoque diabolus, vt qui apud homines Deum calumnietur, & ipsis hominibus inter se immittat litem, & contentionem. Eos nos dicimus ab initio à Deo creatos esse non malos: sed mentis auersione à melioribus ad deteriora esse prolapsos, & iis non contentos, quæ præbuerat*

Creator, maiora appetiisse; Superbiæ autem, & arrogantiæ vitium suscepisse, excidisse vero, & esse priuatos honore, qui eis fuerat datus ab initio. Deinde aduersus homines, & qui diuina essent honorati imagine, rabie esse percitos, & aduersus eos suscepisse bellum. Creatorem autem, Angelorum præsidio custodisse hominũ genus, ne (vt vtens ac tyrannide) dum subaspectum non cadit ex occulto inuadens secure eos perderet, quos propter inuidiam odio haberet, sed contra eum certamen & pugnam non prohibuisse, vt optimos & præstantissimos lucta ostenderet, magnique, & fortis animi essent exemplaria. Quamobrem cum Angelorum præsidio illius violentam prohibuisset irruptionem rationis, & cogitationum concessit certamen, vt victores pronuntiaret coronâ dignos, non ipsum quidem asciscens tanquam aduersarium; sed ad id quod oportuit vtẽs eius scelere ac nequitiâ, quemadmodũ Medici ad propulsandos morbos viperâ vti solent. Et vt inquit Cyprianus ad Fortunatum: *Aduersarius vetus est, & hostis antiquus, cum quo prælium gerimus. Sex millia annorum iam plene complentur, ex quo hominem diabolus impugnat. Omnia genera tentandi, & artes atque insidias deiiciendi, vsu ipso vetustatis addidicit, si imparatum inuenerit militem Christi, si rudem, si non sollicitum, ac toto corde vigilantem: circumuenit nescium, fallit incautum, decipit imperitum. Si vero quis præcepta dominica custodiens, & fortiter Christi vestigiis adhærens contra eum steterit, vincatur necesse est; quia Christus, quem confitemur, inuictus est.* Cognoscens enim callidissimus ad decipiendum, potentissimus ad nocendum, tortuosus generis humani in-

imicus cum suis satellitibus Lucifer, quod volũtatem hominis nec immutare, nec mouere, neque in eam immittere cogitationes potest directè, & intrinsecè, nisi solus Deus, qui est caussa eius. Sciens etiam quòd hominum animæ inclinantur secundùm dispositiones corporum: item quòd actuatio virium interiorum spiritualium animæ, scilicet intelligentiæ, memoriæ, & voluntatis fit secundùm immutationem sensuum exteriorum. & item cũm nouerit nihil boni, vel mali in spiritum hominis intus habitantem ab extra venire posse, nisi per quinque sensus exteriores, qui sunt quasi quinque fenestræ tabernaculi animæ: idcirco disponit occulto modo, quantum sibi à Deo permittitur oppenere exterius obiectibiliter quinque sẽsibus hominum, quibus insidiatur, aliquid sensibile, aut natura formatum, vel aliquot de nouo formandum; sicut facit, quando corpus assumit, vel persuadendo oblatum obiectum, vt fecit cum Eua circa pomũ. Disponit etiam, vt occurrant ab extra aliquæ rerum habitudines turpes, horribiles, blandæ, prosperæ, vel aduersæ, quarum præcipiti apprehensione & immutatione, homo sic aut sic moueatur. Flectit etiam quandoque, permittente Deo, oculos hominum ad huiusmodi obiecta; figit aures hominum vaniloquiis, & turpiloquiis, & tenaciùs facit illis intendere, vt sic homines postea talium memoriis à diuinis distrahantur. Spargit etiam Diabolus (vt dixit Augustinus in lib. 83. quæstionum) hoc malum per omnes aditus sensibiles, nam dat se figuris, accommodat se colori-

bus, odoribus se subiicit, infundit se saporibus: nã quandoque diabolus facit, vt homines in obiectis sensuum plus delectentur, quàm delectatio naturalis eorum habeat; quandoque verò facit, vt homines in illis inordinatè se oblectent, scilicet plusquam oportet, vel non, ad bonum & debitum finem. Operatur etiam diabolus in illis obiectis intendendo, & ampliando naturalem virtutem eorum ad efficaciùs imprimendum, & inflãmandum intuentem, nam quemadmodum potest in prestigiis malignus spiritus facere, vt virga appareat serpens, ita potest facere, vt liquor insipidus appareat sapidissimus, & facies turpissimæ mulieris, potest facere insipiẽti amãti vt appareat gratissima, ita vt verè dici possit sub hac rei specie latet Diabolus. Operatur etiam quandoque diabolus, vt homines afficiantur aliquibus auibus, canibus, catis, aut modo prædicto, vel per illapsum, & ingressum ipsorum dæmonum in ipsis animalibus, vt sic se hominibus magis intimè iungant, & finaliter perdant, sicut dicitur in Austria hominem habuisse coruum dæmone plenũ mirabilia faciẽtem, & loquentem. His modis & miris aliis nos dæmones decipiunt. Dæmones ergo non in aperto fallunt, nec palam mentiuntur, sed sub chlamide veritatis & bonitatis decipiũt, aut per fallacias syllogisticas, aut per obiecta extrinseca proposita, aut per varias falsas apparitiones, prophetias, reuelationes, phantasticas allocutiones, aut falsigraphas persuasiones, immutãdo virtutem phantasticã aut imaginariam. Quid dicam de illusionibus, quæ per somnium accidũt?

Nam quando operatione dæmonum aliquæ phantasiæ dormienti accidunt, in quibus fit reuelatio siue de spiritualibus (vt Augustinus refert de Ciuit. cap. 18.) siue de corporalibus. Quandoque immittunt falsa somnia & deceptoria, vt patet ex Greg. lib. 4. cap. 50. vbi dicit, quod cùm quidam somnia vehementer attenderet, diabolus ei per somnium longa spatia vitæ promisit: cumque multas pecunias collegisset ad stipendia longæ vitæ, deceptus à Dæmone repentè defunctus est, intactas relinquens malè partas pecunias. Propter hoc dicitur in Genes. 3. *Serpens erat callidior*, & iuxta aliam translationem *sapientior cunctis animantibus terræ, quæ creauerat Deus*. Et Christus vocauit Diabolum *fortem armatum*, Lucæ 11. & Iob. 41. *Non est potestas super terram quæ comparetur ei*. & Apocal. 12. *Væ terræ & mari, quia descendit diabolus ad vos habens iram magnam*. S. Cyprian. apud Cornelium nostrum, in cap. 17. Leuitici ita ait: *Diabolus dictus est serpens, quia cùm latenter obrepit, cum per pacis imaginem fallens occultis accessibus serpit (vnde & serpentis nomen accepit, ea est eius astutia, ea est circumueniendi hominis cæca, & laboriosa fallacia, vt asserere videatur noctem pro die, venenum pro salute, desperationem sub obtentu spei, perfidiã sub prætextu fidei, Antichristum sub vocabulo Christi, vt dum verisimilia mentimur veritatem subtilitate frustretur. Nam transfigurat se in Angelum lucis.* Quin S. Martinus apud Sulpitium, cùm Mergulos vidisset piscium prædam sequi, & rapacem ingluuiem assiduis vrgere capturis, dixit: *Forma hæc dæmonum est, qui insidiantur incautis,*

capiunt nescientes, captos deuorant, exsaturari non queunt deuoratis. Itaque hi semper mali, deceptores, mendaces, nefarij, atque humani generis hostes execrabiles, & impuri, qui subcœlestes & aërij nuncupantur, quod inhabitant aërem, & per aëra vagentur, & S. Paulus *potestates aërias* appellauit, & nonnumquam in Scripturis *volucres cœli* appellantur. Porphyrius ex Platonis mente: *Per contrarios dæmones omne maleficium peragitur.* & infra: *Hi & decipiendi artifices per oblata oculis portenta. Per hos amatorias illecebras componunt miseri homines. Omnis intemperantiæ, diuitiarum, honorumque spes per hos est, maximeq; deceptio. Mendacium est his proprium, volunt enim esse Dij, & præsidens eis potestas videtur Deus.* Mercurius Trismegistus in Pimandro cap. 3. *Nulla profectò mundi pars est dæmonum præsentia destituta.* & infra: *Dæmon transfusus in hominem semina propriæ notionis inspergit. Mens autem conspersa seminibus prægnans, inde parit adulteria, stupra, homicidia, parricidia, sacrilegia, diuinorum contemptum, iugulationes, euersiones vrbium, pestes hominum, & reliqua omnia quæcumque malorum sunt opera dæmonum.* Non dubium, quin Virgil. in 7. Æneid. per Furiam intelligat *Angelum* malum; cùm dixit:

Tu potes vnanimes armare in prælia fratres,
Atque odiis versare domos, tu verbera tectis,
Funereasque inferre faces, tibi nomina mille,
Mille nocendi artes; fœcundum concute pectus,
Disiice compositam pacem, sere crimina belli.

Sunt sanè dæmones, communes omnium hostes, omnibus insidiantur, omnes vltrò inuadunt, non

religiosos tantum, sed sæculares etiam; Atque hos interdum quoque multo magis, quo plura in eorum vita patent, ipsorum telis, & illi magis improuidi. Hi sunt Angeli mali, per quos exercet carnificinam, dicente Procopio in Esaiam, δηλαδὴ τῶν ἐν ταῖς κολάσεσι διακονουμένων ἀγγέλων, κατὰ τὸ ῥηθὲν ἐπ' Αἰγυπτίων, ἀπέστειλεν ἐπ' αὐτοὺς ὀργὴν καὶ θυμὸν, καὶ θλῖψιν ἀποστολὴν δι' ἀγγέλων πονηρῶν: *Cum iram in eos exercere, & Angelorum ministerio ad vlciscendum, vti Domino placebit, quale illud est in Ægyptios dictum: misit in eos iram, & furorem, & afflictionem, immißiones per Angelos malos.* Hi igitur Angeli mali sunt, nocentes, adulteri, infandi: absit enim vt de bonis Angelis dici queat aliquid tale, quale de Cherubinis mentitus est impudentissimè Iacobus Chius heresiarcha, qui hãc fabellam aut inuenit, aut sopitam suscitauit: *Cherubim* (dicebat, vt est in Onomatographia Ludouici Ballester) *in sacris literis non significat aliquam spiritualem substantiam, vel incorporeum aliquod animal, sed statuam & similitudinem pueri formatam; quales erant pueriles illæ statuæ aureæ super arcam collocatæ; & statua illa cum igne ad custodiam Paradisi posita, quam Moyses Cherubim appellauit. Hæc enim non erat Angelicus spiritus, sed virile quoddam simulacrum, horribili forma laruaque circumtectum, quod Deus ad incutiendum terrorem primis parentibus præ foribus Paradisi collocauerat, iuxta morem Agricolarum, qui in satis & hortis ligneos palos defigunt, laceris humanarum vestium pannis indutos; vt eo terriculamenti genere aues a seminum atque frugũ deterreant pastu; vnde ne quis putaret Cherubim*

esse viuas spiritualesque substantias, cautum est synodalibus legibus Græcorum ne in trisagio Angelorum cantaretur, Qui sedes super Cherubim. Ista petulantissime, spurcissime, & insanissime Iacobus (hius, de beatissimis Cherubinis, qui in cœlo assistunt coram Rege summo. Verumtamen relinquamus ista, & ad dæmones transeamus, à quibus nos Angeli tuentur perquam sedulò, custodes effecti nostrarum actionum & vitæ.

4. Sed qua ratione nos Angeli boni defendunt ab his importunis hostibus? Audi Laurentium Iustinianum de spirituali animæ resurrectione, post medium: *Angeli suo ministerio dæmonas arcent, ne ad libitum noceant. Quis, quæso, nisi Angelico esset fultus auxilio, tam immanissimorum hostium valeret superare rabiem, effugere laqueos, tentationes vincere, fraudesque detegere? custodia siquidem sua vias nostras sepiunt, ne in lapidem, offensionem, & petram scandali spiritualem animæ impingamus pedem, vt testatur Propheta dicens, quoniam Angelis suis mandauit de te.* Deinde Ionam Aurel. Episcopum lib.3. de cultu imaginum: *sicut Imperatoris optimi vrbes omnes, vniuersæ ciuitatis castella singula manu militari aduersum hostilem muniuntur aduentũ, & omnia loca diligenter armantur, ne barbarica incursione deleantur: ita & Deus quoniam barbarica & aggressi mente, rapientes dæmones ad pacis euersionem vbique versantur, ad tutelam nostram constituit exercitus Angelorum, vt eorum præsentia dæmonum confringatur audacia, & per eos nobis pacis gratia ministretur.* Et S. Bernardum serm.12. in Psalm. *Qui habitat*, ad ea verba, *In manibus*

portabunt te, vbi sic ait: *Parum tibi videtur, quod non sit lapis offensionis in via, Considera? quæ loquuntur, Super Aspidem, & Basiliscum ambulabis. Quàm necessarius pædagogus, imò etiam baculus paruulo inter hæc gradienti. In manibus, inquit, portabunt te. In his quidem viis custodiēt te, & deducēt paruulum, quas potest paruulus ambulare. Ceterū non te patientur tentari supra quod sustinere potes, sed in manibus tollent, vt pertranseas offendiculum. Quàm facile transit, qui illis portatur manibus? quam suauiter? iuxta vulgare prouerbium, natat, cuius alter sustinet mentum. Quoties ergo grauissima cernitur vergere tentatio, & tribulatio vehemens imminere, inuoca custodem Angelicum tuum, doctorem tuum, adiutorem tuū, in opportunitatibus, in tribulationibus, Inclama eum, & dic: Domine salua nos, perimus. Non dormit, neque dormitat, & si ad tempus quandoque dissimulet, ne fortè periculosius ab illius te manibus ipse præcipites, si te eis ignoraueris sustentatum, spirituales enim sunt manus istæ, & auxilia vtique spiritualia, quæ singulis electorum, pro cuiusque discriminis modo, & obiectæ difficultatis, tanquam lapides molis quantitatem, ab his qui sibi deputati sunt Angeli, spiritualiter & multipliciter exhibentur.* Vides opem Angelorū? sed quoniam audisti in Bernardo *inuocandum Angelum custodem*, idque est verum, & à nullo Catholico negandum, placuit subtexere vnius Caluini errantis testimonium, qui Angelum dicit non inuocandum l.1.c.14.§.12. vbi inquit: *Quàm igitur præposterum est, ab Angelis nos abduci à Deo, qui in hoc sunt constituti, vt præsentiorem eius opem*

nobis testentur? Abducunt autem, si non recta ad ipsum manu ducunt, vt solum auxiliatorem spectemus, inuocemus, ac prædicemus: si non vt eius manus à nobis considerantur, quæ nullum ad opus, nisi ipso dirigente se moueant: si non in vno mediatore Christo nos retinent, vt ab eo prorsus pendeamus, in eo recumbamus, ad eũ feramur, & in ipso acquiescamus. Quod enim in visione Iacob describitur, hærere ac fixum penitus in animis nostris debet. Angelos in terram ad homines descendere, & ab hominibus ad cœlum ascendere, vt per scalam, cui insidet Dominus exercituum. Quo indicatur, sola Christi intercessione fieri, vt Angelorum ministeria ad nos perueniant, sicut ipse affirmat. Post hæc videbitis cælos apertos, & Angelos descendentes ad filium hominis. Itaque seruus Abrahæ Angelo custodi commendatur, non propterea ipsum inuocat, vt sibi adsit; sed ea commendatione fretus preces fundit coram Domino, petitque vt misericordiam suam erga Abraham exerat. Quemadmodum enim non ideo potentiæ bonitatisque suæ ministros facit eos Deus, vt suam cum illis gloriam partiatur: ita n u opem suam ideo in ipsorum ministerio nobis promittit, vt nostram inter ipsos & eum fiduciam diuidamus. Valeat ergo Platonica illa Philosophia de quærendo per Angelos ad Deum aditu, & ipsis in hunc finem colendis, quo Deum faciliorem nobis reddant: quam superstitiosi curiosique homines conati sunt in religionem nostram ab initio inuehere, & ad hunc vsque diem perseuerant. Quid te laxas Caluine? Angeli inuocandi sunt, non erramus. Christi meritum est, quod Angeli nobis ministrant, Deus illis gloriam suam non partitur; non

inuocandi sunt igitur Angeli? Ad eum modum ministri regij non modò rogandi non essent, sed ne fratres quidem & proximi, vt auxilio suo nobis assistant, vbi res exegerit. Periculum enim Caluino videtur, ne nostram fiduciam inter Deum & proximum diuidamus. cur Angelum assistentem rogare non liceat, fratrem liceat? Auxilia itaque Angelica, precesque sine Dei contumelia petuntur. his enim mediis Deus munera sua largitur. Adi tamen Cap. 17. in quo probaui inuocandos Angelos, hîc placuit auctoritate Bernardi istud Caluini subtexere.

Angeli in forma hominum sæpe apparent, & quis eorum habitus.

CAPVT XLVII.

1. ANgelos Custodes apparuisse sæpè visum est, nunc aliqua dabimus quæ specialius rem attingant, & de habitu eorum & vestitu. In primis Chrysost. Homil. 32. de consubstantiali cum Patre filio: Ἄγγελοι πολλάκις ἐπὶ τῆς γῆς ἐφάνησαν ἐν ἀνθρώπου τύπῳ: *Angeli in terra sæpe apparuerũt in forma hominum.* Idem in Psalm. 4. dat Angelis linguam, & audientes facit. αὕτη τῶν ἀγγέλων ἡ γλῶττα, ὅταν μηδὲν πικρὸν, πάντα δὲ προσηνῆ φθέγγηται. ὅταν ὑπὲρ τῶν ἀδικούντων καὶ ἐπηρεαζόντων προσφέρηται τὴν ἱκετηρίαν πεποιημένη, τότε καὶ οἱ ἄγγελοι παρεστήκασι μετὰ πολλῆς ἀκούοντες τῆς σιγῆς, καὶ μετὰ τὸ παύσασθαι, κροτοῦντες αὐτὴν, ἐπαινοῦντες, θαυμάζοντες οὐ διαλιμπάνουσι: *Hæc est lingua Angelorum, quando nihil acerbum, iucunda autem omnia loquitur, quando pro ijs qui fa-*

ciunt

ciunt iniuriam, & probris persequuntur, venit supplicans, tunc astant etiam Angeli magno audientes cum silentio, & postquam loqui desierit, et applaudere, laudare, admirari non cessant.

2. Nazianzenus Orat. 49. *Angeli in figura hominum sæpe sunt visi, & tamen aliud non sunt quàm quod esse norunt: neque substantiam mutant, cum formam humani corporis sumunt.* Ad hæc particulares casus veritatem ipsam insinuant, vt illud S. Ambrosij, quod Paulinus narrat in eius vita, qui cùm disputaret contra Arianos, & interesset Auxentius acerrimus disputator, durus, & inconuertibilis, vidit ad aures Ambrosij Angelum loquentem, vt verba Angeli populo episcopus renuntiare videretur. Quo viso, conuersus Auxentius, fidem quam expugnabat cepit ipse defendere. Quid quod B. Martino Angelus apparuit, & corripuit: *Meritò Martine compungeris, sed aliter exire nequisti. Repara virtutem, resume constantiam, ne iam non periculum gloriæ, sed salutis incurrens.*

3. Annuisse etiam diuinum numen Chrysostomo suscepturo sacerdotium Leo Augustus, qui eius vitam descripsit, testatur his verbis, quæ sunt apud Baronium: *Flauianus cùm vigilaret, vt consueuerat, quadam nocte videt diuinum accessisse Angelum, qui ei iubebat ordinare Ioannem, dicens futurum Ioannem nouum vas electionis: Ecce ego, dicens, ei de hoc mandatum dabo, & obediet. Ad quem quidem cùm accessit Angelus, ei mandauit: priùs narrauit futura, & quæcumque par est facere eum, qui diuinus sit futurus minister.* & post alia: *Cùm adesset hora ordinationis, & incruentum*

perageretur ſacrificium, & inferiùs aßiſteret multitudo innumerabilis, & Angeli deſuper intuerentur, manum imponente Epiſcopo, & preces dicente conſuetas, dicitur factum eſſe illud maximè nouum ſpectaculum. Alba columba repentè deuolans, quo modo illic ſupra Ieſum meum & Deum, in honorem eius, cui manus imponebatur, ſtetit ſupra eius caput. Inde admiratio ingens exorta eſt Chryſoſtomi, vt idem Leo poſteà aſſerit. Quin illud quod Socrates narrat lib. 7. cap. 23 Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ id confirmat, ἄγγελος γὰρ θεοῦ ἐν σχήματι ποιμένος ὡδήγει τὸν Ἄσπαρα: *Angelus enim Dei in forma paſtoris ducem Aſpari ſe præbuit.*

4. Cæſarius lib. 8. cap. 7. ſanctæ Richmundis vitam deſcribens, ſic ait: *Requiſito etiam quales eſſent effigies Angelorum* (quos ſcilicet viderat cum Chriſto in præſepio) *reſpondit: ſtaturas habere humanas, facies virginibus ſimillimas, genas ad inſtar roſarum rubentes, & reliquis membris intectis niue candidiores.* Origenes in Philocalia cap. 19. cùm diceret Angelos deſcendiſſe, addit, καὶ γὰρ εἰκὸς ἐν ἀρχῇ τοῦ κόσμου ἐπὶ πλεῖον βεβοηθῆσθαι τὴν ἀνθρώπων φύσιν: *Humanam quippe naturam in illius mundi cunabulis maiori auxilio confirmari oportebat.*

5. Cornelius noſter in Iſaïam cap. 34 ſic ait: *Probabile eſt Angelos in cælo aſſumpturos corpora ſpecioſa ex æthere, quibus paſcant oculos beatorum, vt ab eis videri, & ore ad os loqui poßint. Hoc enim videtur poſcere amicitia, & arctißima vnio & communicatio quæ erit inter Angelos & homines beatos, quaſi conciues cæli.* Quod ſanè probabile eſt admodum, itaque non ſolùm in hoc mundo, ſed

etiam cùm simus corpore in cælo omnes, credibile est illos sumpturos corpora speciosissima, cùm lubuerit, vt nobiscum conuersentur. Et Lessius noster lib. 3. de summo bono, cap. 8. ita ait: *Verisimile est Angelos in aërea specie comparituros in iudicio ad maiorem iudicis maiestatem; quæ est etiam ab impiis conspicienda.*

6. Idem Cornelius in commen. in Genes. cap. 18. ita ait, Angelos non posse sibi vnire aliquod corpus substantialiter, siue vnione hypostaticâ, quia hoc solius est diuinitatis: posse tamen corpora assumere, sibi ea accidentaliter vniendo, eáque mouendo ac si essent viua: & posse etiam cadauera recèns defuncta assumere, ac si essent viua, vt faciunt dæmones; communiter tamen sibi corpus effingere ex circumstante aëre, admistis crassioribus exhalationibus, quibusdam obscurioribus, quibusdam lucidioribus, sic vt vtraque inter se commisceant & condensent, vt solida corpora, verósque colores & figuras membrorum humanorum referant, itavt oculis veritas discerni nequeat; id ex eo patet, quòd hæc corpora disparentibus Angelis mox in aërem & vaporem resoluantur. & eodem modo loquitur Vasquez 1 par. disput. 184. Hinc elice in huiusmodi corporibus non esse veros colores, sed apparentes, quales in nubibus cernimus: & Angelum in tali corpore non posse exercere operationes vllas vitales communes animantibus, quales sunt videre, comedere, audire, sentire, loqui: quia ad has, vt sint vitales, requiritur corpus viuum, & animatum, quod corpus non potest animare Angelus: potest tamen huiusmodi operationes

ita imitari, vt non possint à nobis deprehendi esse falsæ, fictæ, vel adumbratæ. quæ corpora non sunt densa ac solida, sed apparent.

7. Hîc gradum faciam ad eorum habitum describendum, qua de re idoneum imprimis Dionysium eligo, qui lib. de Cælesti Hierarchia cap. 2. ita ait: *Ne nos vulgi errore seducti passim, existimemus cælestes ac diuinâ specie præditos spiritus, multis pedibus, multisque faciebus esse, & siue ad boum stoliditatem, siue ad feritatem leonum esse efformatos, siue ad aquilarum recuruis rostris effigiem, siue ad pilosam auium plumescentium fictos, seu rotas quasdam igneas, & materiales sedes ad accubitum summæ Diuinitati necessarias supra cælum imaginari stolidè incipiamus, & equos discolores aliquos, & satellites armatos, ac duces, & cætera id genus, quæ nobis euidenti & expressâ varietate signorum sacratissimè ficta traduntur. Nempe enim fictionibus poëticis Theologia, vt eos describeret spiritus qui formis carent, assatim vtitur, humanæ scilicet mentis infirmitatem non ignorans, eique propriam & cognatam viam, per quam ad altiora feratur, benignissimè prouidens, ac pro ipsius modo in sacris literis huiusmodi ascensionis itinera sternens.*

8. Sed iam ad habitus veniamus. Sanctus Leo serm. 2. de Ascensione Domini: *Astiterunt ipsis* discipulis intuentibus Christum eleuatum) *Angeli duo mirabili vestium candore fulgentes.* Et Petrus Chrysologus serm. 74. ad ea verba de Angelo, ***Erat aspectus eius sicut fulgur, & vestimenta eius sicut nix***, ita ait: ***Ad Angeli gloriam non sufficit fulgor, ad cælestem naturam quid fecit ve-***

ſtimentum? ſed ſplendore tali referebat ſpeciem noſtræ reſurrectionis. Dicit nimirum, fulgorem illum ſplendidum, qui in Angelis eſt, ſpeciem noſtræ reſurrectionis repræſentaſſe. Et ſerm. ſequẽti: *Vultus claritas à veſtium candore ſeparatur, & facies fulguri, niui veſtis Angeli comparatur, quia fulgur de cœlo, nix de terra*.& poſt pauca: *In facie ergo Angeli claritas cæleſtis ſeruatur naturæ: in veſte verò figuratur gratia communionis humanæ, & temperatur ſpecies Angeli colloquentis, vt carnales oculi & veſtium ferant placidam claritatem, & ex fulgore vultus nuntium ſui tremerent & reuererentur auctoris*. Bellarminus concione 2. ſuper ea verba, *Miſſus eſt Angelus Gabriel*, ita ait: *Pulcherrimi atque ſplendidiſſimi iuuenis formam imitatus eſt, ſed habitu quodam & ſpecie auguſtiore, quàm cæteri homines videri ſoleant; vt facilè poſſet intelligi aliquid homine maius & præſtantius in eo corpore latere, neque hominem mortalem, ſed Angelum cæleſtem adueniſſe*. Ludouicus Bloſius in Dict. Patrum ait: *Angeli ſancti mirum in modum ſplendidi, nobiles, glorioſi, ac ſpecioſi ſunt*. Sanctus Auguſtinus ſerm. de Annunciation. Archangelum Gabrielem mirè deſcribit: *Mox aſtriferum volatu rapido ſecauit aërem, percuſſit lumine noctem, ac flammeos artus vibrans, velut pauo vniuerſi coloris radiis Solis obtectus, per medios cæli ſinus ferebatur, donec extrema Mariæ tecta coruſcans ingreditur*. Vnde cùm Cauſſinus noſter ſcripſit lib. 14. cap. 2. *Noli tales tibi fingere Angelos, quales fortè apud pictores & poëtas ſæpe vidiſti, quibus vultus admirabili fulgore circumfuſus, crines in ceruicem molliter effuſi auro obryxo*

flauescunt, & lactei colli nitorem blandissimo fauoniorum spiritu ventilati percurrunt. Quibus alæ ex humeris emergunt geminæ, in cælesti textrina concinnatæ, florida viriditate, qualis in pauonibus esse solet irradiatæ: aureo croceo, puniceo, cæruleo denique colore miti admodum temperie variatæ, tot referunt spectantibus pigmenta, quod in arcu cælesti cum voluptate miramur; tunica deinde byssina est quam subtilis denticulati operis limbus circumquaque excurrens magna vestit cum dignitate. Cùm inquam hæc scripsit, solùm voluit vt intelligeres, Angelos non ita à Deo creatos, quales pinguntur : sed nihil vetat, eos ita concipere, vt ex Patribus visum. Quis enim dicat *Angelos flere?* atqui in Scriptura dicitur, *Angeli pacis amarè flebunt.* Sanè id totum metaphoricum est. Et B. Hieronymus (mitto alios, qui intelligunt nuntios) qui Angelos verè intelligit præsides templi Salomonis, *flebunt* accipit metaphoricè, pro dolore, quo templum videbunt esse in periculo cladis. vnde B. Ignatius, teste Orlandino lib. 13. admonebat quendam vt Angelos imitari studeret, *qui in animarum sibi commissarum custodia, omnem quidem diligentiam præstant; sed euentus quicumque sit, nihil de tranquillitate, nihil de beatitate sua perdunt.* Ita Isaïas cap. 33. cùm dicit de Angelis, *flebunt*, est, vellent aliter accidisse circa templum. Mitto, vt dixi, alios, qui de nunciis capiunt. Vide Cornelium.

9. Etenim cùm Angeli assumunt formam corporalem, obseruant viri docti, in veteri testamēto eos apparere solitos sine luce; in nouo autem frequenter cum luce & splendore, præsertim post

Christi Natiuitatem. Inde Lucæ 2. *Angelus Domini stetit iuxta illos, & claritas circumfulsit illos.* & 24. *Duo viri steterunt secus illos in veste fulgēti.* & Matth. 28. *Erat autem aspectus eius sicut fulgur, & vestimentum eius sicut nix.* & Marci 16. *Viderunt iuuenem sedentem in dextris coopertum stola candida.* & Actor. 1. *Ecce duo viri astiterunt iuxta illos in vestibus albis.* Item sæpissimè apparent vt iuuenes pulchri & formosi, & obseruatum est numquam apparuisse in forma muliebri, sed semper in virili, quia cùm appareant ad propagandum Christi honorem, oportet in forma virili apparere. *Albati* vero apparere crebro visi sunt Angeli, non quòd eis alterius coloris veste vti non liceat, vt Seuerus Antiochenus somniauit, perinde ac si eis purpura vti non liceat, sed quia candor placet Angelis, & in veste, & in mente. Candidatos illos esse cōuenit, apud quos perpetui festi ac nuptiales dies, continuum gaudia, & æterna sunt conuiuia. Matthæus illis dat 28. ἔνδυμα λευκὸν. Marcus 16. στολὴν λευκὴν περιβεβλημένον. Ioannes 20. ἐν λευκοῖς apparuisse Angelos dicit. & quidem in Christo Domino multa est mentio de alba veste, & in capillis adhuc, vt in Apocal. *Caput autem eius, & capilli erant candidi, velut lana alba, & tanquam nix.* Et in eodem Apocal. Laodicensi Ecclesiæ Deus suadet, vt vestimentis albis sese induat, vt non appareat dedecus nuditatis eius. In Ezech. 9. *lineis* vestitus inducitur Angelus, pro quo 70. habent *poderem*, Aquila *stolam*. Redeo ad apparitiones, ad quas soliti sunt perterreri homines, & est ratio, quia est naturale terreri aliquem, quando videt

insolitam, & humana specie illustriorem formã. Potest etiam & alia ratio assignari huius timoris. Vulgò receptum erat eum statim moriturum, qui Deum, vel Angelum apparentem vidisset. Inde Gedeon cap 6. Iudicũ ait: *Heu mi, Domine Deus, quia vidi Angelum Domini facie ad faciem. Dixitque Dominus, pax tecum, ne timeas, non morieris.* Item Manue Samsonis pater dixit ad vxorem Iudic. 13. cùm vidit Angelum: *Morte moriemur, quia vidimus Dominum.* Prætereà in hoc timore obseruãda est differentia bonorum & malorum: timent boni, ne coram Angelis minùs reuerentes esse videantur; timent mali, ne dent suorum scelerum pœnas, quemadmodum Adamum Angeli eiecerunt ex Paradiso.

10. Neque vero dubitandum est Angelos formari & pingi posse. Quod probatur primò ex veteri Testamento, quia constat statuas Cherubinorum in tẽplo fuisse erectas. Secũdò ex praxi & consuetudine Ecclesiæ, in qua statuæ & imagines Angelorum fuerunt semper in honore, & approbatæ à sanctissimis viris. Tertiò, quia si Angelo dignati sunt in figura corporea nobis apparere, cur non liceat eos hoc modo depingi? Et quidem cum *gemmis* solitos pingi Angelos, oraculis diuinis admonemur. Ezechiel enim de omnium pulcherrimo locutus, dixit: *Omnis lapis pretiosus operimentum tuum.* Constantinus Magnus, teste Damaso, in æde S. Ioannis ad Lateranum (basilica Constantiniana olim dicebatur) præter innumeras ex auro & argento icones, quatuor prægrandes ex argento Angelos variis gemmarum ignibus collucentes statuit. Quinetiam in

fronte præferunt Angeli crucem loco labari & trophęi, quia illorum Rex Christus cruce dæmonem vicit. Item *excalceati* pinguntur, vt ostendant viros sanctos non semper calceis egere, qui cælo mente inerrant nudis pedibus: & sæpe nubibus inambulantes pinguntur, quo docent nos modum, vt aduersa tranquillè vincamus; quippe nubes non est nisi densatus vapor.

11. Absoluam hoc caput cum Dionysio cap. 15 Cælestis Hierarchiæ, vbi rationem dat huius humanæ formæ quæ Angelis datur: *Possumus & per singula plurifariam diuisa humani corporis membra, non inconcinnas vt reor imagines, cælestiũ inuenire virtutum. Dicimus enim visu quidem in sanctis Angelis clarissimam signari aciem, qua diuinis hauriendis luminibus inhiant; simplicemque præterea illam & liquidam, nihilque obluctantem, sed motus celeritate constantem, puramque & patulam suscipiendis absque perturbatione vlla diuinæ claritatis fulgoribus qualitatem. Porro, naribus olfaciendi ac diiudicandi vi præditis, capacem eorum perceptionem, quæ summam illam suauissimamque fragrantiam pro viribus admittentes, cætera quæ huiusmodi non sint scitè diiudicant, ac penitus fugiunt. Auribus verò vim illam participandi, diuinamque participationem scitè suscipiẽdi. Gustu autem intelligibilis alimoniæ refectionem, & diuinorum nutrientiumque liquorum admissionem. At verò tactu constantiam illam exprimi putamus, qua quod vtile, quod noxium sit, peritè discernunt. Porro dentes diuisionem indultæ sibi perficientis alimoniæ, alentisque perfectiones exprimer credimus. Palpebras & supercilia statum illum si*

gnificare arbitramur, quod diuinæ speculationis sensus, atque intelligentias cautissimè seruant. Pubescentem verò & iuuenilem ætatem vitalis virtutis constantiam sempiternè vigentis. Humeros autem, atque vlnas, & manus faciendi & operandi strenuam ac potentissimam vim in diuinis spiritibus interpretamur. Cor item signum esse dicimus diuinam speciem præ se ferentis vitæ, quæ vitalem vim summi boni instar inferiora disseminat. Porro pectora virtutem insuperabilem, seruandique vim, vt est à subiecti cordis viuifica distributione significant. Dorsa verò vim indicant vitales omnes virtutes continentem. Pedes autem mobilitatem, celeritatem, atque cursum insinuant sempiterni motus ad diuina tendentis: quocirca & sanctorum spirituum pennatos Theologia pedes effingit. Quippe signatur celeritas alta conscendens, & cælestis vitæ cursus iter in interiora semper ad celsiora consternens, & quòd ad superiora feratur mortalibus atque infimis omnibus exceptus: sed enim alarum leuitas id in sanctis Angelis indicat, quod terreni corporis sarcina liberi toti absque vlla admistione vel pondere ad celsa ferantur. Quod autem nudi & discalceati describuntur, hoc significat, quòd liberi & absoluti, & expediti, atque exterioris omnis adiectionis labe sint puri, & ad diuinæ simplicitatis similitudinem tendant. Et prosequitur in hunc modum, quare cingantur zonâ, &c. quæ quidem castimoniæ est nota, & quidem lumbos præcingunt Angeli, neque enim solùm est castitas corporis, sed & cordis.

12. Ioannes Thessalonicensis Episcopus sermone contra Gentiles, qui lectus est, & appro-

batus à sanctis Patribus Concilij Niceni secundi, sic inquit: *Quòd autem hominis figurâ pingantur, in caussa est, quòd ita visi sunt, si quando ministerium Dei apud homines obierunt. & Patrum fuit sententia, quia Angelos pingere oportet, quando circumscribi possunt, & vt homines apparuerunt.* Reliqua, quæ hîc dici possent, variis locis inserta sunt in hoc libello.

De Angelorum malorum nequitia, & bonorum sanctitudine.

CAPVT XLVIII.

1. ANgelorum nequitiam, & impetum, quo nos volunt ad Tartara deprimere, vix est sanctus, qui non attigerit. Hermas enim lib. 2. mandat. 6. de agnoscendis duobus cuiusque hominis geniis, ita ait: *Accipe nunc, & genij iniquitatis opera. Primùm amarus, iracundus, & stolidus est, & opera illius perniciosa sunt, & euertunt seruos Dei. Cum ergo in cor tuum ascenderint hæc, intelliges ab operibus eius hunc esse genium iniquitatis. Quomodo Domine intelligam? Audi, inquit, & intellige: Cum iracūdia tibi accesserit, aut amaritudo, intellige eum esse in te, &c.* Tacianus in oratione contra Græcos: *Dæmones pro sua malignitate in homines debacchando, variis, & ementitis figmentis ingenia eorum deorsum nutantia luxant, & labefactant, quominus ad viam cœlorum erigi queant, &c. Verumtamen aliquando videntur Dæmones etiam ab istis, qui anima reguntur, non spiritu, cum ipsi sponte conspectui se offerunt: vel vt ali-*

quis esse existimentur: vel vt noceant hominibus, vtpote inimicis amicitiam simulantes ex ingenij malignitate, velut sui similibus conferendi in se cultus occasionem exhibeant. Etenim si possent cælum ipsum cum reliquis omnibus à Deo conditis detraherent & subuerterent. Eusebius Cæsariensis de Demonstrat. Euangel. lib. 3. cap. 5. *Ab eodem Saluatore didicimus hostiles quasdam, inimicasque humani generis, per hunc, qui circum terram versatur, aërem, volare potestates Dæmonum, spirituumque malorum, eorumque, qui in illis principatum tenent, quæ cum malis hominibus versentur, quas vt omni conatu fugiamus in præceptis habemus, tametsi vel quam maximè Deorum appellationes; & cultus sibi ipsis arrogant, multoque etiam magis ab illis esse declinandum propter hanc ipsam cum Deo repugnantiam, hasque aduersus Deum inimicitias.* Et infra lib. 4. cap. 48. *Cum multiplici errore vagetur, & nobis haud cernentibus circum hũc aerem, qui terram ambit, terrestris quædam volitet, ac Dæmoniaca natura, quam homines neque cognoscere, neque discernere idonei sunt: cumque bonorum item spirituum, ac potestatum, & ipsorum denique diuinorum Angelorum natura ab ea, quæ in deterius lapsa est continenter dissideat, non aliter iis qui à supremi omnium Regis cultu declinassent, res bene poterat cedere, quam si eorum, quæ in cælo spectantur, quæ præstantissima sunt, elegissent. Periculum enim non mediocre erat, nec vbi Deum quærentes, & curiosius, quæ ad aspectum non veniunt, indagantes, difficultate earum rerum quæ latent obscuraque sunt ad contrarias Dæmoniacasque potestates verterentur.* Basilius magnus ait in Isaiæ

cap. 8. eos nec nos sinere in quiete, adeò turbulenti sunt, vt integram animæ possessionem in somnis requirant. sic enim ait: *Et quidem nunc imaginationes quasdam circumfusi circumsistentibus ingerunt inter soporem carpendum, quæ aut contineant vitiosam corporis affectionem, aut prænuntient, quid futurum sit. Siquidem Dæmones tales euentus simul cernere possunt, superiores quidem sunt corporeis affectibus, quod sint proprietate materialium rerum longè perspicaciores, & qualitates herbarum sedulò obseruent, & earum vim excitandis affectionibus obscœnis congruentem norint. Plerumque verò, & futura prædicunt, eorum, quæ prius contigerunt collatione. Quod autem intelligant ea ad nostram nondum peruenisse notitiam nobis annuntiant quasi futura.*

2. Vtitur Macharius Ægyptius similitudine hominis triticum cribrantis, ad quem modū miseros mortales exagitat Dæmon: ita enim ait homilia quinta: *Quemadmodum triticum in cribro eius qui tractat illud alliditur, & agitatum in ipso assidue vertitur: ita princeps nequitiæ, cunctos homines rebus terrenis occupatos tenet, & einsmodi occupationibus eos agitat, turbat, & commouet, efficitque vt vanis cogitationibus allidantur, dum obscœnis desideriis, & terrenis, atque sæcularibus laqueis vniuersum genus Adæ peccato obnoxium, sine intermissione captiuat, agitat, atque decipit; sicuti Dominus nequam illum prædicabat in Apostolos insurrecturum, expetiuit Satanas cribrare vos sicut triticum &c. Qua enim ratione ventus vnus sufficit ad omnes plantas, & semina agitanda, & concutienda, aut sicut noctis vnius tenebræ per vni-*

uersam terram extenduntur. Ita princeps nequitiæ, quiquidem se habet ad instar tenebrarum rationalium peccati, & mortis, & est velut quidam ventus latens, & agrestis, omne genus hominum, quod est super terram perturbat, & circumagitat volubilibus cogitationibus. Et Homilia 15. *Quemadmodum si fuerit in aliqua domo quidam adolescens, similiter & iuuencula; quæ ab illo blanditiis illecta assentiatur illi stuprum committit, & sit dignus, qui expellatur; ita dirus ille serpens peccati comitatur animam, alliciens eam, & prouocans, quæ si assentiatur communicat anima incorporea, cum spiritu communionem habet, & fornicatur in corde suo is, qui assentitur, & cogitationem nequissimi recipit.* Et Ephræn Syrus ad euersionem superbiæ: *Versutus, & callidus, multiformisque est hic immundus spiritus, vnde etiam in cunctos dominari nititur, singulisque, per quas transire contigerit vias, in iis laqueos constituit, sapienti per sapientiam, forti per fortitudinem, diuiti per diuitias, formoso per pulchritudinem.* Ioannes Chrysost. in imperfectum Matthæi hom. 5. ita ait: *Diabolus quantum ad se nũquam cessat tentans, neque enim habet aliũ actũ Non manducat, non bibit, non dormit, nec opus aliquod operatur, nisi vt tentet, vt fallat, vt subuertat. Hic est cibus illius, hic honor, hoc & gaudium. Propterea infatigabilis est in malo, sed potentia Dei repellit eum: etsi permittit eum paulisper tentare propter fidem probandam, tamen repellit eum propter infirmam naturam.* Et concione prima de Lazaro: *Diabolus circumcursat obsistere cupiens nostræ saluti, non solùm ipse nihil hinc lucri reportans, verumetiam suo studio grauissima detrimenta sibi*

concilians. Is tamen vsque adeo vesanus est, vt frequenter & illa tentet, quæ nequaquam fieri possunt: nec illos solùm adoriatur, quos omnino confidit se supplantaturum, deiecturumque; verùmetiam eos, quos probabile est artibus ipsius fore superiores. Itaque cum audiret laudari, & mirificè prædicari Iob ab eo qui nouit arcana omnia, nimirum Deo, sperabat fore, vt eum viribus superior subuerteret: nec destitit omnia mouere, molirique, quo supplantaret hominem, nec desperauit impurus ille ac sceleratissimus Dæmon. Idque cum Deus illi iusto tantum virtutis suo suffragio tribuisset. Et post hæc non erubescimus, neque pudore suffundimur? Dic mihi, qui cum Diabolus nunquã desperet nostram perniciem, sed indesinenter eam expectet, nos fratrum salutem desperauerimus? Sanctus Nilus apud Damascenum in parallelis lib. 3. ca. 28. *Non omnibus Dæmonibus eadem studia, aut eadem perniciosa munera à Diabolo imperantur: alij enim aliud execrandum, ac Deo inuisum ministerium mandatur. Quidam enim impias cogitationes in hominum' pectoribus insculpunt: Nonnulli autem fœdas, & obscœnas cupiditates animæ suadent, atque alij quidem ad inanem gloriam, & inuidiam, & iracundiam, cæteraque id genus animum stimulare consueuerunt; Alij autem hæreticis disputandi materiam subministrant. Alij demum voracitati, & temulentiæ, & libidini operam impendunt. Ac rursus alij quidam Dæmones per insomnia imposturam faciunt, atque homines ludificantur.* & Ioannes Cassianus cap. 17. *Vnicuique (ait) vitio certos spiritus incubare, ac alios quidem immunditiis, ac libidinum sordibus oblectari; alios blasphemia,*

alios iræ, furorique peculiarius imminere, alios pasci tristitia; alios Cænodoxia, superbiaque mulceri. & vnumquemque illud vitium humanis cordibus, quo ipse gaudet, inserere.

5. Quin Dorotheus Archimandrita Diabolum constituit non solùm hostem hominum, sed & aduersarium, quod proficit vt intelligas, quod sit discrimen inter hostem, atque aduersarium, sic enim ait Doctrin.2. de humilit: *Vtquid autem diabolus non solùm hostis, sed & aduersarius noster vocatur? Hostis scilicet, quia bonum omne, omnesque mortales odio habet, cunctisque insidias ponit: Aduersarius autem, quia in omni bono opere impedimento nobis esse quærit. Vult aliquis orare? hunc quærit auertere, & impedire per malas cogitationes, per captiuitatem, per acediam. Optat alius quisquam mereri? hunc impedire studet per inertiam, incuriam, & negligentiam, & vt breuiter dicam, cuiuis operi bono aduersatur, & hac de causa hostis, & aduersarius maximè appellatur.* Olympiodorus ad caput 4. Ecclesiast *Ipse Princeps, auctorque malorum Diabolus, cum apostaticis potestatibus, assidue calumnias texunt, mendaciaque moliuntur.* Metaphrastes in vita Arsenij cap.10. *Hoc quoque nos non lateat, quod noster inimicus Diabolus, multis, & variis vtens machinis nos conatur decipere, & boni prætextu in mala impellere: vt verbi gratia suggerens hospitalitatem, & consequenter fratrum, qui accedunt gratam, & benignam exceptionem efficit vt simul comedant, & cõpotent. Causa autem est bonum charitatis, deinde sic paulatim suffurans & attrahens, imprudentes nos trahit, vt ventri seruiamus, & Deinde nos ad*

satietatem

satietatem libidinis polluit, & voluptatibus. Aliis rursus submittens in animum eleemosynam, & benignitatem, & in pauperes beneficentiam, immittit amorem pecuniæ, & in furorem impellit auaritiæ. Aliis autem multorum vtilitatem, tamquam escam porrigens, efficit vt silentium, & quietem relinquant tamquam rem inutilem, & cum multis quidem mundanis habeant conuersationem, & nonnunquam etiam cum mulieribus incautè hoc faciant persuadet, tamquam qui iam eò peruenerint, vt sint impatibiles, & sic miseros reddit libidinosos, & seruientes animi perturbationibus. &c.

4. Minutius Fœlix in Octauio adhuc astutiam Dęmonum in decipiendis hominibus exaggerat, quòd in statuis, & imaginibus delitescant, hominibus daturi responsa; sic enim ait: *Isti igitur impuri spiritus dæmones sub statuis, & imaginibus consecratis delitescunt, & afflatu suo auctoritatem, quasi præsentis numinis consequuntur, dum inspirantur interim vatibus, dum sacris immorantur, dum nonnumquam extorum fibras animant, auium volatus gubernant, sortes regunt, oracula efficiunt falsis pluribus inuoluta. Nam & falluntur, & fallunt, vt & nescientes synceram veritatem, & quam sciunt in proditionem sui non confitentes. Sic è cælo deorsum grauant, & à Deo vero ad materias auocant, vitam turbant, omnes inquietant, irrepentes etiam corporibus occultè, vt spiritus tenues morbos fingant, terrent mentes, membra distorquent, vt ad cultum sui cogant.* Cyprianus lib. Quod Idola non sint Dij: *Spiritus insynceri & vagi, qui posteaquam terrenis vitiis immersi sunt, & à vigore cælesti terreno contagio recesserunt, non desinunt perditi*

perdere, & deprauati errore prauitatis infundere. Hos & Poëtæ Dæmonas norũt, & Socrates instrui se, & regi ad arbitriũ Dæmonis prædicabat, & Magis inde est ad perniciosa, & ludicra potestatis, quorũ tamen præcipuus Hostanes, & formã veri Dei negat cõspici posse, & Angelos veros sedi eius dicit assistere. In quo & Plato pari ratione consentit, & vnũ Deum seruans cæteros Angelos vel Dæmonas dicit. Hermes quoq; Trismegistus vnũ Deũ loquitur, eumq; incomprehensibilem, atque inæstimabilẽ confitetur. Hi ergo spiritus sub statuis, ac imaginibus cõsecratis delitescunt: hi afflatu suo vatũ pectora inspirant: extorum fibras animant, auium volatus gubernant, sortes regunt, oracula efficiunt, falsa veris semper inuoluunt; nam & falluntur, & fallunt: vitam turbant, somnos inquietant, irrepentes etiam in corporibus occultè mentes terrent, membra distorquent, valetudinem frangunt, morbos lacessunt, vt ad cultum sui cogant, vt nidore altarium, & rogis pecudum saginati, remissis, quæ constrinxerant, curasse videantur. Hæc est de illis medella, cum illorum cessat iniuria: nec aliud illis studium est, quàm a Deo homines auocare, & ad superstitionem sui ab intellectu veræ religionis auertere. Cum sint ipsi pœnales, quærere sibi ad pœnam comites, quos ad crimẽ suum fecerint errore participes. Hilarius in Psal. 118: ita ait: *Est eius propria calliditas, instigare ad peccandum, & arguere peccantes. Dictum est enim an nescitis, quia adest Diabolus accusator fratrum vestrorum?* Auguſt. de Ciuit. Dei lib. 8. cap. 22. *Credendum est Dæmones esse spiritus nocendi cupidissimos, à iustitia penitus alienos, superbiã tumidos, inuidentiã liuidos, fallacia callidos, qui in hoc*

quidem aere habitant: quia de cæli superioris sublimitate deiecti, meritò irregreßibilis trãsgreßionis in hoc sibi congruo velut carcere pœnam nati sunt, nec tamen quia supra terram & aquas aërius locus est, ideo & ipsi sunt meritis superiores hominibus, qui eos non terreno corpore, sed electo in auxilium Deo vero, pia mente facillime superant. Sed multis plane partitione veræ religionis indignis tamquam captis, subditisque dominantur: quorum maximæ parti mirabilibus & fallacibus signis, siue factorum, siue prædictorum Deos se esse persuaserunt. Leo Magnus de Collectis, & Eleemosynis sermone 4. *Incentor ille, auctorque peccati, primùm superbus, vt caderet, deinde inuidus vt noceret, quia in veritate non stetit, totam vim suam in mendacio collocauit, omniaque deceptionum genera de hoc venenatissimo artis suæ fonte produxit: vt ab illo bono quod ipse propria elatione perdiderat, spem humanæ deuotionis recluderet, eosque in consortium damnationis suæ traheret, ad quorum ipse reconciliationem pertinere non posset. Quidquid igitur hominum, quibus li et impietatibus Deum læsit, huius fraude traductum, huius est nequitiâ deprauatum. Facile enim in omnia flagitia impulit, quos in religione decepit.* Cassiodorus ad cap. 3. Canticorum. *Versutissimus ille hostis, & tam subtilitate spiritualis naturæ, quam etiam temporis longæuitate doctissimus, contra quem sancti bella suscipiunt.* Berno Augiensis lib. de Diuinatione Dæmonum contemnenda: *Dæmones sunt prauæ voluntatis, maximeque superbiæ, fastus, & inuidentiæ, atque malitiæ, spiritus immundi, atque peruersi.* Rupertus Tuitiensis lib. 10. in Apocalypsi. cap. 18.

Dæmones, spiritus immundi sunt, videlicet, quia damnati Angeli, qui sunt Dæmones, siue spiritus maligni duplici pro causa pœnas dabunt: altera causa est; quia in cœlo contra Creatorem superbierunt; altera, quia genus humanū prima per serpentem præuaricatione deceptum cunctis vitiorum sordibus polluerunt. Propter illam dæmones, hoc est, scientes, quia contra scientiam Dei se extulerunt, propter istam causam spiritus immundi dicuntur, quia spurcissimi sunt. Taulerus de decem cœcitatibus, cœcitate septima: *Maligni spiritus, licèt miro, & incomprehensibili odio in commune aduersus omne hominum ferantur genus, speciali tamen liuore insaniunt contra electos* Dei *amicos, qui illis resistunt, quosque timent loca ea, vnde ipsi extrusi sunt, occupaturos. Idque adeò, vt etiam si iam certum, exploratumque haberent eiusmodi sese homines decipere non posse, ex obstinato tamen odio, ab eorum vexatione nihilo magis abstinerent: quin & perturbare eos, & etiam subitæ neci tradere non omitterent, si à Deo, & bonis Angelis non prohiberentur, & licèt certissime sciant, & huiusmodi suo odio, & damnandorum numerositate, æterna sua tormenta magis, ac magis augeri: nihilominus tamen ex obstinata sua malitia, quamlibet ipsi inde grauia sese tum pericula, tum damna sustinere persentiant, ab hominum infestatione sibi temperare non possunt, adeo vt etiam puellos, intra materna inclusos viscera perdere appetant, si tantum id ipsis permitteretur. Enimuero tetris illis spiritibus superbia quædam inest, & phantasia proterua, amens furor & inuidia, & concupiscentia irrationabilis: tametsi naturalia in ipsis permanserint integra, pu-*

ta subtilitas, intellectus, fortitudo, & similia. &c. Quod ad eorum subtilitatem attinet, sciendum est, ab initio apostasiæ suæ nihil eos aliud vel didicisse, vel exercitasse, quàm homines fallere, occæcare, perdere, Deique gloriæ aduersari. Naturalem item ingenij subtilitatem, incessabilemque humanæ perditionis sitim adeò eis suffragari, vt nulla sit fraus, dolus, nequitia, vitium, siue peccatum, quæ ipsorum experientiam effugere queant: per quæ etiā sanctos, & sublimis quondam vitæ homines vincere, aut subuertere potuerunt: nimirum cùm tanta sit illorum tum naturalis, tum inolta industria, longoque experimento parta subtilitas, calliditasque, vt nullus eam humanus capiat intellectus. Ex eaque cuiuslibet hominis complexionem, & naturalem propensionem solerter attendunt, explorant, obseruant; Atque hanc ipsam vnà cum carnis fragilitate, pronitate ad malum, & sæculi blanditiis, & occasionibus ad expugnandam arcem animæ assumunt, sicque mille laqueos, & pericula omni in loco, tempore, studio, causa, & opere miseris tendunt mortalibus. Idem in festo S. Michaëlis: *Dæmones qui ex tertio choro Angelorum lapsi sunt, contra pios grauiter insurgunt, vniuersos quos possunt dolos, fraudes, insidias machinantes, vt eos retrahāt atque subuertant; nec locum illum, vnde ipsi extrusi sunt, assequantur: nec dici facile, nec credi potest, quantas in hoc absque cessatione nequitias adhibeant, exerantque.* Hinc videbis vafros hos, & astutos Dæmonas impostores esse, & deceptores animarum nostrarum, quibus nihil est occultum; nam tametsi cogitationes non intelligant, tamen vt sunt callidissimi, suspicātur cuius generis sint:

& vt illi priuatam appetierunt excellentiam, volentes aliis præferri, sic odorantur subtili quadam astutia, quæ in nobis sit ad res nostras solertia; *Diabolus* enim non naturæ est, sed accidentis pessimi Græcum nomen, & interpretatur *Deorsum fluens*, siue *proiectus*. Quo nomine rectè appellatur ille damnatus angelus, & perditus.

5. Vt videas verò quibus commissa est salus tua, quàm piis, quàm beneuolis, quàm sanctis, nonnihil dicam de excellentia sanctitatis, quæ est Angelis, qui beatissime viuunt, sine omni corporea fece, corruptionis omnis expertes. Damasc. lib. 2. de Fide, cap. 3. *Angelus est substantia spiritualis, semper mobilis, suæ potestatis, arbitrioque libera, incorporalis, Dei ministra, per gratiam, non natura immortalitatem consequuta.* Quid vult Nazianzen. cùm dixit Orat. 28. δύο ταῦτα δυσεγάπητα, Θεὸς καὶ ἄγγελος: *Duo hæc arripi ac superari nequeunt, Deus, & Angelus.* Quid illud eiusdem Orat. 35. πνεῦμα δὲ λέγει καὶ πῦρ, τὸ μὲν ὡς νοητὴ φύσις, τὸ δὲ ὡς καθαρσις: *spiritus porrò atque ignis Angelus appellatur, illud quia intellectili natura est præditus, hoc quia purgandis animis nostris adhibetur.* Et orat. 40. de Baptismo exquisitè Angelũ afficit, δεύτερον δὲ φῶς ἄγγελος, τῆ πρώτου φωτὸς ἀπορροή τις, ἢ μετουσία: *secundum lumen est Angelus primi illius luminis veluti riuulus quidam aut participatio.* Nihil grandius dici potest, quàm riuulum appellare participantem aliquid à summo flumine Deo. & infra addit: *Quoniam enim omni labe carere peccati, Dei est, primæque & incompositæ naturæ (simplicitas enim pacata est, atque ab omni dissidia remota)* θαῤῥῶ δὲ εἰπεῖν ὅτι καὶ τῆς

ἀγγελικῆς, ἢ ὅτι ἐγγυτάτω τούτου διὰ τὴν πρὸς Θεὸν ἐγγύτητα: *audacter etiam addam, & Angelicæ, quæ aut prorsus extra peccandi aleam est, aut ad id certè, ob eam propinquitatem, quam ad Deum habet, proximè accedit.* Libera est versio. & Orat. 38. *Quoniam autem bonitati nequaquam satis erat sua ipsius solum contemplatione moueri, sed bonū diffundi ac propagari oportebat, vt plura essent, quæ beneficio afficerentur (id enim summæ bonitatis erat) primum Angelicas virtutes & cælestes cogitauit: atque illa cogitatio opus erat, quod verbo conficiebatur, ac spiritu explebatur.* Vides Deum occupatum in creanda nobilissima creatura, quæ ad custodiam tuam dirigenda esset? vt videas, quid debeas benefactori tuo, qui riuulum aquarum produxit, qui Angelicam naturam extra omnem peccati aleam formauit, qui cœlestes spiritus cogitauit, in tui vtilitatem. Inde S. Gregor. lib. 32. Moral. cap. 18. *Licet homo ad similitudinem Dei creatus sit, Angelo tamen quasi aliquid maius tribuens, non eum ad similitudinem Dei conditum, sed ipsum signaculum Dei similitudinis dicit: vt quo subtilior est in natura, eo in illo similitudo Dei plenius credatur expressa.* Itaque, ille, cui commissus es seruandus, signaculum est Dei. Verissime dixit Drexelius: *Tersissimo nitidissimoque speculo sunt simillimi, in quo æterna sapientia, bonitas, potentia, & amor conditoris clarissime relucēt.* Natura illis pura est, subtilis, ætherea, quam nulla corporis figura delineat, nulla materiæ labes infuscat, nullus corruptionis næuus aspergit, & vt summatim dicam, nostri pars melior animus est, Angelus nihil est præter animum. At

quis animus? non ex eo igne delibatus, sed excitatissimę mentis vigor tanto expressius ad æternę pulchritudinis exemplar conformatus, quanto decius fonte propiùs respergitur, & vberius. Hinc ille omnium ornamentorum insignis quidam decor, & bonorum immortalis affluentia, quam in conditorem suum gratissimæ voluntatis ingenuitate refundunt.

De sanctissimis Michaele, Gabriele, Raphaele.

Capvt xlix.

1. S. Michael Princeps Synagogæ describitur. Ita Dionysius cap. 9. Cœlest. Hierarch. quē sequuntur Theologi. Inde Daniel. cap. 10. *Nemo est adiutor meus in omnibus his, nisi Michael Princeps noster.* Quatuor meminit Scriptura gestorum ipsius. Primo apud Danielem cap. 10. vbi dicitur egisse caussam Iudæorum, vt possent liberari ex captiuitate Babylonica. Secundo cap. 12. vbi dicitur venturus tempore Antichristi, & pro populo suo pugnaturus. Tertiò in epist. Canonica Iudæ, vbi dicitur, contendisse cum diabolo de corpore & sepulchro Mosis; diabolus volebat in apertum proferre, vt Iudæos ad Idololatriam inuitaret; Michael se opposuit, vt populo occasionem præscinderet. Quartò Apocal. 12. vbi describitur ipsius pugna cum Lucifero, quæ apud Danielem prædicta erat. Hæc omnia indicant, Michaëlem habuisse curam & protectionem Iudæorum. Ad hæc multi multas tri-

buunt apparitiones. Putatur enim Mosi legislatori apparuisse in medio rubi, & eduxisse Israël ex Ægypto, submersisse Pharaonem & reliquos persequentes Israelitas, pugnasse pro istis in deserto spatio quadraginta annorum, apparuisse Gedeoni, istumque interfecisse exercitum Sennacherib, & ideo has tribuunt illi apparitiones, quia cũ princeps esset illius populi, credibile est egisse hæc omnia. Pantaleon Diaconus in Homiliis de Michaële apud Lipomanum ascribit Michaeli, illum fuisse, qui cum tribus pueris in fornacem ignis ascendit; & custodisse Danielem in lacu leonum, & portasse Abacuc ex Palæstina in Babylonem, & præfuisse motioni aquarum in piscina Probatica, & alia similia, vt qui Isaiæ calculũ ignitum in os immisit, & labia illius purgauit.

2. Deinde Michael præest Ecclesiæ Dei. Hoc probat Gregorius lib. 17. Moral. cap. 8. Chrysost. Orat. 2. aduersus Iudæos. & 8. de laudibus Diui Pauli. Ad hæc variæ sunt apparitiones. In Occidentali & Orientali Ecclesia, quamobrem illic sunt permultæ Ecclesiæ, & permagnificæ erectę. Prima in Apulia in monte Gargano, secunda Romæ in monte Adriani ab Bonifacio Papa, tertia in foro Piscario, quarta Romæ ad Vaticanum à Leone quarto ob fugatos Saracenos; quinta prope Byzantium, quæ illustrata est multis miraculis, & appellata Sostenium; sexta à sancto Ansberto Episcopo, vt scribit Sigibertus in Chronico ann. 709. Procopius memorat sex basilicas ædificatas in honorem S. Michaelis ab Iustiniano Imperatore. Vide etiam Baronium ad diem 18.

Maij.. Præpositus eſt etiam Princeps Eccleſiæ, propterea quod Luciferum eiecerit præcipuum Angelorum, honorem diuinum ſibi arrogantem. vnde Rupertus: *Michael maximus Princeps noſter hic eſt, qui ad finem vſque ſeculi principatur populo Dei; Princeps in prælio, Princeps in orationis ſuffragio.* & : *in quibus multa ſunt nimis, & plura quam cõmemorari poſsint, quæ per miniſteriũ Principis huius facta continentur.* Vnde, B. Antonino teſte, hic idem Michael B. Franciſco ſtigmata impreſſit.

3. Tertiò Michael præpoſitus eſt toti exercitui Angelorum, quod Bellarminus lib. 1. de Pontifice cap. 9. & Catherinus in cap. 1. ad Hebræos aſſerunt, & D. Bernardus in Homil. de Angelis ita ait: *Tibi ô Michael duci ſuperorum ſpirituum, qui dignitate & honoribus prælatus es ceteris omnibus ſpiritibus ſupernis, tibi (inquam) ſupplico.* & Laurent. Iuſtinianus ſermone de S. Michaele, vbi ait: *Sanctis ſpiritibus prælatus eſt Michael, ſicut Lucifer malis.* Et Ioannes indicat Apocal. 12. *Michael & Angeli eius præliabantur cum dracone.* De tuba iudicij quam aliqui tribuunt Michaeli, ceſſo dicere, nã quæ ſit tuba illa, incertũ eſt. Vide Becanũ noſtrũ in diſputatione Theologica, c. 4.

4. Metaphraſtes in S. Michaele Archangelo gratam habet narrationem, in hunc modum: ὅτι γὰρ οἱ λεγόμενοι ἀργοναῦται κατὰ τοὺς καιροὺς τῶν ἑλλήνων ἀνέπλευσαν, καὶ ἐπὶ τὸν ἀνάπλουν τοῦ καταλιεῖσθαι κατὰ τὴν αὐτὴν χώραν, ἐπολεμήθησαν ὑπὸ τοῦ Ἀμύκου τοῦ ἐν τῇ χώρᾳ βασιλεύοντος, καὶ φοβηθέντες τοῦ ἀνδρὸς τὴν δύναμιν, κατέφυγον ἐν κόλπῳ τινὶ κατάλσῳ, δασυτάτῳ πάνυ, καὶ ἀργοὶ, καὶ ἐθεάσαντο ὀπτασίαν, καὶ δύναμίν τινα, ὡς ἐκ τοῦ

ἱεροῦ προσπελάτασαν αὐτοῖς ἀνδρὸς φοβεροῦ, ἔχοντος τοῖς ὤμοις πτέρυγας, ὥσπερ ἀετοῦ, ὅστις ἐχρημάτισεν αὐτοῖς τὴν κατὰ τοῦ Ἀμύκου νίκην· καὶ εὐχαριστήσαντες ἔκτισαν ἐν τῷ αὐτῷ τόπῳ, ὅπου τὴν ὀπτασίαν, καὶ τὴν δύναμιν ἑωράκασι, ἱερὸν στήσαντες ἐν εἰκόνι ὁμοίωμα, τῆς παρ᾽ αὐτῶν θεαθείσης δυνάμεως, καλέσαντες τὸν τόπον, ἤτοι τὸ ἱερὸν σωσθένιον, ἐπεὶ ἐκεῖ φυγόντες ἐσώθησαν. τοῦτο τὸ ἐκτύπωμα ἰδὼν μετὰ τὸ βασιλεῦσαι τοῦ βυζαντίου ὁ θεοτιμώτατος βασιλεὺς Κωνσταντῖνος, εἶπε τοῖς μεγιστᾶσιν αὐτοῦ, ὅτι τοῦτο τὸ ἐκτύπωμα ἀγγέλου ἐστὶ τοῦ τιμωμένου παρὰ τοῦ δόγματος τῶν χριστιανῶν. καὶ ἐκπλαγεὶς ἐπὶ τῷ τόπῳ, καὶ τῷ κτίσματι, καὶ εὐξάμενος τῇ νυκτὶ ἤκουσεν ὡς ἐν ὁράματι φωνῆς μεγάλης λεγούσης αὐτῷ. ἐγώ εἰμι μιχαὴλ ὁ ἀρχιστράτηγος κυρίου σαβαὼθ, καὶ ἐγερθεὶς ὁ βασιλεὺς ἐκόσμησε τὸν τόπον ποιήσας κατ᾽ ἀνατολὰς θυσιαστήριον ἐπωνομάσας τὸν τόπον, καὶ τὸν ναὸν τοῦ ἀρχαγγέλου Μιχαὴλ, φιλοτίμως ἑορτάζων τὴν ἐτήσιον σύναξιν. ναὸς τοῦ θείου ἀρχαγγέλου Μιχαὴλ τοῦ ἐν ἀνάπλῳ. *Quando Argonautæ, Græciâ florẽte, lõginquâ nauigatione ad eũ locum, qui dicitur Anaplus redierunt, vt portũ inirent, in eo tractu bello lacessiti sunt ab Amyco rege, & metuentes hominis robur, in sinum quemdam nemorosum, densum, & agrestem refugerunt; vbi visum eis obiectum est, & virtus quædam de cælo delapsa hominis terrifici, qui alas aquilæ in humeris gereret. Is velut ex oraculo prædixit eis, Amycum debellatum iri, cui gratiam reponentes, eo loci vbi visum viderant sacrum simulacrum virtutis illius statuerunt, & locum Sosthenium vocarũt, quia eò confugientes, seruati erant. Hoc simulacro viso Constantinus virtute Dei Augustus cùm imperij domicilium Bizantij fixisset, suos monuit simulacrum hoc Angeli esse, qui Christianis in cultu & honore est. Et attonitus facie loci, & fani, pre-*

cibus se dedit, & de nocte quasi per visum vocem humana maiorem audiuit dicentem: Ego sum Michael Princeps militiæ Domini exercituum, cũ euigilasset Imperator, ornauit locum, & ad Orientem altare extruxit, fanumque nomine Diui Michaelis honestauit, vbi quotannis populi conuentus haberetur. Templum Archangeli Michaelis in Anaplo indigetatur.

5. Michael præliũ habuit cum Dracone. De quo quæritur, & respondetur. Lucifer, qui cæteris erat excellentior (vt patet in Daniele, sub typo Regum terræ superbissimorum) incogitabili elatione superbiæ, dicebat in corde suo, Deus ego sum, in cathedra sedeo, ego à me ipso sum sine initio; negando aliquem maiorem se, qui fecit eum, & consequenter sic ambiebat ascendere in cœlum, vt cœli teneret imperiũ: ambiebat ascendere super altitudinem nubium, vt ab omnibus Angelis adoraretur vt Deus: & habito in se consilio dixit: ego sum plenus sapientiâ, persuadebo omnibus Angelis; ita quod sine contradictione credent mihi dicenti, Deus ego sum, à me ipso sum. Prædicauitque eis sine temporis mora, vt habetur in Daniele, vbi dicitur: *Fines suos emisit ad vniuersa signa regionis*: id est, effudit eloquia sapientiæ suæ ad vniuersas Angelorum multitudines, vt sibi obedirent. Sed Dominus Deus, qui non permittit creaturam tentari supra id quod potest, suscitauit vnum de Archangelis, qui constanter diceret, Non es tu Deus, sed alter excellentior, qui te, & omnes nos creauit: & ideò ille vocatus est Michael, qui interpretatur, quis sicut Deus noster, qui resistendo Lucifero, dixisse per-

hibetur, cur dicis, Ego sum Deus: quis enim potest esse Deus, sicut Deus noster, & similia, & tūc factum est prælium in cœlo, vt dicitur Apocal. 12. quod Michael pugnabat cum dracone. Hæc Enriques ex Asia super Genesim, quod refert Bartholomæus Sibylla Peregrinarum Quæstionum Decad. 2. cap. 3.

6. Denique S. Vulfridus Episc. Eboracensis, teste Beda lib. 5. Hist. cap. 20. anno Domini 705: suorum precibus à morte liberatus est. Nam cùm morbo laboraret periculoso, adstitit ei S. Michael, dicens: *Ob hoc missus sum, vt te à morte reuocem. Donauit enim tibi Dominus vitam per orationes ac lachrymas discipulorum ac fratrum tuorū, & per intercessionem suæ beatæ genitricis, semperque Virginis Mariæ. Quapropter tibi dico, quia modo quidem ab infirmitate hac seruaberis: sed paratus esto, quia post quadriennium reuertens visitabo te. In patriam verò perueniens, maximā possessionum tuarum, quæ tibi ablatæ sunt, portionem recipies; atque in pace trāquilla vitā terminabis.* Aduerte demum *Michalatos* dici aureos nummos à figura S. Michaelis. Mentio est Michalatorum in Hist. Casinensi lib. 3. cap. 57.

7. De Gabriele Archangelo satis sunt, quæ in Euangelio docemur, & de quibus passim locuti sunt sancti. Præterea memorabile est exemplum Huberti Salonici Poloniæ Regis Thesaurarij, qui malis artibus, & per vim infinitos thesauros adeptus est; tantum fuit prouidus in deuotione S. Gabrielis, quem impensè coluit, cumque hora mortis appropinquaret, magnus strepitus & tumultus subito exortus est, & fugientibus filiis &

vxore, qui aderant morituro; mox tamen ingressis, cessante strepitu; Hubertus dixit: ô filij, dæmones in me impetum fecere,& deglutissent,nisi Gabriel Archangelus obuiam illis esset, quem ego colui omnibus viribus. Mea omnia vel Regis sunt, vel aliorum, à quibus vsurpaui, dentur suis, nihil ad vos pertinet. Gabrieli gratias ago, qui me ab his angustiis liberauit.

8. An Gabriel fuerit Archangelus, an Seraphinus dubitari meritò potest. Et vt omittam viros magnæ auctoritatis, qui censent esse Archangelum, sentio vere esse Seraphinum, quòd omnes Angeli sint *administratorij spiritus in ministerium missi*, vt ait Apostolus 1. ad Hebræos Vnde S. Greg. homilia 34. *Ad hoc ministerium summum Angelorum venire dignum fuerat, qui summum omnium nuntiabat.* Hoc autem ministerium ad quod missus est, fuit annuntiatio Virginis: quocirca Esychius hom. 2. de Virgine Gabrielem vocat *principem Angelorum.* Andræas Hierosolymitanus *Angelum vnum è primis.* Expresśè verò Seraphinum eum fuisse docent Magister sententiarum in 2. dist. 10. Scotus ibidem. q. vnica. Durandus quæst. 1. Omitto recentiores, scilicet Gregorium de Valentia, Molinam, Salmeronem, qui ait expresse Gabrielem esse primum à Michaele, & secundum inter Seraphinos. Damascen. Serm. de dormitione Deiparæ ait esse *primum inter Angelos.* in quam sententiam venit Maldonatus, & Cedrenus, atque Cornelius (cui insistimus) in Danielem. Et licèt aliqui insistant in eo quod est esse Archangelum, *verius tamen videtur eum esse ex primo ordine, qui est Seraphin,*

adeoque esse vnum è primis aulæ cælestis Principibus, ait Cornelius. Immò nec desunt, qui cum Seraphinum Principem omnium intelligant, quod censet Marcus Vigerius Cardinalis in Dechachordo Christiano Chorda 1. cap. 2. Idque probat octo rationibus, siue congruentiis. Sed communior est sententia Michaelem esse primum omnium Angelorum, deinde secundum Gabrielem. Nec contra hoc est à plerisque Sanctorum vocari Archangelum. nam reuerâ vocatur Archangelus, id est Angelus primarius & princeps, quia vnus est è primis & summis Angelis. Imò vt ait Vasquez 1. p. tom. 2. Disput. 244. num. 10. Archangelus Gabriel fuit qui Christum in agonia confortauit. Gabriel enim sicut habet nomen à fortitudine, ita & officium habet confortandi. Quin cùm Gabriel annuntiauerit Virgini natiuitatem Christi, par erat vt confortaret. Adhæc in epulis apparatis Christo Domino post victoriam Dæmonis, credibile est hunc Archangelum inter alios Principem fuisse, atque adeo fuit veluti minister Christi; qui pocula ministrauit, pincernæque officium gessit; non quòd custos esset Christi, vt alibi dico, sed quòd in ministerio Christi primus. Vnde & Danieli apparuit, dixitque Christum nasciturum expletis hebdomadibus septuaginta, hoc enim est ministri munus missi à Deo ad aduentum suum prædicandum: non aliter ac si quis nobilis vnum è ministris suis mittat cū nuntio, quo declaret se iturum ad inuisendum aliquem. Quare pastoribus quoque idem Archangelus adfuit, nuntiaturus summum mysterium

nati Domini. Idem iudicium esto de Ioannis Baptistæ nuntiatione, qui præcursor fuit Christi. Istud sanè dignum est, quod sciatur de Virgine sanctissima. Monet quippe Pet. Damianus serm. 5. de Natiuit. Virginis, Gabrielem Archangelũ & Ioannem Euangelistam duobus leonibus comparari, quorum alter dextræ Virginis, alter sinistræ custos sit deputatus: Gabriel enim mentem, Ioannes carnem eius peruigili sollicitudine seruauerunt: qui bene leones dicuntur propter rugitum altissimæ vocis.

9. De Sancto Raphaele perlustranda omnia quæ in Tobia sunt. Prætereà, cùm quidam Aurelianensis ad S. Iacobum peregrinaretur, Angelo Raphaeli, quem in deuotione habebat, quẽ ducem & custodem audierat, se specialiter commendauit. Cùm autem errasset in via, & appropinquans syluæ prædones superuenientes conspiceret, festinare cepit iter, vt eos euaderet: & cùm aliquantulum præcessisset, quidam se quasi comitem viæ coniunxit, & causam tantæ festinationis quæsiuit. Cùm autem causam exposuisset, & hostes se insequentes ostendisset, ille eum hortari cæpit ne timeret, quia ipsum sine læsione ad viam certam reduceret: & cùm hæc loqueretur, superuenerunt ad fluuium; cùmque ille nec pontem, nec nauem ad transeundum conspiceret, nec viam transuadandi sciret, adhuc magis timuit, & se à comite deceptum putauit. Et ecce, cùm prædonibus irruentibus omni destitutus auxilio se Angelo Raphaeli commendasset, subitò ex alia parte fluminis se translatum vidit; & hostes circa flumen mirantes reliquit, subitóque ei comes ille disparuit,

diſparuit, ſicque viam proſequutus eſt. Cumque iterum rediens ad locum illum appropinquans, in eoſdem hoſtes irruere dubitaret, graui ſopore depreſſus, ſub arbore dormitauit. Cum inſomnis ille comes, qui eum trans flumen euexerat, apparuit; ſeque eſſe Raphaëlem Archangelum, cui ſe commendaret, aſſeruit, qui eum in via cuſtodierat, & vſque ad domum ſaluum ducere intendebat. Euigilans ille ſe ad vnam diætam propè ciuitatem ſuam reperit, & ſaluus rediens, beato Archangelo gratias egit. Narrat hoc Pet. de Natalib. in Catalog. Sanctorum lib. 4. cap. 141.

Nihil iam reſtat niſi Angelum cuſtodem exorare, vt Deo nos reconciliet, quod proculdubio faciet, niſi noſtra peccata præpediant; ac ne præpediant, impensè exoremus cuſtodem Angelum.



PIÆ ALIQVOT ORATIONES & conſiderationes in ſanctos Angelos quæ ſunt apud Albertinum, Saillium, Spinellum, & alios.

COLLOQVIVM AD ANGELVM CVSTODEM.

1. SANCTISSIME Angele comes & cuſtos meus, ex intimo corde gratias tibi ago, qui poſt Deum ac beatiſſimam ipſius Matrem ſummo animi affectu mihi amandus es, gratias inquam tibi dico, pro omnibus beneficiis in me collatis, vſque ab eo momento, quo corporis & animæ meæ cuſtodiam ſuſcepiſti. Simul etiam præteritæ vitæ veniam flagito, quia abſcondere non poſſum innumera ac pudenda ſcelera, quæ hactenus coram tuis, & Dei noſtri puriſſimis oculis perpetraui; humillimè ſupplicans vt ex theſauro diuinę bonitatis impetrare mihi digneris promptitudinem, ac feruorem in rebus ſpiritualibus. Sic enim illuminatus nouam auſpicor vitam, & conuerſatione Deo grata, & tua præſentia non indigna perſeuerabo. Amen.

2. Omnipotens ſempiterne Deus, qui me licèt indignum ad imaginem tuam creaſti, & Angelũ

tuum sanctum ad mei custodiam deputasti, da mihi seruo tuo illius custodia malorum omnium tã animæ, quàm corporis pericula feliciter pertransire, vt post huius vitæ curricula ad gaudia sempiterna facias peruenire, per Dominum nostrũ Iesum Christum Filium tuum, qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus sancti Deus. Per omnia secula seculorum. Amen.

Ad sanctos Angelos.

3. O boni Angeli, curam hominum continuam habentes, attendite ministerium vestrum ad custodiam nostram, dirigentes cogitatus, verba, & actus nostros in viam salutis & prosperitatis, vt mandatorum Dei voluntarij cultores numerum vestrorum ordinum (qui casu Luciferi diminutus est) valeamus diuina largiente misericordia adimplere feliciter.

Alia ex Antidotario Nic. Saliceti.

4. OMnes sancti Angeli, & Archãgeli, Throni, & Dominationes, Principatus & Potestates, Virtutes, Cherubim, & Seraphim, omnia agmina beatorum spirituum, fundite pro me preces ad Dominum, vt me liberet à peccatorum vinculis, & illustrare dignetur virtutum studiis, & defendat ab aduersitatibus cunctis, & postremo iungat me vestris sanctis consortiis.

dientem promoue, & extremam illam difficilémque luctam, quæ cum dæmonibus, & morte ipsa futura est, mihi felicem esse procura, vt in vestrū consortium migrans anima mea, cùm vicerit, lætè decantet, Laqueus contritus est, & nos liberati sumus.

Oratio Gersonij ad Angelum Custodem, quæ habetur tomo 3. Bibliothecæ.

7. GLoriose Angele Dei, qui vnus es ex inclytis principibus ciuitatis cœlestis, cuius custodiæ diuina bonitate ac pia ordinatione commissa sum, per eundem dirigenda ac protegenda, insuper & iuuanda ad ingressum dictæ ciuitatis bene viuendo ac Deo parendo, & seruiendo hoc die, & hac hora, me grandis vrget necessitas ad te recurrere, hoc profecto bene perpendis, & agnoscis. Adsum ego tua pauper cœca in profundis conclusa tenebris huius inferioris carceris in quo nihil est, lucis spiritualis ad cognoscendum bona gloriæ cœlestis, & id parum claritatis quod illic esse potest, in me est obuolutum, & circumductum fumis, ac tenebrosis nebulis de turpi cœno, ac lutuosis paludibus fœtidorum meę carnalitatis desideriorum ac terrenarum cogitationum eleuatis. Quamobrem incedere nescio per vias rectas in vicos cœlestis ciuitatis, vbi mihi mendicare incumbit, & eleemosynas meas petere, nisi ab alio ducta, vel aliter illuminata. Te igitur precor dux fidelis, apprehende manum tuæ excœcatæ, deduc eam per vicum magnum paradisi discurrendo ostiatim vbi valeam clamare, ad-

uocare, gemere, flere, auxiliũ implorare, & pauperi eleemosynam petere propter Deum. Verè pauper est, qui penitus visu caret, quique panem sibi lucrifacere non potest. Trahe me quæso specialiter apud tuos consodales, ceteros tuos amicos, & domesticos vbique prædiuites, & gratiæ bonis refertos. Exhibe illis hanc mendicam miserabilem ad eleemosynam percipiendum. Cum gaudio enim recipienda est, est enim hæc peccatrix quæ vult conuerti, vt dicit Saluator Christus. Ne perdas igitur hoc gaudium, quod vtique perderes, si ab hac mea conuersione recederem per defectum victus, quem non nisi meo quæstu consequi possum. Ne igitur me derelinquas, ne hoc mihi recuses fidelis custos, quamuis te pluries paruipenderim male iurando aut agendo in conspectu oculorum tuorum, quod nec facere debuissem in conspectu scurræ alicuius, aut vilissimi alterius hominis. Cõdona mihi quæso rursus meam insipientiam, meosque excessus. Sum fateor stolida, deses, ac præsumptuosa. Nosti hoc & ideo tuæ custodiæ relicta sunt sicut ægrota medico, sicut cæca duci, sicut stolida & phrenetica suo gubernatori. Ideoque necesse est, vt me supportes in meis defectibus, aliàs enim indesinenter nec scirem, nec possem absque errore deuio mendicare, & vitam meam quæstuare. Quocumque pergo abducor, illic multum obscure conspicio inclytam illam ciuitatem cælestem, de qua tam gloriosa dicta sunt. Illic velut in vmbraculo prospicio nouem Angelorum ordines, Patriarchas, Prophetas, Apostolos, Martyres, Confessores, & Virgines, & super omnes Iesum Christum, gloriosam-

que eius Matrem, atque ita ſum abundanter munita ad percipiendum eleemoſynas copioſas. Te igitur deprecor amantiſſime conductor, qui me illuc perduxiſti, vt pro conditione mearum neceſſitatum ab vnoquoque peccato ſecundum dona & gratias quibus abundantiùs affluunt. Da mihi aditum, conforta me, & doce me petere. Erubeſco plurimùm ac vereor comparare, ſed pro certo neceſſitas frangit legem. Ex præcepto etiam mihi hoc facere incumbit, vt pulſem & petam, nec recedam quantumcumque repulſa donec aliquid accipiam. Ita igitur faciam.

8. Syneſius hymno 4. ita ad Deum precatur luculenter,

Ἕταιρον δίδου ξύνωνον ἄναξ,
Ἄγιον ἁγίας ἄγγελον ἀλκῆς,
Φίλον, ἐσθλοδότην, φύλακα ψυχῆς,
Φύλακα ζωῆς, εὐχὰς φρουρόν.
Πνεῦμα δὲ σώζῃ καθαρὸν λώβας.
Κευθμωνοχαρεῖς δαίμονες εὐχὰν φευγέτωσαν ἐμὰν
Ἀγαθοὶ δ᾽ ὁπόσοι μάκαρες νοερῶ πρόπολοι γενέτου,
Κατέχουσι βάθη, ἄκρα τε κόσμου,
Ἵλεῳ πύθοιντο πατρὸς, ἵλεῳ δὲ λιτὰς
Ἀνάγοιεν ἐμάς:

Da ſocium comitem, ô Rex,
Sanctum ſancti roboris nuntium,
Amicum, beneficum, cuſtodem animæ,
Cuſtodem vitæ, & precum, ac votorum.
Animum ſeruet purum ab iniuria & labe.
Dæmones tenebricolæ meas preces fugiant.
Quotquot autem beati, boni Angeli
miniſtri genitoris qui mente ſola cernitur,
Tenent ſumma & imma mundi;

Placidi audiant Patrem, placidi preces meas sursum ferant.

S. Iulianus Archiepiscop. Toletan. ita precatur Deum.

1. DEsertum Idumeæ cœcus, & morbidus possessor inhabitans clamo ad te fili Dauid, miserere mei: Patriam enim meam æternam Hierusalem quæro, ciues eius contemplari desidero, sed quibus ductoribus illuc transeam non inuenio. Tu ergo, qui temetipsum dignatus es ostendere viam, porrige mihi manum tuam, qua illuc non iam cœcus, sed videns sine aliquo latrocinantium impedimento perueniam. Tu enim solus, talis es via quæ latronem non habet. Ecce anxium est cor meum pro reditu patriæ illius diu tibi suspirans immensa futurorum cura distenditur, cupiẽs, vt antequam illuc eatur hic iam futuræ illius beatitudinis gaudia contempletur. Quærens enim quis defunctorum animas fructus post mortem corporis huius maneat, quæ etiam glorificatio post receptionem corporum eas attingat pro modulo virium mearum, ac quantum ex disputatione malorum dignoscere potui, quædam in hoc opere causarum instrumenta curaui colligere. Sed hæc quoque quantũ potest dici à mortalibus dicta sunt, non tamen omnia dici potuerunt, quæ futura esse necesse sunt, quia inscrutabiles sunt semitæ iudiciorum tuorum. Ego tamen in illius Patriæ signum, de qua tanta dicuntur cupiens euolare, peto vt per te, qui via es gradiar, in te qui es veritas nõ offendã, ad te, qui es vita per-

ueniam. A te ergo, qui summæ felicitatis es via, nullis casibus diuidar, nullis rerum impedimentis abrumpar; sed in te gradiens latronem moriturus non patiar, mortuus accusatorem non perferam, Angelicis morientem me excubiis proteges, euocatum ad te extenso pietatis gremio consolare, vt ad te sine confusione veniens videam, quæ bona sunt in Hierusalem. Iam, iam Domine, satis est, quod hucusque peccatorum tenebris fuscatus non interij; Vnde vt & hoc ipsum, quod mihi vel fratribus meis ad remedium præparo, ne offensibile fiat in aliquo te obsecro, te peto, per gloriosum illud sacri sanguinis tui cõmercium, & crucis tuæ inuictum, & venerabile signum, vt nõ pro his velut temerarius arguar, non vt erroneus contabescam, non cum illis puniar iudicandus, qui magna de corde suo, non de spiritu tuo loquuntur. Ecce habes, mi Domine, me pauperem tuum mendicantem, & pulsantem, nec superbè nescita definientem, sed humiliter, quæ scienda sunt agnoscere cupientem. Ciba ergo me Domine de omnibus promissis gratiæ tuæ, quæ hîc etsi attingi non possunt, perfici tamen vera fidei firmitate creduntur, vt gaudium illud, quod nullo hominum stylo valet comprehendi, quod oculus non vidit, & cor hominis non ascendit; dones mihi misero, & hîc feliciter perfrui, & illic pleniori rerum euidentia contueri.

Pater Ceparius, in vita S. Aloisij Gonzagæ, schedam ait B. Ludouici se habere, in qua hæc de Angelis scripta erant, ab ipso obseruata.

10 FInges animo te nouem Angelorum choris Deum comprecantibus & hymnum illum, *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus & immortalis, miserere nobis*, canentibus mixtum esse, quem proinde hymnum tu quoque nouies iterabis, & cum illorum precibus tuas coniunges. Angelo custodi tuo ter in primis quotidie tui curam commendabis, manè & vesperi recitando precem *Angele Dei*, atque interdiu, cum in ædem sacram circum aras supplicatum te confers. Persuasum habe, perinde te Angeli ductum sequi oportere, atque cæcum quempiam, qui viarum discrimina ignorans, eius qui baculo gressum ipsius regit, prouidentiæ in omnibus confide.

Oratio ad Angelum Custodem cuiusdam deuoti ex nostris.
Deplorat obliuionem, percurrit beneficia, promittit cordis nouitatem.

11. QVis dabit oculis meis lacrymas ad plorandum? quis debitos cordi affectus? quis digna linguæ verba suppeditet, vt quantum de me custos Angelus benemeruit, grates agendo, soluam; Et quantum beneficia sum oblitus, quantum corde recogitandum omisi lachrymali demissione recuperem? Vtinam oculi binis obor-

tis fluminibus præ dolore fluerent, vt trepidans palatum silentio exprimeret, quæ loquutione obscurat, & cordis veneratio, animique stupor altum dolorem exprimeret, quem penitiora verba ne exterius quidem delineare affatim queunt; quamuis enim ex abundantia cordis os loquitur, cùm redundat affectus, quid mirum verba non sufficiant? Ergo Angele Dei, qui in eius vicem substitutus animæ tuendæ præes; eius munere gaudes; eius quoque munere longo ab hinc tempore fuisti mihi custos addictus; cuius diuturna, nocturnáq; tutela ab incunabulis meis vsq; modo protenta Deo vixi; Angeli inquã cœlestis, cũ tuũ in mei custodiæ vigilantiã quod indefessa cura munus obis, nuper corde reuoluerẽ, duplex animũ adortus est affectus, alter lætitiæ, doloris alter. Dũ te mihi charum sociũ, peruigilem, & oculeum in me tuendo Argum sui meditatus, qui nedum binis oculis alternam requiem vicissim concedis, gauisus sum gaudio magno valde: Cor meum, & caro mea in Deum viuum exultauere; anima post eum adhæsit, ipseque totus lætitia saginabar tanti erga me amoris, & Dei, & tui magnitudinẽ emetiens: At dum meam erga vtrumque obliuionem, & in gratiis agendis teporem fideli examinis trutina perpendebam, iusta castigatione rigida in me irruebat conscientia, & leue cor tacitis, sed sæuis funiculis sugillabat, atque eo plus torquebat, quo magis enitebat debitum; ipse quoque ancipiti iudicio in varias partes distractus, velut in biuio hęsitans, animum vni parti affigere non poteram. De tua beneficentia non gaudere mortem natura putat, quæ si proprio gaudio ita indulget, quo-

modo placidum ſpeculata donum hilaritati parcat quæ indefeſſo niſu delectabilia aucupat? Iuſta hæc. Sed iuſtum quoque apparet de acceptis beneficiis gratulari, & priſca debita, quæ nōdũ ſunt ſoluta planctu luere. Gaudeat animus felici ſorte: lugeant tamen oculi gratulationis incuriam, quæ ſi vſque huc obtuſo cordi, & lippis oculis dominata eſt, ambulet in poſterum cor in dilectione, vt filius ſim lucis, reddatur carneum, quod fuit lapideum, illuminentur oculi, qui in tenebris, & in vmbra mortis habitabant, vt in viam gratulationis pedes dirigam. Hoc miror, te illuminante, me antea non vidiſſe, quæ ita patent, &, te ducente, in viam ſalutis adeo tardos protendiſſe greſſus. Hæc cor rapiunt quæ antea eius extabãt ieiuna, nunc totum trado, quod adhuc indebitè poſſidebam, quòd ſi quis non tradat, dum cuſtodis ſui beneficia calluerit, retinebit iniuſtè, quod alieno labore vendicatum, ſuum iam non eſt. Tu enim cœleſtis chori cùm ſis Dynaſta nobilis, faciem ſummi Patris, qui in cœlis eſt, ſemper videns, & ſupra mirandam eius naturam poſito velamine contempleris, vermiculum me, non hominem cuſtodire, & in limo profundi peccatorum defixum tueri non dedignaris. Te tetra ſcelerum cohors, & infectus nequitiæ odor crebro offendit, & fortè puros oculos (liceat dicere) inficeret, ni Deum aſpiceres ſemper, & ad illius gloriæ lumẽ, perfuſum prauitatis venenum vim exueret, & tamen me nõ horres, vt quotidiano ſpiramine horridum vitij tegmẽtum exuere mihi ſuadeas. Inſipido cibo delicatus offenditur palatus, & coram eius præſentia nauſeam minatur, tu coram meis

peccatis licèt aliquomodo verecunderis, me tamẽ tepidum euomere necdum incipis, quia pusillo compateris, & offensum gustum beatifica visio saporat. Meæ natiuitati vera adstas Lucina, pueritiæ pius custos, adolescentiæ fidus socius, senectuti familiaris baculus: Toto vitæ curriculo feruidus mihi ades amasius, quam si miseram nullus inficietur, te fido comite valde suauem dicere nõ verebor. Nam si cœca ignorantiæ caligo me tegit, tenebras pellis, & lucem sanctam ætherea domo subductam impertis. Neque enim Deus thesauros sapientiæ suæ tibi denegat, immò profusa liberalitate orphani mei misertus spiritũ Patris (heu) sacratis tuis manibus committit, vt ea diuina luce me illumines. Tu verò alio, quasi sacerdotij genere, sacratam Dei sapientiam mihi communicas, ne captiuus ducar, quia non habui scientiam. Si cor superauratis vitiorum illecebris, aut fallaci nequitiæ simulatione fraudatum, genio indulget, mundo seruit, dæmoni obtemperat, carnẽ audit, delitias quærit, amplectenda abdicit, & quærenda fugit: te magistro vesanæ ruinæ renũtiat; Deo in toto corde confitetur; Deum in consilio iustorum laudat, & in congregatione bonorum operum colit; Et qui prius propriæ morti subiacebat fallacibus artibus illusus, te suppetias ferente in meliorem mentem reuocatus peccatorum purgationi, salutaribus sacramentis, & lachrymali gemitui studet. Si communis aduersarius circuit quærens, quem deuoret, te fidei veræ murmur auribus susurrante fortes in fide resistimus. Si cauilosus auceps super tectos simulat laqueos, & fraudis nescium dolosa deceptione cõ-

tendit irretire, accedis protinus, curas adhibes, nodum soluis, & insidias detegis, ne fortè cadens offendam ad lapidem pedem meum, & nihil est occultum quod nō reueletur, aut opertum quod non sciatur. Quod si spe Diabolus frustrata, & secretis retibus elusis furiis corripitur, & rabie tumescit, si tartareas cōuocat cohortes, furtiuos submouet ignes, & referta flammis tormenta trudit bellum ipso opere nuntians, tūc emissarius explorator huc illuc ambis, struis potentiarum agmen, sensuumque portas claudi curas, ne sancta ciuitas Hierusalem hostibus obsessa capiatur. Quam vigilas sollicitus, quàm bellas fortis, quam dextera peritia aciē moderaris! Virgam virtutis tuæ dominari facis in medio inimicorum. Denique eos ponis scabellum pedum meorum. Tanta mihi à te! ô chare comes. Si lætor, gaudes; Si doleo, laboris es cōsors, quia mecum doles; nullis egeo, quia omnia in te habeo. Es mihi fidus socius, egregius dux, admirabilis consiliarius, fax lucis in tenebris, fax ignis in tepore, benignus Pater, nuntius à Deo, nuntius in Deum, bonus tandem pastor, qui me ducens in viridantia prata, gramina seligis, noxia vetas, & commoda suppeditas. Si cado infirmus, veniā precaris; si vinco strenuus, Deo annuntias; secundas res ornas, aduersis solatium præbes; delectas domi, nimis places foris, tueris vbique; mecum pernoctas, peregrinaris, rusticarisque, Dei præceptum capessens, vt in omnibus viis meis me custodias. Quando cessarem si percurrerem omnia quæ munera in me seruando exequeris? Tot, & tāta extant, vt adoream Vectoris non ego demerear in cælis, tibi sat debe-

tur, qui legitimè pro me in agone certasti. Lætus tali præsidio mortem prouoco, Deum laudo, qua possum veneratione tali de beneficio, te quoque plus in posterum laudabo, sæpius vocabo, sæpius comitem alloquar; nec circa propositum tergiuersabor, sed exequar fidus, quod firmus statuo, & à te nullo me vnquam tempore, aut commodum, aut otium abstrahat, aut voluptas auocabit, ipse denique somnus non retardabit.

Oratio ad Deum contra malos Angelos Clementis Romani lib. 8. Constit. Apostolicarum cap. 7.

12. DEVS, qui fortem ligasti, & omnia vasa eius diripuisti: qui dedisti nobis potestatem calcandi super serpentes, & scorpiones, & super omnem potestatem inimici: qui dedisti nobis homicidam serpentem vinculis constrictum, sicut passerem pueris, quem omnia horrescunt & contremiscunt à facie potentiæ tuæ: qui ipsum è cœlo in terram instar fulguris erumpere fecisti, non eruptione ad locum pertinente, sed honoris in dedecus mutatione; idque propter voluntariam mentis malitiam, cuius aspectus exsiccat abyssos, & minæ liquefaciunt montes, increpa malos spiritus, & eripe opera manuum tuarum ex alieni spiritus dominio.

Oratio S. Augustini cap. 27. Soliloq.

13. DIlexisti me vnice amor meus, antequam diligerem te: & ad imaginem tuã creasti

exultemus tibi in lætitia cordis nostri. Adiuuant laborantes, protegunt quiescentes, hortantur pugnantes, coronant vincentes, congaudent gaudentibus, de te, inquam, gaudentibus: grandis est eis cura de nobis. Magnus est affectus dilectionis eorum erga nos: & hoc totum propter honorem tuæ inæstimabilis charitatis, qua dilexisti nos. Diligunt enim quos tu diligis: custodiunt quos tu custodis: & deserunt quos tu deseris: nec diligunt operantes iniquitatem: & perdent omnes qui loquuntur mendacium. Quoties bene agimus, gaudent Angeli: & tristantur Dæmones. Quoties verò à bono deuiamus, diabolum lætificamus, & Angelos tuos suo gaudio defraudamus: gaudium est enim eis super vno peccatore pænitentiam agente: sed Diabolo super vno iusto pænitentiam deserente. Da igitur, da Pater, eis semper gaudere de nobis, vt & tu semper per eos lauderis in nobis, & nos cum eis in vnum ouile tuum adducamur, vt confiteamur simul nomini sancto tuo, Creator hominum & Angelorum. Hæc ipse commemorans coram te confiteor, laudans te, quoniam beneficia tua magna sunt hæc, quibus nos honorificasti, dans nobis Angelos tuos spiritus in ministerium nostrum. Dederas enim quidquid cæli ambitu continetur, & quasi parua reputas hæc, quæ sub cælo sunt, nisi adderes etiam ea, quæ sunt super cælos.

Triplex oratio ad Sanctos Angelos Michaelem, Gabrielem, Raphaelem. Thomæ Sailly Societ. Nostræ.

14. DEVS qui beato Michaeli Principi astanti, & summo cælestium copiarum præliandi, sub auxilio salutiferæ crucis ab æterno præuisæ, gloriosum de superbissimo Dæmonarcha triumphum dedisti: te quæsumus, vt nobis armantibus frontem nostram signo salutari, nomenque prædicti Michaelis triumphatoris inuocantibus fortitudinem ac victoriam contra visibiles & inuisibiles hostes concedas, vt nos liberi ab eorum impedimento secundùm tua diuina mandata, vitam nostram deducere valeamus.

Deus humanæ salutis amator, qui beatum Gabrielem principem adstantem, & tuæ fortitudinis ministrum legasti ad annunciandum gloriosæ Virgini immaculatæ sacramentum incarnationis filij tui Domini nostri Iesu Christi humiliter petimus, vt confugientibus nobis ad præsidium tanti paranymphi, eius intercessione fortitudinem aduersus visibiles, & inuisibiles hostes concedere digneris.

Deus qui ex tua ineffabili bonitate beatum Raphaelem fidelibus tuis viatoribus ductorem, maleque habentibus medicum ab initio constituisti, te suppliciter rogamus, vt nobis implorantibus opem dicti principis adstantis, patefacias semitam salutis, & ægritudinem tam animæ quàm corporis salutarem medelam concedas. Amen.

Eiusdem oratio ad Angelum Custodem.

15. OMnipotens sempiterne Deus, qui me licèt indignum ad imaginem tuam creasti, & Angelum tuum sanctum ad mei custodiam deputasti, da mihi seruo tuo illius ducatu, & custodia malorum omnium tam animæ quàm corporis pericula fœliciter pertransire, & post huius vitæ curriculum ad gaudia sempiterna facias peruenire. Per Dominum nostrum, &c.

Synodus Diocesana statuit hæc de Angelorum veneratione Anno 1584.

16. VSque adeò multum subsidij, & fauoris, ab Angelica natura suscipit humana, vt notam ingratitudinis incurrere videri possit, nisi quam vicem potest, rependere studeat. Siquidem saluti nostræ inuigilant, ac tuitioni, cõtra malignorum spirituum incursus, & singuli singulos habemus Angelos animæ nostræ custodes, imò omnes Angeli in ministerium sunt missi, propter eos, qui hæreditatẽ capiunt salutis. Hinc est quod gratitudinis ergo monemus omnes & singulos nobis subditos, vt deuotione quadam speciali venerentur Angelos, & eorum festa, piis operationibus, orationibus, & aliis exercitiis religionis colant, videlicet prima Martij, qua festum celebratur Angelorum custodem animarum nostrarum, & eiusdem Martij decima octaua, qua Gabrielis, nostræ redemptionis Paranymphi memoria colitur, & octaua Maij, qua Apparitio S. Michaelis

dedicatio, quæ celebratur Septembris penultima. Atque eum ipsum S. Michaelis diem Mensis Septembris ita obseruent, vt ab omni opere seruili, tanquam in summo festo Natalis omnium Sanctorum, abstineant: vt sic sibi beneuolentiam ipsius sancti Michaelis, & reliquorum omnium spirituum sanctorum concilient, & sub eorum tutela salutem suã melius operari possint, & valeant ad honorem Maiestatis diuinæ, cui perpetuò adstare creduntur.

Beneficia Angeli custodis, & ingratitudo hominis.

17. Considera quoties Angelum custodem tuis flagitiis offendisti. Quoties ille errantem ad viam salutis te reduxit. Quot pericula ipsius ope, & charitate euasisti. Aliquando fortasse fuisses ab alio ex improuiso occisus. In itineribus à latronibus, & aliis periculis reseruauit. In fluminibus, vel mari, ne submergereris, tibi adfuit. Quoties fecit, ne cibus, vel aër infectus tibi obesset. Quoties ne equi calce, vel tegulę casu lędereris. Quoties spiritus fornicationis ab illo expulsus est. Quoties, ne ira concitatus proximo noceres, te cohibuit. Quot laqueos dæmonum ipsius ope à pueritia vitasti. quoties in peccato hærentem diabolus te suffocasset, nisi prohibuisset. Quando in peccatum incidisti, ad confessionem te excitauit. Bona consilia in dubiis continuo tibi suggessit. Tua ingratitudine offensus, te iuuare non desiit. Vide quàm sis illi obligatus, & quam referas gratiam.

Considerationes nouem de ordinibus Angelorum P. Saillij.

18. PVtemus Seraphim ſpiritus totos diuino igne ſuccenſos, ſuccendere vniuerſa, vt ſinguli ciues Hieruſalem ſingulæ ſint lucernæ ardentes, & lucentes: ardentes charitate, lucentes cognitione. Hæc operatur in illis qui condidit illos, vnus atque idem ſupremus ſpiritus, ſed aliter. Ardent Seraphim, ſed igne Dei, vel potius igne Deo: quod præcipuum eſt in eis amans, ſed non quantum Deus, nec quomodo. Cernere eſt in his quomodo amet, qui vnde amet non habet, ſed eſt: & qui nihil horum quæ fecerit odit, quos ſaluandos fecit quomodo foueat: quomodo proueha:, quomodo amplexetur, quomodo delicta electæ iuuentutis & paleas ignorantiarum eius ignis ille conſumens ipſam ſibi purgatiſſimam, & ſuo amore digniſſimam reddat.

Putemus Cherubin ex ipſo ſapientiæ fonte ore altiſſimi haurientes & refundentes fluenta ſcientiæ vniuerſis ciuibus ſuis, & vide ne hic ſit, quem Propheta loquebatur, Fluminis impetus lætificans ciuitatem Dei. Cernere eſt in iis Deum ſcientiarum Dominum eſſe, qui ſolus ſolam neſciat ignorantiã, qui totus ſit lex, & tenebræ in eo non ſint vllæ: totus ſit oculus, & qui minime aliquando fallitur, quia minimè clauditur, qui extra ſe non quærat lumen, cui admoueatur vt videat, ipſe qui videt, ipſe vnde videt. Lucent ergo & ſcientia, eminent Cherubin, ſed participio veritatis: ac per hoc non ſicut veritas, nec quantum.

Putemus Thronos, alto etiam ab his euolaſſe receſſu, qui ex eo quòd ſedent, Throni dicuntur; & ex eo ſedent, quod ſedet in iis Deus. Neque enim ſedere in eis qui non ſederent poſſet. Quæris quid illam ſentiam ſeſſionem? ſummam tranquillitatem, placidiſſimam ſerenitatem, pacem quæ exuperat omnem intellectum. Talis eſt qui ſedet in Thronis Dominus Sabaoth, iudicans omni cum tranquillitate, placidiſſimus, ſereniſſimus, pacatiſſimus, & tales ſibi conſtituit Thronos ſimillimos ſibi. In his cernere eſt quam non ſuſpectus omnis innocentiæ iudex ſedeat in his, qui circumuenire nolit, circumueniri non poſſit, quippe qui ſit amans & videns. Nec vacat ſeſſio, tranquillitatis, inſigne eſt. De vultu tali iudicium meum prodeat opto, cui inſit amor, error abſit, abſit & perturbatio. Throni ergo ſedent, ſed in ſedentis beneficio iudicant, & ipſi cum tranquillitate, ſed non ad menſuram modum ve pacis pacantis, pacis quæ exuperat omnem ſenſum.

Putemus Dominationes adeò cunctis ſupereminere ſequentibus ordinibus, vt reſpectu horum, cæteri videantur omnes adminiſtratorij ſpiritus, & ad iſtos tamquam ad Dominos referri regimina Principatuum, tutamina Poteſtatum, operationes Virtutum, reuelationes Archangelorum, curam & prouidentiam Angelorum. In iis cernere eſt quantæ ſit Dominus maieſtatis, cuius nutu imperium conſtat, & imperio vniuerſitas, atque æternitas termini ſunt. Dominantur ergo dominationes, ſed ſub Domino dominantur, ſed ſeruiunt pariter. Quid hoc ad ſummum ſempiternum, ſingulareque Dominium?

Putemus Principatus his quoque Prælatos, quorum moderamine & sapientia omnis in terris principatus constituitur, regitur, limatur, transfertur, mutilatur, mutatur. In his cernere est principium, ex quo omnia, & quomodo à cardine ostium, sic ab ipso regi vniuersitatem. Præsunt ergo principatus & regunt, sed reguntur & ipsi: ita vt regere iam non norint, si regi desierint.

Putemus Potestates superiores Virtutibus, quarum virtute potestas tenebrarum comprimitur, & coërcetur malignitas aëris huius, ne quantum vult, noceat, ne malignari nisi vt prosit, possit. Cernere est in iis quàm potestatiuè idem princeps quos regit, protegit: contrarias potestates arcens, & propulsans. Præcellit ergo in potestatibus fortitudo, sed cui debent quod fortes sunt: & aliter est fortis & plus. Nec tam fortis quàm ipsa fortitudo est.

Putemus super Archangelos virtutes esse, quorum nutu vel opere signa, & prodigia in elementis, siue ex elementis facta apparent, ad commonitionem mortalium. Cernere est in his vnam vbique æquabiliter præsto esse virtutem, perque omnia, viuificam, efficacem, inuisibilem immobilemque, omnia tamen mouentem vtiliter, tenentem fortiter. Quæ eum in minus vsitata effecta apud mortalem eruperit, miracula, siue prodigia vocant. Virtutes ergo pro suo ministerio, & potentatu satagunt excitare corda torpentia hominum, in nouatione signorum. Virtus verò in eis manens ipsa facit opera, faciunt & illæ, sed in comparatione eius non faciunt.

Putemus hos Angelis præesse, qui conscij diui-

norum myſteriorum, non niſi ob præcipuas, & maximas cauſas mittuntur: è quibus magnus ille Archangelus Gabriel miſſus legitur ad Mariam, ob cauſam vtique, qua maior eſſe non potuit. Cuius nomen meritò interpretatur fortitudo Dei, quia non alio aliquo forte excellentiore ſe (vt aſſolet) ſpiritu, ſed ab ipſo Deo mitti perhibetur. Vel ideo dictum eſt à Deo, ne cui vel beatorum ſpirituum ſuum Deus antequam Virgini reuelaſſe putetur conſilium, excepto duntaxat Archãgelo Gabriele, qui vtique tãtæ inter ſuos inueniri potuit excellẽtiæ, vt tali & nomine dignus haberetur & nũcio. Nec diſcordat nomẽ à nũcio. Dei quippe virtutẽ Chriſtũ quẽ melius nunciare decebat, quàm hunc quẽſimile nomen honora?

Putemus laborandum nobis potius eſſe vt dignos exhibeamus Angelorum frequentia, & eo modo conuerſemur in conſpectu illorum, ne forte ſanctos offẽdamus Angelos: & neceſſe non habeamus, & nos ipſos plangere, ac dicere cum Propheta, Amici mei & proximi mei aduerſum me appropinquauerũt & ſteterunt, & vim faciebant qui quærebant animam meam: elongatis nimirum eis, quorum præſentia protegere nos, & propulſare poterat inimicum In his autem maxime exerceri debemus, quibus eos nouimus oblectari, vt eſt ſobrietas, caſtitas, paupertas voluntaria, crebri in cælum gemitus, & orationes cum lachrymis, & cordis intentione. Attamen ſuper omnia hæc vnitatem & pacem à nobis exigunt Angeli pacis. & cum eos adſtare credamus pſallentibus in medio iuuencularum tympaniſtriarum, offerre Deo preces, & vota hominum, do-

lendum valde est, aliquos graui in sacris vigiliis deprimi somno, nec cæli ciues reuereri, sed in præsentia principum tamquam mortuos apparere, & verendum ne ob hanc desidiam longè recedant. si enim se à nobis elongauerint, impetus malignorum quis sustinebit? Memores simus, exultasse Angelos, quando conuersi sumus ad pænitentiam, proficiamus & festinemus complere de nobis eorum lætitiam. Væ tibi quicunque es, qui deliberas redire ad lutum, reuerti ad vomitum. Putas ne placatos habebis in iudicio, quos tanto & tam sperato priuare vis gaudio? Exultauerunt inquam, cum nos ad pænitantiam venimus, tamquam super his, quos ab inferi porta cernerent euocari. Quid nunc erit, si ab ipsa paradisi ianua reuerti viderint, & abire retrorsum eos, qui iam pedẽ alterũ in paradiso posuerunt. Quoties ergo grauissima cernitur vrgere tentatio, & tribulatio vehemẽs imminere, inuoca custodẽ tuũ, inclama eũ, & dic, Domine salua nos: perimus. Non dormit, neque dormitat, & si ad tempus quandoque dissimulet, ne fortè periculosius ab illius te manib⁹ ipse præcipites, si te eis ignoraueris sustẽtatũ.

Triplex hymnus, primus omnium Angelorũ, secundus Custodis, tertius 7 Angelorũ.

AVETE mentes lucidæ,
Nostræ salutis vindices,
Cælestis ore nuncij, Regis superni milites.
Intra Tonantis Regiã, Choros agentes psallite
Lyris, melodiis, organis, Tribunal ante iudicis.
Vos in Dracones Tartari Bellũ cietis perpetim.
Et nos ab orci faucibus Manu potenti tollitis,

Secundus.

ANGELVS nobis datus eſt patronus,
Dux vitæ noſtræ, medicus ſalutis,
Tutor, & recti monitor, Magiſter
Semper & æquè.
Noſter eſt cuſtos, ſocius, miniſter,
Præſes, auditor, columenque tantum,
Et decus magnum, volucer Parentis
Nuncius alti.
Erigit lapſos, releuat dolentes,
Sanat ægrotos, recreat iacentes,
Dirigit cœcas, timidaſque firmat
Robore mentes.
Corripit lapſus hominum benignè,
Eripit magnis animos periclis,
Hoſtis immitis, validè ſagittas,
Telaque frangens.
Gloriam Patri tribuamus omnes,
Filij nomen celebrent, & hymni,
Spiritus Sancti reſonent perennes
Carmina laudes.

Tertius.

CVNCTVS in Cælo ſiluit Senatus,
Dum Draco bellum peteret ſuperbus,
Quem recalcatum pedibus Michaël
Fixit Auerno.
Te Paranymphum colimus Tonantis,
Spiritus cuius reſonat per orbem
Gabriel: noſtros animos olympi,
Lumine reple.

O salutaris medicina Cæli,
Sancte Raphaël, medicamen affer
Corpore ægrotis, animisque cæcis
Dirige gressus.

Iudicis partes Iehudidis atræ
Sint procul nobis miseris quovsque
Gratia summi Patris eluantur
Crimina nostra.

Noster adiutor faueas precamur,
Barchiel, cunctis: memor esto nostri,
Vt Deo sanctos referas rogamus
Impiger actus.

Sealtiel cunctus tibi debet orbis,
Cuius orator Patris ante thronum es,
Et tuis supplex famulis precatis,
Crimina tergi.

VRIEL fortis socius bonorum,
Dæmonum vires gladio retundit,
Charitas cuius superat piorum
Vota precantum.

Numini trino Deitatis almæ
Laus, honor, virtus, pariter potestas,
Sit decus semper, benedictióque
Omne per æuum.

Oratio ad Angelum Custodem, ex Iacobo Aluarez accommodata, de institutione religiosa. sect. 2.
Cap. 6.

20. CVSTOS Angele, cui commissus sum singulari Dei beneficio, & instar pæda-

gogi me meaque curas, qui ex dilectione, quam erga me habes, de omnibus me ipsum doces, à malo retrahis, ad bonum inducis, in prosperitate moderate me deprimis, ne superbiam, in aduersitate adiuuas ne desperem, qui viuentem me comitaris, morientem tueberis, & ducem te ad Deum properantem præbes: quæso te, vt dum decurro per has angustias vitæ adiutorem te constituas, & patronum benignum. Per Christum Dominum Nostrum.

Septem orationes ad Septem Angelos ex Spinello.

Ad Sanctum Michaelem Victorem.

21 DEVS, qui Beato Michaeli principi astanti, & summo cælestium copiarum præliandi sub auxilio salutiferæ crucis ab æterno præuisæ, gloriosum de superbissimo Dæmonarcha triumphum dedisti: te quæsumus, vt nobis armantibus frontem nostram signo salutari, nomenque prædicti Michaelis, Triumphatoris inuocantibus, fortitudinem ac victoriam contra visibiles & inuisibiles hostes concedas, vt nos liberi ab illorum impedimento, secundùm tua diuina mandata vitam nostram ducere valeamus. Per Dominum.

Ad S. Gabrielem. Nuncium.

22 DEVS humanæ salutis amator, qui Beatum Gabrielem principem astantem, & tuæ fortitudinis ministrum legasti ad annunciãdum gloriosę Virgini immaculatæ Sacramentum Incarnationis filij tui Domini nostri Iesu Christi, humiliter petimus, vt confugientibus nobis ad præsidium tanti Paranymphi, eius intercessione fortitudinem ac victoriam aduersus visibiles, & inuisibiles hostes concedere digneris. Per Dominum nostrum, &c.

Ad S. Raphaelem Medicum.

23. DEVS, qui ex tua ineffabili bonitate B. Raphaelem fidelibus tuis viatoribus ductorem, maleque habentibus medicum ab initio constituisti, te suppliciter rogamus, vt nobis implorantibus opem dicti principis astantis, patefacias semitam salutis, & ægritudinum tam animæ, quàm corporis salutarem medelam concedas. Per Dominum nostrum Iesum Christum &c.

Ad S. Sealtielem oratorem.

25. DEVS, misericordiarum fons indeficiens, qui pro imbecillitatis humanæ reatibus B. Sealtielem tuæ misericordiæ ministrum orantem pro nobis ab initio esse voluisti: te supplices precamur, vt tanti patroni patrocinio, & oratoris oratione nos ab omnibus malis imminentibus eripere, nostrasque iniquitates secundum multitudinem miserationum tuarum abolere digneris. Per Dominum &c.

Ad S. Iehudielem Remuneratorem.

26. DEVS Omnipotens, & omnium operum iuste æstimator, qui per sanctum Iehudielem optimi consilij tui ministrum, bonorumque remuneratorem à te constitutum præmia retribuis, improbis verò correctionem infligis, te humiliter quæsumus, vt nobis implorantibus opẽ tanti Principis bene consulentis, iustéque remunerantis, tua illuminatrix gratia dirigat nostros actus in lege tua, reuocétque flagellationem pro nobis offensis irrogandam. Per Dominum, &c.


Ad S. Barachielem adiutorem.

27. DEVS bonorum omnium largitor, opem & gratiam tuam concede nobis, quæsumus, sine qua nihil à nobis effici potest, vt per inspirationem sancti Spiritus nos incumbentes bonis operibus, S. Barachielem habere merea-

mur adiutorē ad depellendas mentis nostræ dubietates, vt agnoscamus quæ nobis nocitura sunt, serenatisque sensibus nostris benedictionis & gratiæ tuæ sempiternæ capaces efficiamur. Per Dominum, &c.

Oratio ad eosdem sanctos Angelos in communi.

28. DEVS, qui inter cætera cœlorum ornamenta, & munera mundum gubernantia tam ordines, quàm ministeria Beatorum Angelorum miris digessisti modis: concede propitius, vt à tuis septem principibus astantibus, qui tibi in excelso Throno sedenti vicinius semper astant, vita nostra protegatur. Per Dominum, &c.



INDEX RERVM
PRÆCIPVARVM
huius Tractatus.

A.



A

B.

C.

D.

B.

F.

G.

de

L.

M.

G.

de

L.

M.

FINIS.